Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdeparoc0003dbou

Pom. Calif.

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ

FACULTAS IMPRIMENDI PRIORI EDITIONI CONCESSA.

M. l'abbé D. Bouix Nous ayant demandé l'autorisation de faire imprimer dans Nore ville épiscopale un traité intitulé : *de parocho*, Nous avons fait examiner cet écrit, et, sur le rapport qui Nous a été fait, Nous en avons permis l'impression.

Donné à Arras, le 10 octobre 1855.

Pour Monseigneur en tournée :

L'abbé DE LA TOUR-D'AUVERGNE,

Vicaire-général.

Imp. J. MAYET et Cie à Lons-le Saunier.

TRACTATUS

DE PAROCHO

UBI ET DE VICARIIS PAROCHIALIBUS

NECNON MONIALIUM, MILITUM ET XENODOCHIORUM CAPELLANIS

AUCTORE

D. BOUIX

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE

—

EDITIO TERTIA

AB AUCTORE RECOGNITA



ALMA COLLEGE
348.73
LIBRARY
B663
Alma, California

APUD PERISSE FRATRES CATHOLICOS BIBLIOPOLAS

(IN RECENTIORI DOMO)

BOURGUET-CALAS & Cie SUCCESSORIBUS

PARISIIS, 38, *via dicta Sancti Sulpitii*, 38, *PARISIIS*

—

1880

5980

348.73
B663

TRACTATUS

DE PAROCHO

TOTIUS TRACTATUS DISTRIBUTIO.

Suscepta de parochis disceptatio quinque constabit partibus hoc ordine dispositis : 1° quid sit parochus, seu de origine et natura institutionis parochorum ; 2° de norma canonica parochias erigendi et supprimendi ; 3° de norma canonica parochos constituendi et amovendi ; 4° quid possit parochus, seu de ipsius juribus et prærogativis ; 5° ad quid teneatur, seu de ipsius officio et obligationibus.

Quo perlustrato materiarum ambitu, clausam tractationem duplex subsequetur appendix : altera de parochorum vicariis, necnon de capellanis xenodochiorum, monialium et militum, nonnulla adnotans ; altera vero utiliores quasdam formulas complectens.

PARS PRIMA

QUID SIT PAROCHUS,

SEU

DE ORIGINE ET NATURA INSTITUTIONIS PAROCHORUM.

Triplex erit hujusce partis sectio: *in prima* exquiremus quid sint parochi quoad suam historicam originem; *in secunda* disseremus de parochiatus essentia et recta notione : *in tertia* traditam de parochiatus natura doctrinam ulterius evolvemus atque omnino determinabimus,

---

SECTIO I.

Quid sint parochi quoad suam historicam originem.

Cum in obtrudenda erronea sua de parochis eorumque juribus doctrina, jansenisticæ turmæ scriptoribus solemne sit ad primævam eorumdem originem, et priorum Ecclesiæ temporum disciplinam provocare, non miretur lector, nos in hac eadem indagatione ante omnia pedem figere, atque in expugnanda præcipua illa pestiferi systematis arce tantisper imé morari. Tot enim tantaque arte consutis mendaciis dicti scriptores genuinam parochorum institutionem obnubilarunt, ut qui antiquitatum ecclesiasticarum promptuaria nunquam adierunt, vel e limine dumtaxat salutarunt, vix ac ne vix quidem veritatem introspicere queant, vel etiam suspicari.

Hinc quæstionem illam de parochorum origine sedulo rimandam existimavimus ; in quem scopum sequenti capitum sericutemur : 1° an et quo sensu voces *parochus* et *parochia* antiquitus usurpatæ occurrant ; 2° quæ notæ in monumentis antiquitatis reperiri debeant, ut merito concludi possit in iis mentionem fieri de parocho proprie dicto ; 3° prioribus Ecclesiæ sæculis nullus in mundo extitit parochus ; 4° rurales parochiæ quarto circiter sæculo institui cœptæ sunt ; 5° ante annum 1000 nullus in civitatibus episcopalibus extitit parochus ; 6° parochi non sunt successores 72 discipulorum ; 7° figmentum est fuisse olim parochos *presbyterium* illud priscorum temporum monumentis laudatum ; 8° figmentum item prætensa eorumdem *divina* institutio.

CAPUT I.

AN ET QUO VOCES *parochus* ET *parochia* ANTIQUITUS USURPATÆ OCCURRANT.

Ut gravissimæ de parochorum origine et institutione quæstioni viam sternamus, operæ pretium visum est de ipsismet *parochi* et *parochiæ* vocibus exquirere, an et quo sensu apud antiqua Ecclesiæ monumenta usurpatæ occurrant. De quo præmittemus nonnullorum eruditorum placita: tum quid concludendum videatur subjungemus.

§ I.

Nonnullorum eruditorum sententia præmittitur.

Sic habet Marius Lupi, eximio suo volumine, de *Paræciis ante annum* 1000 (dissert, 1, cap. 6, pag. 113):

« Nomina et dicendi modi, quibus singuli parochiarum « rectores antiquitus vere compellati reperiuntur, sunt pro- « pemondum hujusmondi: in concilio Carthaginensi IV anni « 396, canone 34, ita describuntur: *presbyteri qui per diœ- « ceses ecclesias regunt.* Et canone 102: *presbyter qui paro- « chiæ præest.* In concilio Tarraconensi anni 510, canone ul- « timo, et Toletano III anni 589: *diœcesani presbyteri*; nam « ut diximus parochiæ quandoque diœceses appellabantur. « In Emeritensi vero anni 666, canone 14: *parochiarum « presbyteri;* et canone 10: *parochiales presbyteri*; et alibi, « *parochiani*. In concilio Valentino III, canone 9 et canone « 17: *parochiales sacerdotes*. In concilio Aquisgranensi: « *presbyteri qui præsunt ecclesiis*. Apud Valafridum Stra- « bonem (cap. 30 *de Rebus ecclesiasticis*): *presbyteri plebium*. « In concilio Forojuliensi: *sacerdotes plebium*. Alibi aliquo- « ties, *plebani*, et aliis hujusmondi nominibus appellantur. « Jam autem a sæculo saltem sexto iidem rurales parochi « *archipresbyteri* pluries appellati conspiciuntur, præsertim

« in conciliis. Ita bis in concilio Turonensi anni 561, canone « 7 et canone 19, ubi singillatim dicuntur *archipresbyteri vi-* « *cani*, ad distinctionem archipresbyterorum civitatum epis- « copalium. »

Idem auctor (loco citato, pag, 112) sic adnotat : « Licet « antiquissimum sit parochiæ nomen ad ecclesias de quibus « agimus indicandas, parochi e contrario vocabulum hac in « significatione recens prorsus est, et primo proximis solum- « modo superioribus sæculis usurpatum. »

« Nec enim me latebat (ait Petavius) παροικίαν olim pro tota « diœcesi vel territorio unius episcopatus accipi : ut in An- « cyrano illo canone 17 sumitur, quem supra commemora- « vimus (1). Et in canone apostolorum 14 : *Episcopo non* « *licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere*; *licet* « *cogatur a plurimis*. Sic in canone 35, ubi παροικίαν diserte « pro episcopatu sumit ab eaque τὰς χώρας, id est, subjectas « ipsi villas distinguit, nam præcipit Episcopis suis esse con- « tentos finibus, nec agere quidquam præter metropolitani « conscientiam, *quam illa sola singulos, quæ parochiæ pro-* « *priæ et villis quæ sub ea sunt competunt*... Sic canone se- « quenti *subjecta Episcopo civitates et villas* nominat. Quem- « admodum et Antiochenus canon 9, *unumquemque jubet* « *Episcopum habere suæ parochiæ potestatem*. Et canone 21 : « *episcopus ab alia parochia nequaquam migret ad aliam*. « Quin etiam Hieronymus in epistola ad Pammachium, contra « Joannem Hierosolymitanum pro diœcesi *parochiam* usurpat: « *Ostende nos*, inquit, *in parochia tua habere Episcopum*. « Ubi notandum venit *parochiæ* nomem, quod ex græco « παροικίας usu deflexum est : quo, ut vidimus, passim Diony- « sius Exiguus utitur... »

« Sed præter hanc nominis πάροικίας notionem, altera est

(1) Canonem illum citaverat Petavius capite præcedenti, n. 8, hoc modo : « Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia in « qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias, et vim « præsulibus earum inferre, seditiones adversus eos excitando ; hos abjici « placuit. »

« qua nom totam diœcesim, sed diœcesis particulam signi-
« ficat. Adeo ut plures sint in tota parœcia sive diœcesi mi-
« nores, vel, ut Tertullianeo vocabulo utar, *portionales*
« *parœciæ*; atque ita plurali numero τὰς παροικίας latine *paro-*
« *chias* dicimus. Ut in majoribus oppidis et civitatibus plures
« sunt ecclesiæ, quarum singulis certæ domus ac familiæ
« contributæ sunt, quas hodieque *parœcias*, et qui iis præ-
« sunt, *curatos* nominamus, quod penes eos cura sit: quos
« latine magis *curatores* appellare liceat. » (Petavius, *Theolo-*
gicorum dogmatum, de Ecclesiastica hierarchia, lib. 2, caps
12, n. 2 et 3.)

Ad quæstionem, *unde nomen parochi*, respondet Leure-
nius: « Arbitrari quosdam parochi nomen in Ecclesiam tra-
« ductum a gentilium parochis (quales dicebantur qui ad
« salem lignaque, hoc est, rerum omnium copiam, Regum;
« principum ac populorum legatis Romam missis, suppedi-
« tanda destinati); eo quod episcopali auctoritate illi præ-
« fecti, ut plebi verbi divini ac, sacramentorum pabulum
« præbeant: et his favet verbi etymon, deductum a græco
« παρέχω quod *præbere* significat. Alii nomem parochi deri-
« vant a græco πάροικος, quod accolum seu incolum, uti et
« parœcia (quo nomine jam olim tempore divi Augustini in
« eodem sensu ecclesiastico, quo modo usurpatur, usos
« fuisse christianos, ex eodem Augustino, I. 14 *de Civit.*,
« testatur Barbosa) accolarum conventum seu habitationem
« significat: eo quod tali habitato suisque limitibus clauso
« districtui ad gerendam animarum curam præficiatur pa-
« rochus. » (*Forum beneficiale*, tom. 1, quæstione 142.)

§ II.

Vox parochus recentioris ævi est: vox autem parochia ad designandam certam diœceseos partem jam ab antiquo usurpata: frequentiori tamen et constanti usu ad totam designandam diœcesim parochiæ vocabulum antiquitus adhibitum est.

Duæ priores propositionis partes satis patent ex adductis uperiori paragrapho; nec est cur iis demonstrandis immo-

remur, cum in quæstionem non vocentur. Vocis autem *parochiæ* ad designandam diœcesim usurpatio valde attendenda est; ne forte dum in veteri aliquo monumento ea vox occurrit, at ad aliquam civitatem episcopalem referri videtur statim putet quis concludendum, exstitisse tunc temporis in ea civitate parochias, juxta hodiernum sensum intelligendas. Hinc tertiam propositionis partem tantisper documentis firmandam duximus.

Antiquius porro monumentum, in quo vox parochia ad totam designandam diœcesim usurpata reperitur, est epistola encyclica ecclesiæ Smyrnensis de martyrio sancti Polycarpi ejus Episcopi et Apostolorum discipuli; sic enim epistola illa inscribitur: *Ecclesia Dei quæ apud Philadelphiam versatur, et omnibus ubique terrarum et catholicæ ecclesiæ parœciis, misericordia, pax, etc.*

In epistola secunda sancti Clementis iterum reperitur vox parochia ad significandam diœcesim usurpata.

Item in canone Apostolorum 13: *Episcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere.*

Item constitutionum apostolicarum libro 7, capite 47, ubi de Episcopis per civitates ordinatis sic habetur: *Hi sunt quos parœciis Domini præficimus.*

Liber Pontificalis, in vita sancti Xisti circa annum 117, sic habet: *Constituit ut quicumque Episcopus evocatus fuerit ad Sedem Romanam Apostolicam, rediens ad parochiam suam non suciperetur nisi cum formatis.* Formatæ autem olim vocabantur litteræ testimoniales.

Concilium Sardicense anni 342, canone 15: *Si quis Episcopus ex alia parochia velit alienum ministrum sine consensu proprii Episcopi in aliquo gradu constituere, irrita et infirma ejusmodi constitutio existimetur.*

Sanctus Cyrillus parochiam vocat diœcesim Hierosolymitanam (Catech. 14). Hieronymus eadem voce memorat diœcesim Barcellonensem (Epist. 37 ad Ripar.). Eusebius item parochiarum voce utitur ad Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanamque ecclesias seu diœceses designandas (*Hist.*, cap. 1; lib. 3, cap. 2 et 14; lib. 7, cap. 29).

Sanctus Celestinus Papa circa annum 423, decreto 1, prohibet, ne quis Primas, Metropolitanus aut Episcopus quidquam agat in alterius *parochia*, nisi ab Episcopo illius civitatis vocatus.

Concilium Antiochenum (circa annum 450), canone 18: *Si quis Episcopus ordinatus... et in parœciam in qua ordinatus est non eat*, etc.; vide etiam ejusdem synodi canones 3 et 9.

Aput Gratianum (XV, q. 7, *Piæ mentis et Frigentius)* duo referuntur sancti Gelasii Papæ, in quibus ille Pontifex, Episcopum quemdam alloquens, utitur hac formula, *in parochia tua* (anno circiter 492).

Quam locutionem Anastasius Papa II adhibet in sua epistola 9 ad Galliæ Episcopos, anno 406.

Provincia Epiri, multis constans diœcesibus, *parochiæ* nomine designata occurrit in epistola synodica Episcoporum Epiri anni 512 (Mansi, tom. 8, col. 494).

Sanctus Hormisdas Papa, epistola 9, provinciam pariter parochiæ nomine designat: Episcopos enim alloquens et de eorum Primate agens sic habet: *Tunc Beatus Eugenius parœciæ vestræ obtinens Principatum*. Item epistola 25 diœceses parochias vocat. Et in instructione suis legatis tradita (apud Mansi, conciliorum tom. 8, col, 442) dicit: *Episcopus Constantinopolitanus directis præceptionibus Episcopis suis parœcialibus (*suffraganeis nempe suæ Metropoleos), *vel cæteris Metropolitanis.*

Anno 517 sanctus Avitus Viennensis Archiepiscopus synodum convocat pro mense septembris in *parochia Epaonensi*; ubi etiam parochia pro diœcesi videtur intelligenda.

Concilium Toletanum III anni 589, canone 9, diœceses pariter parochias vocat. Quem loquendi modum reperies etiam apud Surium iu vita saucti Gaugerici Cameracencis Episcopi, et in vita sancti Audoeni (Surius, mens. aug.)

Anno 619 concilium Hispalense canone 1 parochiæ nomine diœceses appelat.

Item concilium Toletanum 9 anni 655, canone 5.

Item anno 669 sanctus Adeodatus Papa, in sua ad Galliæ Episcopos epistola.

Item octavo sæculo passim in suis epistolis Gregorius II, Gregorius III, Zaccaria. et Adrianus I. Gregorius III, verbi gratia, ad exprimendam divisionem in quatuor Episcopatus sic habet: *In quator parochias ut unusquisque Episcopus suam habeat parochiam* (apud Surium, mense junii, pag. 154).

In concilio Cloveshoviensi anni 747, canone 20, et *inexcerptionibus* Egberti numero 28, commendatum Episcopis reperies ut curent ecclesias *in sua parochia* bene ordinari.

Concilium Vernense anni 755, canone 3, loquitur de potestate Episcoporum *in sua parochia* supra clericos et regulares. Vide etiam ejusdem synodi canonem 13,

Item concilium Narbonense anni 788.

Item concilium Francofondii anni 794, titulo 6, ubi habetur *ut Episcopi justitias faciant in suis parœciis.*

Item rex Merciorum Kenulphus anno 795, in sua epistola ad Leonem III (Mansi, tom. 13, col. 959).

Item Venerabilis Beda (*Vita sancti Cuthberti*, cap. 29, 33, 34)

Item sanctus Gregorius Turonensis.

Item in tertio fragmento epistolæ Caroli Magni apud Mansi edito (tom. 16, col. 601), in quo habetur: *in singulis Episcoporum parochiis.*

Item in capitularibus Caroli Calvi (tit. 28, et tit. 34, anni 859).

Item in capitulari Theodulphi Aurelianensis Episcopi anni 797, quod capitulare dicitur factum pro sacerdotibus *parœciæ suæ*, et inscribitur: *Theodulphus fratribus et compresbyteris nostris Aurelianensi parochiæ.*

Item nono sæculo Garibaldus Leodiensis Episcopus epistolam dirigit ad clerum suum his verbis: *Omnibus parochianis nostris*; et aliam epistolam mittit sub hac inscriptione: *Omnibus presbyteris, qui in parochia nostra consistunt* (apud Mansi, tom. 13, col. 1084).

Item concilium Turonense anni 813, canone 13: *Unusquisque Episcopus parochiam suam perscrutari nitatur.*

Item in quodam statuto Lotarii imperatoris (apud Mansi, tom. 14, col. 48), agendo de quibusdam delictis, jubetur delinquentem recludi in aliquo monasterio Episcopi, *in cujus parochia est.*

Item in concilio Parisiensi anni 829 diœcesis semper voce parochiæ designatur.

Item in Carisiacensi anni 837.

Et Meldensi anni 845, canone 50.

Et in Patavino anni 850, atque Vintoniensi ejusdem anni.

Et in Ticinensi anni 855.

Item in capitulis Hincmari Rhemensis anni 852, et in epistola ejusdem ad clerum suum (apud Mansi, tom. 15, col. 499).

Item in concilio Tricassino anni 867; et in Vormatensi anni 868, canone 62.

Item in Pontigonensi anni 876, canone 6; et in Mogontino anni 888, canone 14.

Item in constitutionibus Riculphi Suessionensis Episcopi anui 889.

Item in synodo Forocheimensi anni 890.

Item in Nannetensi, canone 7 et 15,

Item in epistola Sergii III Papæ anni 906.

Item apud Flodoardum (qui initio sæculi 10 scripsit) vox parochia ad exprimendam diœcesim usurpatur (lib. 1 *Hist.* cap. 12 et passim.)

Item in epistola synodica Raterii Veronensis Episcopi versus annum 932.

Item in synodo Landavensi anni 950.

Item in quadam synodo Normanniæ ejusdem ævi (apud Mansi, tom. 19, col. 432).

Item in vita sancti Anselmi Cantuariensis (lib 2) ubi narratur, ei apud Lugdunum exulanti ab archiepiscopo Lugdunensi datam facultatem fuisse, *ut episcopale officium per totam parochiam suam pro velle exerceret*; unde et multi confluxere, ut a sancto Anselmo sacramentum confirmationis acciperent

Permansisse eumdem loquendi usum anno 1006 videri potest apud Mansi (tom. 19, col. 284, 285 et 286).

Item reperitur in synodo Saligunstadiensi anni 1022; et Lemovicensi anni 1031.

In vita sancti Ugonis abbatis Cluniacensis habetur: *Sanctus Hugo tradidit hominem illum in manus Rocleni Episcopi Cabilonensis, cujus parochiæ erat.*

In epistola 3 Leonis IX anni circiter 1049, parochia pro designanda tota provincia metropolitana adhibetur.

Item parochiæ vocabulum pro designanda diœcesi reperies usurpatum anno 1051 (apud Mansi, tom. 19, col. 797); et in epistola 2 Stephani IX Papæ, et in titteris Alexandri II (apud Mansi, tom, 19, col. 946).

Item frequenter apud sanctum Gregorium VII qui ad pontificatum assumptus est anno 1075.

Item in epistolis 19 et 48 Urbani II anni 1088; et in omnibus fere epistotis Pascalis II, anno 1099.

Perrexit idem usus sæculo duodecimo, ut generatim videri potest pervolvendo tomos Mansi 20 et 21. Imo in concilio Lateranensi IV anni 1215, canone 3 occurit adhuc *propria parochia* in sensu propriæ diœcesis.

CAPUT II.

QUÆ NOTÆ IN MONUMENTIS ANTIQUITATIS REPERIRI DEBENT, UT CONCLUDI POSSIT IN IIS MENTIONEM FIERI DE PAROCHO PROPRIE DICTO.

1° Necesse est agi de aliquo presbytero curam animarum habente. Id enim proprium et essentiale est parochorum officii, ut alicujus populi curam spiritualem gerant, verbi uempe divini pabulo animas nutriendo, et sacramenta ministrando.

2° Hæc tamen nota non sufficit ut statim coucludi possit parochum fuisse eum presbyterum, qui tanquam curam animarum gerens in aliquo antiquo monumento exhibetur; sed requiritur insuper ut is ab Episcopo distinctus sit. Nam Episcopus etiam, et quidem maxime, curam animarum totius suæ diœceseos gerit, quin tamen sit parochus in stricto hujus vocabuli sensu. Per parochum nempe intelligitur ille qui curam animarum quoad certam dumtaxat diœcesanorum partem non autem quoad totam diœcesim gerit. Unde ex eo quod in veteri aliquo monumento agatur de sa-

cerdote curam animarum gerente, argui nequit hunc fuisse parochum, nisi simul exibeatur tanquam ab Episcopo diversus, et in certam aliquam plebem, non autem in totam diœcesim, dictam animarum curam exercens: præsertim cum apud eruditos exploratum sit, sacerdotis, pastoris, doctoris, atque etiam presbyteri nomine donatos identidem antiquitus fuisse Episcopos.

3° Sed neque satis est aliquem sacerdotem, ab Episcopo diversum, in antiquis documentis exhiberi tanquam animarum curæ incumbentem, ut continuo parochum eum fuisse argui valeat. Requiritur insuper ut animarum cura in certam plebem ipsi commissa fuerit *per modum stabilis officii* non autem *transitorie* ad supplendum impeditum Episcopum, qui cæteroquin soleat quoad hanc plebem per seipsum curæ munia explere. Porro quod antiquitus soliti sint Episcopi, animarum curam per seipsos exercere, et ubi sustinendo labori impares forent, ex presbyteris suis modo hunc modo illum ad explendas vices suas deputare, apud eruditos explorata res est. Unde ad arguendum extitisse olim parochos, satis non est in veteri aliquo monumento legi aliquem presbyterum exercendis muniis ad animarum curam pertinentibus operam navasse. Si enim (prout frequens erat) deputatus legatur ad dicta curæ munia aliquis cathedralis ecclesiæ clericus, seu (quod idem est, prout in tractatu *de Capitulis*.ostensum a nobis fuit) aliquis canonicus, ut modo apud hanc, modo illam plebem vices suppleret Episcopi, tum in spargendo divini verbi semine, tum in ministrandis sacris mysteriis; atque ejusmodi deputatio intelligi possit tanquam mere transitoria, nec necesse inferat officium aliquod jam tunc jure receptum et firmatum, vi cujus curam exercendam habuerit; non magis ejusmodi presbyter parochus fuisse censendus erit, quam parochus hodie censetur missionnarius aliquis ab Episcopo ad aliquam parochiam missus, ut ibi quadragesimales conciones habeat, et fideles ad ipsum recurrentes sacra exhomologesi expiet.

4° Insuper, sicut hodie parochorum vicarii omnia fere munia ad curam animarum pertinentia exercent, et tamen

nequaquam parochi sunt, ita qui legitur antiquitus ejusmodi munia obiisse parochus dicendus non erit, nisi constet deputatum eum fuisse ad *principaliter* exercendam sub Episcopo curam, non autem dumtaxat ad auxiliandum alteri, cui cura commissa sit.

5° Ex eo vero quod olim mos non fuerit presbyteros ordiuare nisi ad certum titulum et certum officium, perperam concluderetur parochum fuisse eum qui legitur aliqua curæ munia obiisse. Nam presbyteri cathedrales, seu canonici, etsi ad titulum cathedralis ecclesiæ ordinati, Episcopo in civitate et per totam diœcesim auxiliabantur in exercenda animarum cura; nec tamen ipsi parochi erant, cum commissa cuique ipsorum per modum stabilis officii non foret in certam aliquam plebem cura. Et pariter ordinati ad custodienda martyrum oratoria, in civitatibus erecta, seu ecclesias a cathedrali distinctas, atque ad fundendas inibi preces, potuerunt indentidem ab Episcopo in auxilium pastoralis curæ modo huc modo illuc advocari. Unde revera ex eo solo quod quis referatur aliqua curæ munia antiquitus exercuisse, inferri nequit parochis eum esse adnumerandum.

6° Atque hinc jam satis introspici potest, quam arenoso fundamento nitatur infra explodendum systema parochialis tarum, qui satim ac in antiquis monumentis in aliquem offendunt, qui curæ animarum munia quoquomodo expleverit, vel etiam ipsam solam *sacerdotis*, vel *presbyteri Pastorisve* vocem descriptam vident, extitisse jam tunc parochos inclamant, et Ecclesiæ coætaneam parochorum institutionem concludunt.

Non legitima certe conclusio hæc : sed ad probandum hac vel illa ætate extitisse parochos, ostendendum omnino est, jam tum commissam presbyteris fuisse in certas diœceseos partes animarum curam, vel proprio nomine (non autem vicariaiiter seu nomine alterius) exercendam, vel (si nomine et vice Episcopi) per monum saltem officii stabilis, non vero transitoriæ missionis et deputationis.

Quanam vero ætate ita constitui parochos contigerit antequam expendamus, abs re non erit subjicere quod Marius Lupus, idem argumentum tratacturus, sic prænotabat.

« Majoris perspicuitatis gratia, quæ præcipue in defini-
« tionibus requiritur, non unam sed duplicem pro tempo-
« rum diversitate proferam definitionem, ut omnis cavil-
« landi amoveatur occasio. Antiquissimis itaque Ecclesiæ
« temporibus ad quartum usque salustis sæculum, paro-
« chiarum nomine intelligo dispertitos quorumdam fidelium
« peculiares cœtus, qui liturgicis diebus alicubi apud pres-
« byteros eisdem præsidentes, et seorsim ab Episcopo sacra
« facientes, legitime convenire consueverant, conventum
« scilicet habere. Quod ad reliqua vero sæcula usque ad
» annum millesimum, quo consistam, attinet, parochias de-
« finio, ecclesias a cathedrali distinctas, cum eisdem attri-
« butis regiunculis, quæ eodem nomine censebantur, in quibus
« congregabantur fideles in illo tractu degentes, et a pres-
« bytero ab Episcopo ipsis, aut ordinatione aut alia ratione,
« præposito, eidemque subjecto, ex injuncto proprio munere,
« dominicis festisque diebus publica missarum peragebantur
« solemnia, et christianæ religionis ministrabantur sacra-
« menta : seu strictius peculiares ecclesias in quibus a pres-
« bytero, seorsum ab Episcopo, cum christiana plebe eidem
« credita ex officio sacri habebantur legitimi conventus. »
(In præfatione operis *de Paræciis*, pagina IV.)

Equidem Benedictus XIV (*de Syn. diœcesana*, l. 3, c. 5, n. 1) existimavit *presbyteri* vocabulum ad designandos parochos antiquitus fuisse usurpatum. Adductis enim nonnullis documentis, in quibus occurit denominatio hæc, sic adnotat : « Quibus in locis. sicuti *et in aliis vetustis canonibus*, sa-
« cerdotum et presbyterorum nomine parochos designari
« advertit Van-Espen. »

Sed memoria recolendum quod in citati operis præfatione prænonet clarissimus Pontifex, non ea mente ase editum hoc opus, ut suæ ibi expositæ sententiæ aliam quam privati scriptoris auctoritatem haberent; ast eo dumtaxat consilio, quo sua *commentaria* in decretales evulgavit olim Innocentius IV, qui *facile passus est* (sunt ipsiusmet Benedicti XIV verba) *opiniones suas quas tanquam privatus doctor proposuerat ab aliis doctoribus oppugnari*. Cum ergo hac in re laudato Pontifici non assentiant doctores gravissimi (prout Marius

Lupus, Nardus, aliique priorum subselliorum viri), non est cur non liceat hanc ejus sententiam deserere; eo vel magis quod non alia illam auctoritate fultam proponat, quam schismatici Van-Espenii; cujus doctrina, non in alia forsam magis, quam in hac de parochis materia erronea fuit atque pestifera.

CAPUT III.

PRIORIBUS ECCLESIÆ SÆCULIS NULLUS IN MUNDO EXTITIT PAROCHUS.

Ad probandam hanc thesim duo stabiliemus: 1. certam et constantem prioribus Ecclesiæ seculis viguisse disciplinam, ut fideles diœceseos omnes, tum iitra, tum extra episcopalem civitatem degentes, nonnisi cum Episcopo sacrum conventum seu sacram liturgiam celebrarent; 2 inde autem evinci nullos tunc temporis extitisse parochos.

§ I,

Prioribus Ecclesiæ sæculis instar legis ubique vigentis fuit, ut fideles, tum intra, tum etiam extra episcopalem civitatem degentes, nonnisi apud Episcopum sacros conventus sacramve liturgiam celebrarent.

Probatur 1° Eruditorum auctoritate. — Unanimem hac de re præclarissimorum scriptorum sententiam sic memorat Marius Lupus, in suo laudato volumine, *de Parœciis ante annum* 1000 (diss. 2, capite 5, pagina 173, edit. Bergomi):

« Complures eruditissimi et primi subvellii viri unanimes « tradidere, et locupletissime in medium allatis antiquorum « testimoniis confirmarunt, Christi fideles unius civitatis, et « antiquissimis temporibus etiam proximorum agrorum, ad « sacram celebrandam liturgiam quocumque tandem loco,

« aut in ipsa urbe, aut in suburbanis, penes Episcopos... « (quotiescumque per gentiles licebat) in unum convenisse. « Idem servatum peræque fuisse, postquam præter unum « primo templum proprie dictum, in urbibus ædificari cæptæ « sunt quædam aliæ sacræ ædes : nam nihilominus ad eam « solummodo in qua Episcopus sacra faciebat accurrebant, « ibique tantum celebrabatur synaxis. Hunc vero morem « etiam data à Constantino pace quarto sæculo perdurasse « plerique censuerunt. Horum clarissimorum auctorum « longum sane indiculum contexere possem ; sed ut he- « tero-doxos cæteroquin eruditissimos complures omittam, « inter catholicos paucos quosdam solum commemorare sit « satis ; nempe Christianum Lupum, Sirmondum, Valesium « Morinum, Pagium, Fleury, et Thomassinum. Insuper doc- « tissimi viri qui de liturgicis egerunt rebus, tradunt « presbyteros urbicos non solum apud Episcopum con- « venisse omnes liturgicis diebus, cum diaconibus et cæteris « clericis populoque, sed una cum eodem Episcopo missam « celebrasse et eucharistiam confecisse, eo propemodum « pacto quo nunc usurpatur in presbyterorum Ordina- « tionibus, et generatim apud Græcos adhuc usu receptum « est. »

Probatur 2°. Directe ex antiquis monumentis. — Justinus martyr (in *Apologia 2*) : *Solis die, omnium qui in urbibus, vel in agris degunt, in eumdem locum conventus fit... Præpositus præest et Eucharistiam facit... Distributio fit cuique præsenti : absentibus per diaconos mittitur.* Hæc verba thesim plenissime evincunt. Nonnulla tamen alia documenta subjungemus, quibus pateat disciplinam ejusmodi etiam post sanctum Justinum perdurasse. Tertullianus (libro de fuga, capite 3) : *Sed quomodo colligemus, inquit quomodo dominica solemnia celebrabimus? Habes noctem luce Christi luminosam : non potes discurrere per singulas, sit tibi in tribus ecclesia : melius est turbas tuas aliquando non videas, quam addicas.* Ibi Tertullianus, jam in Montanistarum hæresim misere lapsus, catholicos Episcopos reprehendit, quod, persecutionis tempore, pecunia redimerent facultatem colligendi fideles et dominica solemnia celebrandi. Probat autem

ille textus, adeo fuisse Episcoporum morem fideles omnes in unum colligendi, ut numerata pecunia hoc impetrare non dubitaverint.

Sanctus Ignatius martyr: *Si enim unius aut alterius precatio tantam vim habet, quanto magis illa quæ Episcopi est et totius Ecclesiæ. Qui igitur in conventum non venerit, jam superbia elatus est, et seipsum separavit et judicavit* (epist. ad Ephes., n. 5). *Date igitur operam ut sæpius congregemini ad gratias Deo agendas... Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires satanæ* (ibid., n. 23). *Omnes in gratia nominatim congregamini communiter* (ibid., n, 20). *Ita neque et vos sine Episcopo et presbyteris quidquam agite ; neque operam detis ut quidquid vobis seorsum rationi videtur consentaneum; sed in unum convenientibus una sit oratio, una deprecatio, una mens... Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare* (epist. ad Magnesianes, n. 6). *Operam detis ut una Eucharistia utamini; una enim est caro Domini Nostri Jesu-Christi, et unus Calix, unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyteris et diaconis* (epist. ad Philadelphios, n. 4). *Crebrius conventus fiant, nominatim omnes inquire, servos et ancillas ne superbe contemnas* (epist. ad Polycarpum, n. 4).

Canon apostolicus, 32, ex versione Dionysii Exigui: *Si quis presbyter contemnens Episcopum suum, seorsum collegerit, et aliud altare erexerit, nihil habens quo reprehendat Episcopum in causa pietatis et justitiæ, deponatur quasi principatus amator existens; est enim tyrannus; et cæteri clerici quicumque tali consentiunt, deponantur ; laici vero segregentur: hoc autem post unam et secundam et tertiam obsecrationem fieri conveniet,* Hervetus ita vertit: *Si quis presbyter contempto proprio Episcopo seorsum congregationem fecerit, et alterum altare fixerit... deponatur, ut imperium obtinendi cupidus: est enim tyrannus, etc.* Luculentissime probat canon ille nullas adhuc hoc tempore (id est tertio aut forte etiam quarto sæculo) exstitisse parochias, sive in civitatibus episcopalibus, sive extra eas. Nam, ut scitissime animadvertit Thomassinus (parte 1, lib. 2, c.

21, n. 4): « Si in urbe vel ruri plures fuissent ecclesiæ pa-
« rochiæque, ad quas coiret populus, et in quibus presbyter
« sacra celebraret, illis certe verbis ad significandum
« schisma usi non essent majores nostri ; nec illum dicerent
« ferocire in Episcopum, et rebellare velle, ecclesiamque
« conscindere, qui alibi conventum faceret quam ubi adesset
« Episcopus, aut qui erigeret altare aliud, ab eo diversum
« ubi Episcopus celebraret. »

Concilium Antiochenum, anni 341, canone 5: *Si quis presbyter aut diaconus Episcopum proprium contemnens, se ab ecclesia sequestraverit, et seorsum colligens altare constituit, et commonenti Episcopo non acquieverit, nec consentire vel obedire voluerit semel et iteruu vocanti, hic damnetur omnimodo, nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem : quod si ecclesiam conturbare et sollicitare persistat, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur* (ex versione Dionysii Exigui). Quem locum ita retulit Isidorus Mercator : *Si quis presbyter vel diaconus contempto suo Episcopo, seipsum ab Ecclesia segregaverit, et privatim apud se collectis populis altare erigere ausus fuerit..., hunc modis omnibus deponendum.,. Quod si etiam perseveraverit conturbans et concitans Ecclesiam, per eam quæ foris est potestatem tunc tanquam seditiosum corripi oportet.* Ex hoc canone idem prorsus concludendum ac ex superiori canone apostolico.

In concilio Carthaginensi secundo, anni 390 (in codice africanorum canonum. n. 10 et 11) postquam ita proposuisset Felix Episcopus : *Si quis forte presbyter, ab Episcopo correptus, tumore vel superbia inflatus, putaverit separatim sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contra ecclesiasticam fidem vel disciplinam crediderit, non exeat impunitus ;* et Genesius Episcopus sententiam suam protulisset his verbis : *necessario disciplinæ ecclesiasticæ et fidei congrua sunt ;* sancitum est decretum in hunc modum : *Si quis presbyter a præposito suo correptus..., superbia (quod absit) inflatus, secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, et separatim cum aliquibus schisma fecerit, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur et locum*

amittat; *nihilominus et de civitate et congregatione in qua fuerit longius depellatur, ne vel ignorantes vel simplices mentes serpentina fraude decipiat; quoniam, secundum Apostolum, Ecclesia una est, una fides, unum baptisma* (1) Ex præcitatis canonibus concludit Marius Lupus, « hos ca-« nones, antiquiorem confirmantes disciplinam, separatos « sacros conventus seorsum ab Episcopo in civitatibus in-« terdixisse et nefarios declarasse; ideoque apertissime fidem « facere, cum conditi aut confirmati fuere, nullas in urbibus « justas fuisse parochias (*de Paræciis*, dissert. 2, cap. 6, pag. 201, editio Bergomi 1788). Objectiunculam autem quæ fieri posset, in his nempe canonibus animadverti contra conventus sacros qui a presbyteris seorsum ab Episcopo fierent schismatis de causa, non vero contra synaxes seu conventus sacros omni schismatis suspicione immunes, diluit Marius Lupus, ibidem pagina 204.

Capitulare Theodulphi Aurelianensis Episcopi anni 797 (apud Labbe, tom. 9, pag. 196, editio Veneta) ita habet capite 1 : *Sancitum est ut missæ, quæ per dies dominicos peculiares a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant ut populus eas audire queat...; ut omnes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam ad missarum solemnia, et prædicationem audituri, conveniant.* Et cap. 2*: Simul et hoc statutum est, ut in civitate in qua Episcopus constitutus est, omnes presbyteri et populi, tam civitatis quam etiam suburbani revestiti ipsa in missa usque ad benedictionem Episcopi et communionem devota mente stare debeant: et postea si voluerint ad suos titulos benedictione et communione percepta revertantur. Et hoc summopere cavendum est sacerdotibus, ut per oratoria neque per suburbana monasteria, vel ecclesias suburbanas missas nequaquam, nisi tam caute ante secundam horam, foribusque reseratis* (id est clausis), *celebrare præsumant; ut populus a publicis solemnitatibus, tali occasione accepta, a missa sive prædicatione Episcopi se minime subtrahere possit. Sed omnes, tam sacerdotes*

(1) Confirmatus fuit ille canon in concilio Carthaginensi sexto anni 510.

suburbani quam et in urbe constituti, et populus cunctus unam cum illis ad publicam missarum celebritatem conveniant; et nulli extra parvulos et infirmos, licet missam auditam habeant, tam in civitatibus quam in parochiis edere vel libere præsumant, ante publicum peractum officium. Si quis hæc statuta transgredi tentaverit canonico judicio usque ad satisfactionem subjaceat (vide etiam cap. 45 et 46 majoris ejusdem Theodulphi capitularis).

§ II.

Exposita priorum sæculorum disciplina, de sacris conventibus a totius diœcesis fidelibus apud Episcopum celebrandis, plene evincit nullos tunc temporis exstitisse parochos.

Nam si exstitissent, sive intra sive extra civitatem episcopalem, parochiæ et parochi, liberum fuisset fidelibus in sua quique parœcia sacram liturgiam celebrare, divinum verbum audire, eucharistiæ et baptismatis sacramenta recipere. Hæc porro nec facta fuisse, nec fieri licuisse adducta antiquitatis documenta luculenter demonstrant. Ergo revera prioribus Ecclesiæ temporibus, et quamdiu viguit de peragendis cum Episcopo sacris omnium diœcesanorum conventibus, inducta nondum fuerat parochiarum et parochorum institutio. Erat nempe Episcopus veluti unicus totius suæ diœceseos parochus; opera quidem utens presbyterorum et diaconorum ad supplendum sibi, quoties impeditus ipse foret; sed pro libitu eos mittens et revocans, nulli autem in certam diœceseos partem animarum curam per modum stabilis officii committens. Id antiquitatis monumenta pervolventi, id Thomassin, Marii Lupi, Nardi, aliorumque eruditorum hac de re scripta lustranti, certo certius videbitur. Ut proinde merito Ferraris : « Parochiæ antiquitus non erant distinctæ : sed Epicopus curam « animarum totius diœcesis, per sacerdotes pro suo libitu mis- « sos, et ad nutum amovibiles, administrabat » (voce *parochia*, n. 7).

CAPUT IV.

PAROCHIAS RURALES QUARTO CIRCITER SÆCULO CONSTITUI CŒPTAS. (REMISSIVE AB ERUDITORUM DISQUISITIONES.)

Prioribus quidem Ecclesiæ temporibus, neque ruri, neque in civitatibus, ullas exstitisse parochias, et facile probant, et concorditer jam admittunt clariores quique recentioris ævi scriptores. Item multo ante inductam ruri, quam in civitatibus, parochiarum institutionem extra controversiam apud ipsos ivit : de quo (ut unum ex multis adducamus) sic habet Petavius . « Hujusmodi ergo parœciarum institutum, vel ut « vulgo loquuntur, parochiarum, dixi in animadversionibus « ad Epiphanium, prius in agris et extra urbes, quam in « urbibus usurpatum videri. Quippe primis Ecclesiæ tempo- « ribus, antequam adeo numerosa seges exstaret sementis « evangelicæ, primi illi conditores ecclesiarum bifariam ope- « ram suam et operæ administros partiti videntur ; in urbem, « et urbi adjunctum territorium. Atque intra muros quidem « una sufficiebat ecclesia, vel Oratorium, aut Dominicum, « ad synaxes et sacros conventus habendos. Extra urbem « autem, et in agro illi contributo, quod propter longin- « quitatem una congregandis omnibus non satis esset ecclesia, « complures factæ sunt, in quas paullatim territorium omne « distributum est ; et ita plures ortæ sunt parœciæ, quas « græci χώρας et παροικίας, latini *regiones* et *villas* et *parochias* « nuncuparunt. » (Petavius, *Theologicorum dogmatum*, *de Ecclesiastica hierarchia*,, lib. 2, c. 12, n. 3)

Atvero ipsa institutionis parochiarum initia cuinam præcise anno, vel etiam sæculo, adscribenda sint, non adeo perspicua res visa est. Æstimavit Thomassinus ad mediam sæculi quarti partem esse id instituti referendum. Marius autem Lupus (eruditus ille, ac a nobis sæpe laudatus Bergomensis canonicus) diligentiori oculo antiquitatum latebra rimatus, paulo antiquiora sibi videre visus est ruralium parochiarum vestigia. Ad quorum, et similium scriptorum hac de re dis-

quisitiones lectorem nos remittimus, præcipua ea (quæ ad scopum hujus operis sufficit) conclusione contenti, *initio* saltem *Ecclesiæ, et aliquo sæculorum tractu, nullas, et ne ruri quidem, parochias exstitisse.*

CAPUT V.

ANTE ANNUM 1000 NULLUM EXTITISSE PAROCHUM IN CIVITATIBUS EPISCOPALIBUS (ROMA FORTE ET ALEXANDRIA EXCEPTIS)

Mirationem et forte etiam stuporem nonnullis movebit assertûm hujusmodi; cum præsertim in regionibus non paucis diu viguerit de antiquissima (imo et apostolicorum temporum coætanea) parochorum urbanorum institutione opinio. Nihilominus tamen ex quo Marius Lupus, Bergomensis canonicus, præclaro suo (*de Paræciis ante annum 1000)* volumine, decimo sæculo recentiores urbanas parochias demonstravit, prudens quisque persentire potuit, actum esse de existimata illa parochorum antiquitate. Tanta enim, tamque invicta documentorum mole conclusionem suam laudatus auctor firmavit, ut eruditorum assensum sibi jam consecutus, et magis in dies consecuturus videatur.

Nobis autem idem argumentum præsenti capite tractaturis, non parva obsistit difficultas. Totam quippe documentorum copiam, quæ a Mario Lupo, et post ipsum a Nardo, comparata est, huc adduci et recenseri vix sinit tractationis nostræ ratio : qua tamen prætermissa (cum in ea consistat præcipua probandi vis), verendum ne nutans et male asserta conclusio videatur.

Cui difficultati ut faceremus satis, visum est eruditorum testimonio et auctoritate niti ; tum nonnulla argumenta, quæ absque magna textuum copia concinnari possint, subjungere ; sicque, licet aliquatenus indirecte, satis tamen firmata thesis

videbitur, quin *ex professo* quæstionem excutere et diutus in ea pedem figere cogamur.

§ I.

Certum est apud eruditos jam invaluisse persuasionem, in civitatibus episcopalibus (Roma forte et Alexandria exceptis) nullas ante annum 1000 exstitisse parochias.

Testes hac de re habemus moderniores Bollandistas, qui varias eruditorum de proposita quæstione sententias sic memorant :

« Nequaquam necessarium est ut hic in examen vocetur, « sintne parochi de jure divino, an de jure ecclesiastico ; in « qua versanda quæstione nullus forte majorem sibi laudem « promeruit, quam Cardinalis de la Luzerne, cujus opus « nuperius editum fuit (*des Droits et des Devoirs des Evêques « et des prêtres*, Paris, Migne, 1844). Neque inquirendum « nobis est, an parochiale munus et officium ortum sit... ex « institutione Christi Domini (Gersonius et facultas theolog. « Parisensis, apud de la Luzerne, opere citato, chap. 3, col. « 178, Migne, 1844) ; an tertio sæculo ; an vero quarto æræ « christianæ : hæc inquam problemata historica et theologica « omnino prætermittere licet, quoniam *omnes saniores cri- « tici in hoc conveniunt*, hæc tantum quæri posse de parœ- « ciis ruralibus et oppidis quæ Episcopum non habebant, « nequaquam vero de civitatibus episcopalibus.

« Porro de parœciis in ejusmodi civitatibus erectis, non- « nulla quoque inter eruditos controversia est. Thomassinus « (*Vet. et Nov. Disc.*, part. 1, l. 2, c. 21, n. 10 ; et cap. 22, « n. 1), et Natalis Alexander (*Hist. Eccles.*, sæc. IV, art. 7, « tom. 2 pag. 260, edit. Mansi) volunt sæculo quarto Romæ et « Alexandriæ plures fuisse parœcias ; licet iidem scriptores « nonnihil inter se pugnent de officiis parochorum, quos his « civitatibus assignant. Ad eamdem fere classem referendus « videtur doctissimus Binterim (Denkwiirdigk, *der Katol Kir-*

« *che*, tom. 1, part. 1, pag. 539 et seq.), qui etiam antiquio-
« ribus temporibus in patriarchalibus civitatibus Romæ,
« Alexandriæ et Antiochiæ parœcias exstitisse contendit. Ast
« Antiochiam expungendam esse, ex sancti Chrysostomi
« scriptis, ostendere conantur Tillemontius (*Mém. ecclés.,*
« *Hist. de saint Alexandre, évêque d'Alexandrie*, art. 12,
« tom, 6, part. 1, page 398, édit. 1709) et Cardinalis de la
« Luzerne (loco cit., col. 153). Neque magis admittendos esse
« veteres Romanos parochos, inter plerosque catholicos cons-
« tat ; quandoquidem parœciæ, quas in hac civitate quidam
« reperire voluerunt, nihil aliud sunt quam tituli Cardina-
« litii ; adeoque Cardinales Romanos nunquam fuisse paro-
« chos, fuse inter alios demonstrat eruditissimus Nardi (*dei*
« *Paroehi* tom. 2, pag. 151 et seq.) Cardinalis de la Luzerne
« concedit sæculo quarto Alexandriæ parochos exstitisse ;
« sed neque id admittit laudatus Nardi, statuens contrarium
« verisimilius esse (tom. 2, p. 484 et seq.) ; atque hic, cum
« Mario Lupi doctissimo viro, contendit in civitatibus epis-
« copalibus nullas parœcias exstitisse ante annum Christi
« 1000 ... Quæ sententia, ut primo conspectu incredibilis
« videatur, in dies plures nanciscitur asseclas ; neque huc
« usque feliciter tentata fuit ejus confutatio.. Et quidem, cum
« nuspiam aliquid unquam reperire nobis obtigit, quod ei
« opponi posset, libenter ei subscribimus ; civitatem Alexan-
« drinam tamen excipientes, quæ propter argumenta a Tille-
« montio (*Mém. ecclés., Hist. de saint Alexandre*, art. 12,
« tom. 6, pag. 397) adducta, sæculo quarto parochos aut
« quasi parochos habuisse videtur, licet aliqua tamen dubia
« nobis supersint. » (Ita Patres Jesuitæ, operis Bollandiani
in Belgio continuatores, in erudita confutatione cui titulus :
Examen historicum et canonicum libri Mariani Verhoeven,
tom. 1, pag. 138, edit. 1847 ; cujus operis, nondum editus
fuit secundus tomus.)

Huic modernorum eruditorum descriptæ sententiæ abs re
non erit eam annectere, quam suo tempore communiter re-
ceptam referebat Marius Lupi ; eam explosurus, et in me-
moratam novam, nunc vigentem, immutaturus :

« Plures sane (inquit ille) et discrepantes sunt de paro-

« chiarum etiam urbicarum institutionis tempore opiniones. « Vulgares canonistæ ad Dionysii Papæ ætatem circa dimi- « dium tertii sæculi ex apocrypha ejus epistola eamdem refe- « runt. Alii antiquiorem parochiarum originem statuerunt, « existimantes eas Dionysium solummodo confirmasse et auxis- « se. Nonnulli ad Anacliti Papæ tempora eas referunt, apo- « cryphæ pariter ejusdem epistolæ insistentes, in qua tamen « de ruralibus solummodo parochiis agitur. Quidam Clementi « Papæ I earumdem institutionem tribuendam existimarunt. « Nec defuere qui Apostolis ipsis eamdem adscripsere. Verum « parochiarum institutionem quarto demum consignavit « sæculo clarissimus Thomassinus, quem non pauci sectati « sunt, inter quos doctissimus Muratorius, Eamdem senten- « tiam, præ cætaris heterodoxis, amplexus est Bohemerus « (*de Jure parochiali*) ; in eamque propendere videtur Bin- « ghamus.

« His de tanta parochiarum urbicarum antiquitate opinio- « nibus diu multumque perpensis, unaquæque earum non « solum nullo mihi visa est niti antiquo et sincero documento, « quin immo omnes cum eorumdem compluribus apertissime « pugnare ; atque inter eas ipsamet Thomassini ; quamvis « non eo usque extendatur quo producta est a nonnullis, « comminiscentibus in singulis indiscriminatim civitatibus, « de quibus agimus, ipso quarto sæculo parochias et quidem « plures institutas fuisse ; sed etiamsi illæ adhibeantur limi- « tationes, quas docti supra memorati auctores, sin minus « vere, prudenter saltem apposuerunt (1). His itaque « dimissis, operæ pretium duxi omnimode diligenter inqui- « rere, quousque tandem antiquorum testimonia atque mo- « numenta, non exiguo sane labore coacervata, ostendant « parochias in urbibus desideratas fuisse... Ac mihi liquido « deprehendisse visum est, episcopales civitates (duobus « duntaxat, Roma et Alexandria exceptis) parochiis a cathe- « dralibus distinctis omnino caruisse usque ad annum Christi

(1) Limitant Thomassinus et Muratorius, ita ut *in majoribus tantum*, et non regulariter in omnibus civitatibus, a quarto sæculo parochiæ constitutæ fuerint.

« millesimum ; ita tamen ut quod ad posteriora quinque « sæcula attinet, solius occidentis disciplinæ inhæream : « orientalis namque ecclesiæ mores his sæculis mihi incom perti sunt. » (Marius Lupus, *de Parœciis ante annum* 1000, dissert. 2, cap. 1, pag. 132, edit. Bergomi.)

Ex adductis colligere lector potest, quomodo sese habuerit, et nunc sese habeat eruditorum de præsenti quæstione opinio. Post Thomassinum nempe communiter rejici cœpit antiquior sæculo quarto parochiarum institutio : imo nec dicto sæculo in omnibus civitatibus, sed in nonnullis duntaxat principalioribus, inductam existimatum est. In quam sententiam eruditi plerique communiter convenere, usque dum Marius Lupi, emunctæ (si quis unquam) naris vir, nimiam adhuc parochis antiquitatem concessam subolfecit, et ita suo opere demonstravit, ut nihil validum huc usque oppositum ei fuerit. Mario Lupo adhæsit, duobus editis *dei Parochi* voluminibus, nulla non mérita fama et ipse insignis Ludovicus Nardi. His, ut vidimus, moderni Bollandistæ plene consentiunt. Unde sicut antea cum Thomassino ab eruditis ad quartum sæculum rejiciebantur urbani parochi, ita nunc cum Mario Lupo eos ad undecimum rejiciendos eruditorum sententia dici potest,

§ II.

Non exstitisse parochias in civitatibus episcopalibus ante annum 1000 nonnullis argumentis demonstratur.

Prænotandum.—Quam falsum sit, quod sustinere solet parochistarum scriptorum turma, in omnibus nempe civitatibus jam ab antiquo parochias institutas, facile evincitur ex eo quod decimo sexto etiam sæculo iis urbes aliquot carerent. Quod sic adnotat Marius Lupi ; « Concilium Tridentinum (sess. 24, habita anno « 1563, cap. 13 *de Ref.*) sancivit : « *Ut Episcopi in iis civitatibus et locis, ubi nullæ sunt pa-* « *rochiales ecclesiæ, quamprimum fieri curent.* Ergo eodem « anno urbes exstabant in quibus nulla erat parochia. At ne

« tunc quidem ubique concilii decreto obtemperatum fuit ; « et adhuc consequenti sæculo septimo decimo nonnullæ, « utique in Italia, erant antiquissimæ etiam frequentes ma- « gnæque episcopales civitates, quæ parochiis prorsus care- « bant. Ineptissimum autem esset et deridendum, asserere « prioribus Ecclesiæ sæculis in iisdem parochias exstitisse, « et postmodum fuisse exstinctas. »(*De Parœciis,* dissert. 2, cap. 1, pag. 136, edit. Bergomi.)

Nobis autem hic probandum insumimus, non tantum non in omnibus, sed nec in ullis episcopalibus civitatibus per decem priora sæcula parochias exstitisee : exceptis dumtaxat (si tamen excipiendæ sint) Roma et Alexandria. Quo prænotato, sit :

Argumentum I. — *Ex eo quod vox parochia ad rurales dumtaxat designandas parochias usurpata reperiatur.* — Prioribus sæculis parochiæ vocabulo totam designatam fuisse diœcesim est eruditis omnino compertum. Nec minus certum est, constitutos postea ruri fuisse presbyteros, eisque assignatam suam cuique regiunculam, cujus curam spiritualem ageret ; atque ex tunc hujusmodi regiunculas, seu plebes in eis comprehensas, parochiarum nomine usuvenisse. Porro ex quo posteriori hoc sensu usurpari cœpit vox *parochia,* usque ad annum 1000, nunquam reperitur adhibita ad designandas ullas civitatum episcopalium parochias, sed exclusive (étiam quando absolute ponitur) parochias rurales designat (1) ; ita ut *parochiæ* idem omnino sint ac *parochiæ rurales* , seu extra civitatem episcopalem positæ. Id a se compertum, pervolutis summa diligentia monumentis, testatur Marius Lupus. Idem tanquam certum tradit Sirmondus : *Quanquam usus inolevit, ut parochiæ nunc aliæ sint urbanæ, aliæ rusticæ, aliter olim res se habuit* ; *nam rusticarum proprium id nomen erat, ideoque parochias civitatibus opponebant.* (*De Asimo,* cap. 5, tom. 4 operum.)

Res patet in canone 15 concilii Arvernensis, anni 535 (apud Labbe, tomo 4, columna 1806, edit. Parisiis 1671) : *Si quis*

(1) Excipiendæ tantum divisiones per titulos Romæ factæ, quas parochiarum nomine memorant aliqui inferioris ævi scriptores,

ex presbyteris aut diaconis, qui neque in civitate, neque in parochiis canonicus esse dignoscitur... Ibi clare parochiæ opponuntur civitati ; quod prorsus absonum foret, si exstitissent parochiaæ in civitate episcopali, et si per parochiarum vocabulum aliud intelligi potuisset quam parochiæ rurales, extra civitatem existentes.

Item concilium Agathense anni 506, canone 21 (apud Labbe, tomo 4, columna 1386, edit. Parisiis 1671), postquam permisit viros nobiles extra civitatem episcopalem in suis villis oratoria habere, ibique missæ assistere, ne cogatur eorum familia cum nimia defatigatione adire parochias *in quibus legitimus est ordinatus conventus*, ab hoc indulto excipit præcipuas anni festivitates hoc modo : *Pascha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem, et si qui maximi dies in festivitatibus, habentur, non nisi in civitatibus, aut in parochiis teneat.* Ibi iterum parochiæ opponuntur civitati ; et dum dicitur *nisi in civitatibus aut in parochiis*, idem sonat ac si diceretur : in ecclesia civitatis ubi præsidet Episcopus, aut in aliqua rurali parochia. Et revera prædictis diebus festivis, qui in civitate aderant tenebantur eas cum Episcopo celebrare, ut expresse habetur canone 63 ejusdem synodi : *Ut cives qui superiorum solemnitatum, id est Paschæ, Natalis Domini, vel Pentecostes festivitatibus, cum Episcopis interesse neglexerint (cum in civitatibus communionis vel benedictionis accipiendæ causa esse positos se nosse debeant), triennio à communione pellantur.*

Item libro septimo *Capitularium,* cap. 231 : *Statutum est, ut omnes presbyteri parochiæ ad civitatem, per turmas, et per hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas, conveniant discendi gratia ; ut aliqua pars in parochiis presbyterorum remaneat ; ne populi atque ecclesiæ Dei abseque officio sint, et aliqua utilia in civitate discant ; ut meliores ad parochias demum et sapientores atque populis utiliores absoluti revertantur ; et ibi ab Episcopo, sive a suis bene doctis ministris bono animo instruantur... et omnia quæ illi per parochias dicere, prædicare et facere debent...* Ibi certe vox *parochiæ* exclusive exprimit parochias extra urbem episcopalem positas, et probat nullas in civitate episcopali parochias

fuisse: nam absurdum fuisset decernere, ut omnes presbyteri parochiarum in civitate existentium per turmas *pergerent ad civitatem*, in qua jam fuissent. Dum ergo id præscribitur *omnibus presbyteris* parochiarum, clarum est nullas in civitate tunc exstitisse parochias.

Item in decretalibus communibus (*de Officio archidiaconi*, cap. 1), ex quodam canone anni circiter 600 : *Archidiaconus post Episcopum sciat se vicarium esse ejus in omnibus, et omnem curam in clero (tam in urbe positorum quam eorum qui per parœcias habitare noscuntur) ad se pertinere* Ibi totus clerus sub duplici membro *positorum in urbe*, et *per parœcias habitantium* memoratur ; ergo clerici urbis non habitabant per parœcias ; ergo non erant parœciæ in urbe.

Concilium Aurelianense tertium, anni 538: *Si quæ oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus collocatæ fuerint basilicis in civitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur ; et in ejus erit arbitrio quid ad reparationem basilicæ aut observantem ibi sustentationem deputetur. De facultatibus vero parochiarum vel basilicarum in pagis civitatum constitutis, singulorum locorum consuetudo servetur.*

Et concilium Emeritense, anni 666, canone 10 et 16 : *Statuimus in nostris ecclesiis vel civitatibus esse servandum, ut quidquid pecuniæ a fidelibus fuerit oblatum ... fideliter Episcopo præsentetur; qualiter exinde tres partes fiant : unam habeat Episcopus ; alteram presbyteri et diacones ibidem deservientes consequantur, ut dignitas et ordo poscit : tertia subdiaconibus et clericis... dispensetur. Similis forma et de parochianis presbyteris, in ecclesiis illis a Deo creditis, erit servanda.* Ibi primum statuitur lex distribuendarum oblationum quæ fiunt in tota urbe episcopali, *in nostris ecclesiis vel civitatibus ;* et postea dum eadem lex applicatur parochis extra civitatem positis, absolute designantur simplici *parochianorum presbyterorum* nomine. Ex quo iterum sequitur, *parochias* idem sonasse ac parochias rurales ac proinde nullas adhuc exstitisse in civitate episcopali parochias.

Concilium Troslejanum anni 909, canone 6 : *Ab antiquo*

tempore à sanctis Patribus constitutum est, sicut habet Episcopus in sua ordinatione omnem generaliter parochiam cum omnibus rusticanis parochiis...; ita unusquisque presbyter in sua ordinatione ac dispensatione, cur habeat parocœhiam suam cum dote et decimis ecclesiæ Ibi memoratur duo significasse *parochiæ* vocabulum : totam nempe diœcesim, et *rusticanas parochias*. Tacetur autem de parochiis civitatis, quia nullæ existebant ; et cum dicitur, *Episcopus habet omnem generaliter parochiam, cum omnibus rusticanis parochiis*, non additur, *et cum omnibus etiam parochiis civitatis* ; quod profecto membrum, utpote majoris momenti, omissum non fuisset, si in parochias distributa fuisset episcopalis civitas.

In synodo Lateranensi, anni 487, Felix Papa prohibet, ne in alterius civitate aut diœcesi, absque Episcopi aut presbyteri testimonio et litteris, pœnitentem *aut in parochia presbyter, aut Episcopus in civitate suscipiat*. Ibi iterum parochia civitati opponitur.

In decreto Gratiani, causa 16 quæst. 1, cap. 33, ex concilio Agathensi : *Monachi vagantes, ad officium clericatus, nisi eis testimonium suus abbas dederit, nec in civitate, nec in parochiis ordinentur*. Ergo ordinari in parochiis idem erat ac ordinari extra civitatem ; ergo non erant illæ in civitate parochiæ.

Concilium Vasense anni 529, can. 2 : *Non solum in civitatibus, sed in omnibus parochiis verbum faciendi damus presbyteris potestatem*. Ibi iterum parochiæ opponuntur civitati, ac proinde extra civitatem sitæ omnes supponuntur.

Concilium quartum Aurelianense, canone 8: *Ut nullus Episcopus, sede vacante aut in civitate, aut per parochias ordinare clericos, altaria consecrare... prsœumat*. Ergo altaria consecrare *per parochias*, erat ea consecrare extra civitatem ; ergo parochiæ in civitate erant nullæ.

Capitulare Theodulphi Aurelianensis Episcopi anni 797 (apud Labbe, tom 9) : *Ut nulli liceat..., tam in civitatibus quam in parochiis, edere vel bibere ante publicum peractum officium*. Ibi iterum opponuntur, quasi aliquid diversum, civitates et parochiæ ; quod absurdum foret, si in civitatibus parochiæ exstitissent.

Ne ergo in recensenda ejusmodi documenta diutius excurramus, cum adducta abunde sufficiant, judex sit lector, num legitime concludatur, nullas toto dicto tempore in episcopalibus civitatibus exstitisse parochias. Mihi quidem hoc solo argumentorem confici plane videtur.

Argumentum II. — *Ex eo quod nullà extent monumenta de urbanis ante annum 1000 parochiis.* — Argumentum illud sic breviter contrahi potest : si ante annum 1000 exstitissent parochiæ in civitatibus episcopalibus, haberentur documenta id attestentia ; atqui non habentur ; ergo.

Pro cujus argumentationis evolutione satis erit transcribere Marii Lupi non minus candide quam graviter et scite dicta : « Tot tamque præclaræ constitutiones, superiori ca-
« pite productæ, majorem etiam (quatenus augeri possit)
« vim ad excludendas ab urbibus parochias habent, siquidem
« animadvertatur vix possibile esse, quod toties in illis ru-
« rales parochiæ recenseantur, nunquam urbicæ commemo-
« ratæ reperiantur. Hæc autem animadversio latius pro-
« tendi potest ad alia cujuscumque generis antiqua docu-
« menta. Quamvis enim nemo existimare possit omnia vidisse
« vetusta scripta aut monumenta, ego vero fateri haud eru-
« bescam non paucis caruisse me libris..., cum tamen com-
« plura sane consuluerim opera, e quibus potissimum aliquid
« lucis ad hanc illustrandam diciplinæ partem hauriri posse
« existimavi, et amicorum etiam usus sim in locupletum
« bibliothecarum libris et archivorum diplomatibus scrutandis
« (nam nihil magis mihi cordi fuit qnam ut veritatem dete-
« gerem), nusquam in quibuslibet syncronis scriptoribus et
« sinceris documentis parochias in urbibus (Roma et Alexan-
« dria demptis) commemoratas aut perspicue indicatas depre-
« henderim. Nemo, ut opinor, diffitebitur hinc probe colligi
« posse generatim nullum reperiri hujusmodi testimonium.
« Potissimum vero quia neque ab eruditissimis viris et in om-
« niumprovinciarum antiquitatibus exercitatissimis qui de pa-
« rochiarum antiqua origine tractarunt, ullum productum aut
« singillatim citatum viderim. Nam si aliqua extarent, illa
« profecto novissent, ac, utpote ad suam tuendam senten-
« tiam necessaria, in medium attulissent. Quod sane gravis-

« simum est argumentum parochias in urbibus revera non « exstitisse. Etenim incredibile prorsus est omnia interci- « disse, præsertim medii ævi documenta, in quibus de ipsis « mentio haberetur; cum innumera supersint et ubique oc- « currant, quæ de parochiis ruralibus indubiam et præcla- « rissimam fidem faciunt. Accedit etiam quod longe plura « civitatum quam pagorum monumenta reperiuntur. Con- « cludendum itaque est, rusticarum parochiarum sæpe sæ- « pius mentionem occurrere, quia revera in pagis ab anti- « quissimis temporibus extabant; nunquam autem urbica- « rum, quia nuspiam gentium, præterquam in duabus illis « civitatibus, reperiebantur, ubi (1) revera apud antiquos « scriptores aliquod parochiarum apparet specimen, seu po- « tius indicium, quod mihi satis fuit ad eas pro talibus ha- « bendas... Tantum autem a vera ratiocinandi ratione abest, « ut duarum illarum urbium exceptio ad dubitandum saltem « de cæteris conducere possit, ut, cum earum institutum « singulare prorsus demonstratum fuerit, ipsamet firmet (ut « est in proloquiis juris) regulam in contrarium. » (Marius Lupus, *de Parœciis,* dissert. 2, cap. 10.) Ostendit postea citatus auctor, vel apocrypha et recentioris ævi, vel ad rem non pertinentia, quæ a quibusdam citata sunt documenta, ad probandam ante annum 1000 parochiarum in civitatibus episcopalibus existentiam. Tum subjungit:

« Patefacta singularitate instituti, quod ad parochias at- « tinet, Alexendriæ et Romæ vigentis, subrutum est anti- « quitatis parochiarum in cæteris urbibus præcipuum, ne « dicam unicum, fundamentum. Singillatim deinde demons- « tratum fuit, ea quæ Romæ in peculiaribus ecclesiis a pres- « byteris peragebantur, et cætera omnia quæ appellantur « parochialia munera, in solis reliquarum civitatum Italiæ « cathedralibus ab Episcopis ex officio obita fuisse...

« Si quis tandem percunctaretur, quandonam post annum « millesimum parochiæ demum in civitates invectæ fuerint, « huic reponam, id generatim haudquaquam, mea quidem

(1) Alexandrinæ nempe et Romæ.

« sententia. definiri posse. Non uno enim eodemque tempore « inferioribus sæculis sese ubique offerunt ; sed sensim atque « pedetentim, ut assolet, tanta facta est antiquissimæ disci- « plinæ immutatio... Tantum a veritate abest, ut id de quarto « aut superioribus sæculis affirmari possit, cum ne anno « quidem 1563 in omnibus civitatibus receptæ fuerint atque « institutæ, ut certissime constat ex concilii Tridentini ses- « sione 14 (capite 13, *de Ref.*)... Constat in non paucis civi- « tatibus, illarum præsertim provinciarum, quas modo Nea- « politanum regnum dicimus, saltem tempore Ughelli, auc- « toris *Italiæ sacræ*, superiori nempe sæculo, nondum paro- « chias a cathedrali distinctas institutas fuisse. » (Loco citato.)

Duobus deductis argumentis, tertium hic addendum veniret, ex documentis, quæ per singula decem priora sæcula contemporaneam urbicarum parochiarum existentiam excludunt: quale est verbi gratia, canon 13 concilii Tarraconensis anni 516, in quo sic decernitur: *Epistolæ tales per fratres a metropolitano dirigendæ, ut non solum a cathedralibus ecclesiis presbyteri, verum etiam de diœcesanis ad concilium trahantur.* Diœcesanos presbyteros de quibus ibi sermo est esse rurales parochos, probat Marius Lupus (*de Parœciis*, dissert. 3, cap. 6). Cum ergo ad concilium provinciale adduci præscribantur canonici cathedrales et parochi ruris et nihil dicatur de parochis civitatis, signum est nullos tunc exstitisse urbicos parochos ; alioquin enim et de ipsis quosdam adduci cautum fuisset. Ast tertium illud probationis genus longam secum traheret textuum et disquisitionorum farraginem. Quare lectorem, si forte illud desideret, ad Marium Lupum et Nardum remittentes, subjungemus dumtaxat præcipuarum, quæ menti facile occurunt, objectionum solutionem.

§ III

Nonnullæ diluuntur objectiones.

Objicies 1°. — Duo argumenta superius adhibita negativa sunt, nec proinde rigorosa : probatur nempe urbanas parochias ante annum 1000 non exstitisse, ex eo quod nondum

reperta sint monumenta quæ ipsarum existentiam testentur, et ex eo quod vox *parochia* non occurrat in sensu urbanæ parochiæ usurpata : porro fieri potest ut, quod nondum repertum est, aliquando reperiatur ; nec tanquam rigorosæ ejusmodi negativæ probationes in logica admittuntur : ergo.

Respondeo. — 1° Quando factum aliquod talis naturæ est ut, si exstiterit debeat monumentis consignatum reperiri, ex absentia monumentorum recte et rigorose ad facti non-existentiam fit illatio. Atqui urbanarum ante annum 1000 parochiarum existentia, inter facta hujusmodi recensenda est. Cum nempe ubique pullulent, medii præsertim ævi, monumenta quæ rurales parochias, necnon urbanarum ecclesiarum ordinationem perpetuo memorant, miraculum foret de urbana parochia nunquam in eis mentionem fieri, si revera parochiæ tunc temporis in episcopalibus civitatibus exstitissent. Imo frequentissima deberet de hujusmodi parochiis mentio occurrere.

2° Argumentum deductum ex modo quo vox *parochia* in monumentis occurrit, non est negativum, sed positivum : demonstravimus siquidem ita adhiberi hunc loquendi modum, non tantum ut parochias urbanas sileat, sed ut harum parochiarum hypothesim *positive* excludat *Parochiæ* scilicet perpetuo opponuntur *civitati*; quod profecto neque in mentem neque sub calamo scribentium subrepere potuisset, si tam in civitate quam in agris parochiæ statutæ fuissent.

Objicies 2°. — Si non exstitissent urbanæ parochiæ, inutiliter extructa fuissent tot templa in civitatibus episcopalibus ; quod admitti nequit.

Huic objectioni obviam ivit Marius Lupus, rem ita enodans : « Sciscitabitur fortasse aliquis : quorsum igitur alias « præter primariam, in civitatibus extruere sacras ædes ? « Huic quæstioni breviter reponam : cum prisci fideles non « solum dominicis diebus apud Episcopum ut liturgiæ inte- « ressent, saltem plerique, uno, quocumque tandem, in loco « convenirent, sed singulis diebus statis horis mane et ves- « pere orationi vacarent jugiter, prout antiqui Patres sa- « cris innixi scripturis eos hortabantur ; quamvis etiam « domi orare possent, idque persecutionum tempore perage-

« rent ; perdifficile vere esset etiam post extructam unam « in civitate ecclesiam ad eam pluries in die fideles accur- « rere ; idcirco quasdam alias minores ædes in urbibus « struxere, ut una simul plures in iisdem ad orandum, « psallendum, hymnosque Deo decantandos statis horis sin- « gulis diebus commode convenire possent, Prætereâ cum « præcipuo cultu prosequerentur loca in quibus martyres « aut passi fuerant, aut eorum corpora ac reliquiæ erant « reconditæ, ibique orare potissimum studerent, ibidem « basilicæ ædificatæ fuerunt, orationi ex primo eorumdem « instituto, psalmodiæ, et martyrum cultui destinatæ, non « vero publicis habendis liturgicis diebus conventibus ; « ideoque *oratoria, martyria*, et *memoriæ* apud antiquos « plerumque nuncupantur. In oratoriis autem hujusmodi « quidnam perageretur, aperte declarat Augustinus epis- « tola 121 : *In oratorio præter orandi et psalendi cultum,* « *penitus nihil agatur, ut nomini huic et opera jugiter im-* « *pensa concordet.* Ita etiam epistola 109 : *In oratorio nemo* « *aliquid agat nisi id ad quo est factum, aut unde nomen* « *accepit.* » (Marius Lupus, *de Paræciis,* dissert. 2, cap. 5, pag. 185, *editio Bergomi.*)

Nota. — Putavit Thomassinus, presbyteros et diaconos cathedralis Ecclesiæ minorum aliarum civitatis ecclesiarum curam habuisse, ita ut earum esset parochi, seu, quod idem est, ita ut earum parochi cathedralisimul presbyterio addicerentur. Ast hallucinatum eum fuisse contendit Marius Lupi, et validis rationibus probat e contra, *minores sacras ædes, a cathedralibus sejunctas, proprios habuisse fixosque presbyteros diaconosve, neque liturgicis diebus ad sacra in ipsis facienda a cathedralibus ablegatos fuisse* (dissert. 3, cap. 2).

Objicies 3°. — Incredibile est usque ad annum 1000 magnarum civitatum fideles omnes in unam, cui præesset Episcopus, ecclesiam confluxisse : nullum quippe templum tantam potuisset multitudinem capere.

Respondeo. — 1° Res certis monumentis constat ; ergo possibilis fuit. 2° Etiamsi non posset intelligi quo id modo nossibile fuerit, non ideo factum aliunde certo constans esset pegandum ; quia multa facta sunt certa, quæ tamen quo-

modo peragi potuerint nos latet. 3° Tempore sancti Athanasii, id est quarto sæculo, constat sufficientem fuisse unicam ecclesiam ad capiendos omnes civitatis fideles. Ipse enim, in apologia sua secunda, sic memorat quoad Alexandriam : *Festum erat Paschæ, et tanta multitudo fidelium aderat, quantam in urbe esse adoratores Christi Principes optarint. Cum igitur et ecclesiæ parvæ paucæque essent, et magno tumultu poscerentur ut in magna ecclesia* (1) *conventus celebraretur... quod factum est...* De Alexandro autem Alexandriæ Episcopo ita refert ibidem Athanasius : *Cum alia loca angusta essent, in ecclesia majore, Theone nuncupata, quam ædificabat, synaxes celebrare voluit; id enim jubebat fidelium frequentia... Hoc et Treviris et Aquileiæ fieri; nam et illic diebus festis ob multitudinem, cum adhuc templa ædificarentur collectas habebant.* Ex tota illa apologia eruitur unicum templum potuisse commode confluentes Alexandriæ fideles capere. 4° Sequentibus sæculis certum est hæreses non parum imminuisse numerum fidelium in civitatibus episcopalibus, præsertim a tempore invasionis barbarorum, qui plerique ariana labe infecti erant. 5° A numero fidelium confluentium ad ecclesiam cathedralem demendi sunt infantes, infirmi, et numerosi monachorum et sacrarum virginum cœtus. 6° Civitates episcopales non adeo magnas fuisse probant mœnium septa, quibus olim arctatas fuisse documenta et ruinæ etiamnum testantur. Has, aliasque id genus rationes qui perpenderit, minime, impossibilem affirmabit legem fidelibus civitatum episcopalium impositam, festis diebus una cum Episcopo sacras synaxes agendi. Insuper 7° certum est amplissimas fuisse cathedrales ecclesias, easque peristyliis, porticibus, aliisque contiguis stationibus instructas, ubi fideles pro eorum statu ac conditione, sive catechumenorum, sive pœnitentium, consistebant. Refert ex synchrono et sincero documento Marius Lupus (*de Paræciis*, dissert. 2, cap. 8, pag. 236, edit. Bergomi) quamdam Brixiæ civitatis ecclesiam, cum referta populo corruisset, plus quam septem millibus homi-

(1) Nempe nondum dicata. Id crimini Athanasio verterant ipsius æmuli, quod in ea ecclesia nondum consecrata celebrasset.

num necem intulisse. 8° Ubi angustior fuit ecclesia præ confluentium multitudine, per modum exceptionis statuit Sedes Apostolica ibi sacrificium iterari, ut constat ex celebri sancti Leonis I epistola ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum : *Ut autem in omnibus observatia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri; ut cum solemnior quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, et ea fidelium multitudo convenerit quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur ; ne his tantum admissis qui primi advenerint, videantur hi qui postmondum confluxerint non recipi cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis implererit, toties sacrificium subsequens offeratur.*

Objicies 4°. — Clarissimorum scriptorum auctoritatem, qui cum Thomassino urbanas parochias quarto sæculo adcensent.

Respondeo. — Non esse tanti faciendam dictorum scriptorum sententiam, si constet infirmum esse præcipuum ac fere unicum ipsorum argumentum. Porro ita se res habet. Arguunt nempe ex civitatum Romæ et Alexandriæ exemplo, et potius suspicando quam rigorose concludendo inferunt, cæteris pariter magnis urbibus jam a quarto sæculo exstitisse, quas sibi Romæ et Alexandriæ videre visi sunt, urbanas parochias. En Petavii verba : « Epiphanius, in Arianorum hæ-
« resi, dum hujus originem et historiam Arii describit, quid-
« dam de urbe Alexandrina refert tanquam et peculiare, aut
« certe *propter raritatem* memoria dignum : fuisse plures in
« ea ecclesias, quibus regendis presbyteri præponebantur,
« qui ecclesiastica munera præstarent iis, qui circa unam-
« quamque domicilium haberent. Eas urbis partes Alexan-
« drini proprie ἄμφοδα et λαύρας appellabant. *Quamobrem justa*
« *suspicio est*, in magnis urbibus, propter populi multitu-
« dinem, plures ecclesias fuisse, et singulis certum vicorum
« et domorum numerum attributum. In aliis vero unam tan-
« tummodo, in quam oppidani convenirent ecclesiam, hoc est
« *parœciam* vel *parochiam* fuisse. At extra urbem in agris
« plures itidem collocatas ecclesias opportunis in locis ; qui-
« bus vicina prædia villæque et rusticanæ habitationes assi-
« gnabantur ; quas quidam parœcias nominabant. » (*Teolo-*

gicorum dogmatum, de Ecclesiastica hierarchia, lib. 2, c. 12, n. 4.) Non aliud repirere est apud Thomassinum, et alios ipsi consonos, alicujus mentioni ratiocinum, quam ex hoc semper recantato Romæ et Alexandriæ exemplo. Porro ejusmodi argumentum ex duplici capite nutat et pro infirmo habentum est. *Primo* nempe quia certum nequaquam est Alexandriæ λαύρας, et Romæ statutos *titulos* veras parochias fuisse: id negandum existimat Nardi. Sed quidquid sit de hac controversia, quam hic intactam relinquimus; permisso etiam veras Alexandriæ et Romæ parochias ab antiquo exstitisse; *secundo* nullatennus probatur id instituti cæteris commune civitatibus; et aliunde, si quid singulare fuerit, et duobus dictis locis exclusive proprium, perperam ad reliquas urbes extenditur. Porro singulare non fuisse dictum Alexandriæ et Romæ institutum non probavit Thomassinus. E contra vero, nullas parœcias in aliis civitatibus ante annum 1000 exstitisse, validis argumentis probarunt Marius Lupi et Nardi. Unde dicendum peccasse Thomassinum, et ipsi consonos, eo logices defectu, qui dicitur *a particulari ad generale transitus*.

Respondeo 2°. — Ipsum Thomassinum hac in re non satis sibi constare, ut adnotatum videri potest apud Marium Lupum. Qui auctor etiam addit, scripsisse Thomassinum ea in regione, eoque tempore, quibus facile ipsi non liceret totam introspectam veritatem pandere. Nec parvum ab ipso vulnus doctrinæ a Sorbona acriter propugnatæ illatum, cum parochos a temporibus apostolicis ad quartum usque sæculum dejecit; ulterius si voluisset progredi, nimiam forte sibi concitandam invidiam pertimuisse.

Objicies 5°. — Nimium fuisse Marium Lupum, cum audacter annum millesimum parochiarum urbanarum institutioni præfixit; neque ab ipso rigorose probari hoc præcise anno dictas parochias exordium sumpsisse.

Respondo, non eo sensu positam a viro clarissimo fuisse dictam epocham, quod isto præcise anno institui parochiæ in urbibus cœperint, sed eo dumtaxat sensu quod antea nondum institutas constet. Cæterum nequaquam affirmat statim ubique sub initium undecimi sæculi exortas; sed aliqua ex tunc reperii in monumentis urbanarum parochiarum rudera;

unde paulatim tractu temporis propagatum institutum, et inditam, quæ ipsi propria nunc atque essentialis est, formam. De qua urbicarum parœciarum post annum 1000 origine, disserentem ipsummet Marium Lupum, pro rei gravitate, visum est sub sequenti parographo adducere.

§ IV.

Parochiarum in civitatibus episcopalibus post annum 1000 exordia.

« Urbanarum parochiarum primum indicium, ac veluti « lineamenta quædam et rudimenta, adhuc tamen prorsus « imperfecta, in urbe et concilio Lemovicensi anni 1032 de- « prehendisse mihi visum est. In eo enim, secus ac supério- « ribus conciliis, quibus identidem confirmata et asserta fuit « antiqua disciplina, ut vidimus, eadem cœpta est relaxari, et « primum in nonnullis huc pertinentibus ab antiquioribus ins- « titutis deviatum fuit. Generatim quippe patet hujus concilii « Patres novitatis amantes fuisse. Longa enim præmissa « oratione exilibus prorsus rationibus suadere conantur, ca- « nones esse temporibus atque regionibus aptandos. Quo qui- « dem satis aperte declarant, in iis quæ postea decrevere, « nullam se antiquarum constitutionum rationem habuisse ; « idque revera tum in aliis, tum in iis quæ subjiciam liquet. « Cum (sessione 2) a clericis episcopalis sedis, id est, cathe- « dralis Lemovicensis canonicis, delatum fuerit ad hoc con- « cilium, tanquam novum aliquid et canonibus contrarium, « quod solemne celebraretur baptisma in insigni monasterio « sancti Martialis ; contendentibus non alibi quam in cathedrali « ministrari debere ; sancitum fuit ut in dicto monasterio, « et in aliis ecclesiis, ubi mos iste recenter introductus fuerat, « in Paschate et Pentecoste celebraretur, *ita tamen ut ma-* « *jor numerus baptizandorum sit apud majorem ecclesiam,* « *ubi honestius paschalis ordo perficitur.* Deinde iidem clerici « conquesti sunt *de prædicatione ad populum* et de *indicandis* « *jejuniis et litaniis*, contendentes quod hæc apud cathe- « dralem dumtaxat deberent peragi et edici. Nihilominus

« secus Patres illi decreverunt, cum hisce tamen limita-
« tionibus : *Si talia sine Sedis consultu, necessitate, non*
« *temeritate vel (quod absit) typo superbiæ, ab alia ecclesia*
« *instituta fuerint, nihil est quod indignentur clerici Sedis.*
« *Tamen ita cuncta concordantia moderentur, ut pax et uni-*
« *tas Sedem inter et alias ecclesias permaneat inconvulsa...*
« His itaque indulgentiis et concessionibus primum in Galliis
« videtur strata via ad parochiarum in urbes inductionem. In
« Italia autem etiam hæc aliaque hujusmodi, sed paulo serius,
« intentata a minorum sacrarum ædium presbyteris fuere.
« Verum cathedralium ecclesiarum canonicis enixius ob-
« sistentibus, et Episcoporum summorumque Pontificum auc-
« toritatem implorantibus..., illorum ausus retunduntur...
« Verum hic etiam in plerisque urbibus tandem invaluit, ut
« eorum pleraque extra cathedralem peragerentur ; et tunc
« demum quædam parochiales evasere et appellatæ sunt ec-
« clesiæ... Occasionem autem si quæras tantæ pedetentim
« consecutæ in antiqua disciplina immutationis, et Episco-
« porum conniventiæ, ac majorum clericorum patientiæ, hanc
« non multum dissimulem... Primum nempe crebra schis-
« mata quæ sæculo præsertim undecimo et duodecimo vi-
« guere, ita ut... nonnulli tum clerici tum laici cum Episcopis,
« quos schismaticos judicabant, non communicarent, ideoque
« a cathedrali refugiebant. Deinde tunc Episcoporum com-
« plures electi solummodo et nondum episcopalibus sacris
« initiati erant, diuque ita permanebant, aut a suis aberant
« ecclesiis ; quare sacra ministeria obire nequibant. Pleri-
« que etiam majorum clericorum sacris carebant ordinibus,
« et paucissimi presbyteratus ordine insigniti erant ; quin
« ipsimet quandoque qui archipresbyteralem in cathedra-
« libus dignitatem obtinebant ne presbyteri quidem erant...
« Pleraque propterea eorum quæ pertinebant ad sacramen-
« torum ministrationem, prædicationem et alia hujusmodi,
« quæ antiquitus ab ipsis Episcopis ut plurimum, aut a cathe-
« dralium archipresbyteris præstabantur, vix amplius in
« cathedralibus peragi poterant. Atque adeo facile utique,
« nemine tandem contradicente, in pluribus civitatibus usu
« receptum fuit, ut in aliis minoribus ecclesiis hæc legitime

« peragerentur, accepta tamen ab Episcopis ea exercendi « facultate et *cura* (ut recentiores loquuntur decretales) *ani-* « *marum*. » (Marius Lupus, *de Parœciis ante annum 1000* dissert. 2, cap. 10.)

Nota. — Dominus Lequeux, in suo *Manuali compendio ad usum seminariorum* (tom. 1, pag. 510, edit. 1850), asserit constitutos fuisse parochos *primum in majoribus urbibus, deinde etiam in minoribus et ruri tandem.* Atque id non tantum nullo firmat probationis adminiculo, sed ne præmonet quidem seminariorum alumnos, ab eruditis pro explorato haberi contrarium ; inductos scilicet primum fuisse ruri parochos, postea vero in civitates. Et pariter absque ulla probatione ibidem junioribus clericis obtrudit, parochos urbicos *quasi senatum Episcopi efformasse ;* quod falsum infra ostendimus. Cum autem citato auctori solitum sit per modum meri asserti erronea congerere, non miretur lector, in his nostris tractationibus ab eo confutando abstineri.

CAPUT VI.

PAROCHI NEQUAQUAM SUNT 72 DISCIPULORUM SUCCESSORES

Præcipuum attingimus fundamentum, quo erroneum nititur de divina parochorum institutione systema. Quod fundamentum nequaquam solidum esse, sed inane prorsus ac chimericum, sequentibus paragraphis ostenditur.

§ I.

Septuaginta duo discipuli non fuerunt parochi, neque etiam imago aut typus parochorum quatenus talium.

Ex evangelistis solus est sanctus Lucas, qui 72 discipulos memoret ; cujus hæc sunt verba : *Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos ; et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis : messis quidem multa, operarii*

autem pauci ;:rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos... Curate infirmos... Et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei... Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. (Cap. 10 evangelii secundum Lucam.) Quænam fuerint istorum 72 duorum discipulorum nomina, ignotum remansit : *Quod vera* (ait Eusebius, *Historia eccles.*, l. 1, cap. 14) *ad septuaginta discipulos attinet, eorum series nullibi perscripta reperitur.* In actibus apostolorum recurrit quidem non semel de discipulis sermo ; sed ita ut vox illa generatim designet eos omnes, viros et mulieres, qui christianæ fidei nomen dederant. Nihil autem indicat sanctum Lucam, dum in actibus apostolorum de discipulis loquitur, agere de illis 72 quos in evangelii sui capite 10 memoravit. Certum autem est septem primos qui diaconi ordinati sunt, assumptos fuisse *ex discipulis* : an autem præcise ex 72 illis quos memorat sanctus Lucas capite 10 sui evangelii, rigorose probari nequit, deficientibus monumentis ; licet valde probabile sit aliquos saltem ex ipsis de eorum numero assumptos fuisse, quos miserat Christus *binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.*

His prænotatis, facile jam determinari potest cujus naturæ fuerit septuaginta duorum discipulorum institutio, et quid de ea tanquam certum asseri queat.

1° Fuit certe ea institutio divina, siquidem Christus ipse discipulos illos designavit et misit.

2° Ea institutio non fuit perpetua, sed temporaria ; ita ut missio potius quam institutio dicenda sit. Non enim dicuntur missi ad aliud, quom ut annunciarent in civitatibus et aliis locis Judeæ, quo Christus venturus erat, proximum ejus accessum ; atque ut ibi dicerent, appropinquare regnum Dei. Prædicatio autem Christi per varias Judeæ civitates temporia fuit ; item *appropinquare regnum Dei* non potuit dici, nisi per aliquod tempus ; siquidem expleto per mortem et resurrectionem Christi redemptionis opere, et constituta Ecclesiæ forma, stabilitum in terris fuit regnum illud, quod jamjam vicinum et imminens prædicare debuerunt 72 discipuli. Unde ea

missio magis accedebat ad naturam illius, quam expleverunt Prophetæ, et præsertim Joannes Baptista ; referebatur nempe adhuc ad Christum venturum.

3° Per hujusmodi missionem 72 minime constituti sunt presbyteri ; siquidem presbyteratus potestatem nulli, nec ipsi etiam Apostoli, ante cœnam Dominicam acceperunt: in illa autem cœna non adfuere 72 discipuli. Ergo 72 discipuli, quamvis ad prædictam temporiam missionem adhibiti, in statu laicali nihilominus remanserunt. Si autem admittatur aliquos ex ipsis postea ab Apostolis ordinatos fuisse diaconos, magis adhuc patet eos nullatenus presbyteros antea et ex institutione Christi exstitisse.

Jam vero sic determinata de 72 discipulis genuina notione omnino evincitur eos, nec parochos fuisse, nec parachorum typum gessisse.

Parochialis enim officii essentia, consistit in commissa alicujus plebis spirituali cura, per catechisationem et sacramentorum administrationem exercenda, loco Episcopi et sub ipsius auctoritate. Hujusmodi autem cura secum infert: 1° ad determinatam plebem curandam missionem seu deputationem ; 2° potestam et obligationem huic plebi impertiendi instructionem et sacramenta, sive per se, sive saltem per alios; 3° officium permanenter commissum, saltem donec revocetur, non autem uno aut altero transitorio actu explendum. Atqui officium 72 discipulorum omnino fuit diversum. Nulla enim ipsis singulis assignata est plebs cujus curam spiritualem agerent ; sed missi sunt tantum ut quasdam civitates et loca peragrarent, ibique venturum Christum prænuntiarent. Nec ipsis commissum fuit officium sacramenta ministrandi ; tum quia nondum instituta fuerant sacramenta ; tum quia nec ipsi nec alii sacris adhuc ordinibus fuerant initiati ; unde nec per se nec per alios poterant sacramenta ministrare. Nec officium habuerunt aliquam populi portionem doctrina christiana imbuere, sed tantum adventum Christi et regni Dei transeundo præmonere. Et tandem non permanens officium ipsis commissum est, sed una peregrinatione explendum et absolvendum. Ergo omnino falsum est ipsos fuisse parochos.

Sed nec typum futurorum postea parochorum exhibent. Nam sive consideretur officium ipsis commissum, sive modus quo illud explere jussi sunt, sive potestas qua instructi sunt, non reperitur ulla cum parochis specialis similitudo. Officium enim, ut diximus, omnino fuit diversum. Quoad modum autem illud explendi, adverti potest illos missos fuisse *binos* pari scilicet potestate ; qua norma nec hodie nec unquam constituti fuerunt parochi ; item jussi sunt abstinere a sacculo et a pera, de quo certe parochialis institutio nullum ipsi proprium et speciale vestigium exhibet. Si vero de potestate agatur, ea fuit patrandorum miraculorum ; curandi nempe morbos et dæmonia ejiciendi. In similitudinem autem hujus potestatis nihil agunt parochi, quod sit ipsorum institutioni proprium ; sed idem et prædicatores et confessores, licet non parochi, pariter præstant.

Unde potius allegari posset aliqua specialis similitudo 72 discipulorum cum missionariis, qui nulli plebi addicti, varias peragrant regiones, easque divino verbo informant ; vel cum illis monachis, qui paupertatem profitentes, bini et bini, ex instituti sui régula, jubentur procedere.

Si vero agatur de similitudine, ex inferiori gradu desumpta, quem obtinuerunt 72 discipuli relative ad 12 apostolos, utique typum gesserunt totius sacerdotii secundi ordinis, seu totius secundi gradus hierarchiæ divinitus institutæ ; quam constare *Episcopis, presbyteris et ministris* de fide est, et a Tridentina synodo definitum. Quemadmodum scilicet inter eos, quorum opera jam tunc utebatur Christus, priori loco 12 Apostoli conspiciuntur, posteriori autem 72 discipuli, ita in hierarchia divinitus instituta, superioris ordinis sacerdotium in Episcopis, inferioris autem in presbyteris reperiri, tenet doctrina catholica. Et sub hoc respectu verum est, et a tota traditione admissum, per 72 discipulos sacerdotes secundi ordinis, presbyteros nempe, fuisse quadammodo adumbratos (1). At vero bene advertatur similitudinem hanc æque

(1) Sic habet glossa in versiculum 1 capitis 10 evangelii secundum Lucam : *Sicut in Apostolis est forma Episcoporum, sic in* 72 *est presbyterorum. Secundi ordinis septuaginta duo mittuntur, qui totidem lingua-*

attingere presbyteros omnes, sive parochi sint sive non, utpote quæ in ipsum presbyteratus ordinem, dignitatem et gradum, non vero in parochialitatis officium, cadit. Unde revera figmentum adstruunt, qui 72 discipulos volunt, aut parochos fuisse, aut parochorum typum.

§ II.

Paroehi, quatenus tales, non sunt ullo modo, et a fortiori non sunt ex institutione divina successores 72 discipulorum

Probatur 1°, *ex eo quod* 72 *discipuli non fuerint parochi.* — Nam si verum sit, quod superiore paragrapho palam facere conati sumus, præfatos nempe discipulos, nec parochos fuisse, nec parochorum etiam typum gessisse, consequens est parochos quatenus tales nullatenus haberi posse tanquam eorum successores.

Probatur 2°, *ex eo quod per aliquot sæcula nulli in mundo exstiterint parochi.* — Si enim parochi essent institutionis divinæ, ea institutione nullo tempore caruisset Ecclesia. Necessarii nempe forent parochi ad hierarchiæ divinitus institutæ integritatem ; qua integrita et essentiali forma sua, si quando destituta reperiretur Ecclesia, corruisset ex parte, atque a divino fundatore suo derelicta fuisset, quod dici nefas est. Illud cæteroquin consectarium ipsimet parochistæ seu jansenistæ libenter admittunt ; necessarios in Ecclesia esse parochos, non secus ac Episcopos, inde concludentes, quod divinæ institutionis sint. Ergo si probetur aliquando in Ecclesia nullos exstitisse parochos, actum erit de prætensa eorum divina institutione, qua a Christo constituti asseruntur, per ipsammet 72 discipulorum institutionem. Porro superius probatum est, prioribus Ecclesiæ temporibus nullos in mundo

rum gentibus evangelium prædicarent. Glossa hæc, quæ totius veteris scholæ communem persuasionem et doctrinam exhibet, non parochos, sed *presbyteros* asserit in 72 discipulis fuisse adumbratos.

exstitisse parochos, et per decem sæcula ea institutione caruisse civitates episcopales ; ergo revera parochi nec sunt institutionis divinæ, nec ex institutione divina 72 discipulorum successores.

Probatur 3°, *ex tota traditione*. — Nam, ut sequentibus paragraphis patefacimus, asserit quidem tradition secundi ordinis sacerdotes, id est presbyteros, in 72 discipulis fuisse quodammodo adumbratos ; ast illud asserit de presbyteris quatenus presbyteris, non quatenus parochis.

§III.

Traditionis monumenta, quoad presbyteros, non veram 72 discipulis successionem, sed quamdam dumtaxat institutionis similitudinem adstruunt: quoad parochos vero, ne similitudinem quidem institutionis cum 72 discipulis demonstrant.

Hic evertendum occurrit achilleum parochistarum argumentum. Ipsi nempe, ut evincant parochos 72 discipulis, ex institutione divina, successisse, ad traditionem fidenter appellant, et documenta congerunt, quæ sibi aperte favere contendunt. In quo prorsus eos hallucinari ut luce meridiana clarius pateat, ea ipsa monumenta, quæ ab ipsis proferri solent, singillatim recenseamus ; et de unoquoque expendamus, num vel minime intentum eorum adstruat.

Documentum I. In epistola secunda sancti Anacliti Papæ (id est, ab Isidoro Mercatore huic Pontifici falso attributa), sic legitur ; *Videntes autem ipsi Apostoli messem esse multam, et operarios paucos, rogaverunt dominum messis ut mitteret operarios in messem suam. Inde electi sunt ab eis septuaginta duo discipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesia.* Quamvis in falsas decretales, ab Isidoro Mercatore invectas, tanto æstu soleant declamare jansenistæ et parochistæ, cum tamen textum summa cura et veluti reverentia in medium adducunt ; existimantes nempe aliquid inde patrocinii errori suo de divina parochorum institutione colligi posse. Et quidem citatio illa, sicut pleræque aliæ ejusdem Isidori, quæ falsæ dicuntur,

licet Anacleto Papæ, ac proinde primo sæculo indebite adscripta, non omni auctoritate caret ; cum aliunde alicujus sit antiquitatis. Ast certe parochistis nullo modo patrocinatur. Nam 1° ibi dicitur presbyteros *gerere typum* 72 discipulorum quod idem est ac dicere ad *similitudinem quamdam* præfatorum discipulorum institutos fuisse presbyteros. Unde cum additur *in eorum locum sunt constituti in ecclesia,* id intelligendum venit, non eo sensu quod idem fuerint 72 discipuli et subsecuti presbyteri, sed eo sensu quod priores *typus* fuerint posteriorum, et posteriores *similitudo quædam* priorum ; non ergo plus ibi asseritur, quam in thesi nostra posuimus. 2° Atvero corruit omnino parochistarum deductio, si notetur ibi agi de 72 discipulis *ab Apostolis* electis, non vero de 72 quos elegerat ipse Christus. Ergo etiam si his 72 vere successent presbyteri, non sequeretur, vi illius textus, eos esse institutionis divinæ, sed tantum institutionis apostolicæ. 3° Tandem ibi agitur de presbyteris, de omnibus scilicet, sive sint, sive non sint parochi ; agitur nempe de toto ordine presbyteratus, nullatemus autem de officio parochiali ; ita ut ne minimo quidem signo innuatur sermonem esse de parochis. Ergo somniant parochistæ, dum hunc textum, quasi de parochis ageret, allegant. Nec dicant omnes presbyteros olim fuisse parochos ; quia contrariam propositionem, nempe prioribus ecclesiæ temporibus nullum presbyterum parochum fuisse, supra probavimus. Et certe in civitatibus episcopalibus perpetuo exstitit, Episcopo adhærens, cœtus presbyterorum ; quorum tamen nullus per mille annos parochus fuit, ut etiam supra ostendimus. Ergo allegata decretalis non probat parochos ex institutione divina successisse 72 discipulis, cum in ea de parochis nullatemus agatur ; nec etiam probat presbyteros successisse 72 discipulis a Christo institutis, cum non de iis discipulis, sed de aliis apostolica auctoritate electis sermo sit ; nec probat presbyterorum quoad hos posteriores discipulos veram successionem cum dicatur tantum, presbyteros eorum discipulorum *typum gerere.*

Documentum. II. — In ejusdem Papæ Anacleti epistola tertia sic occurit : *Ordo sacerdotum bipartitus est ; et sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari... Epis-*

copi vero, Domini Apostolorum ; presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. 1° Textus ille nihil juvat parochistas, cum agat de presbyteris omnibus, de toto scilicet presbyteratus ordine ; non vero de parochis, aut officio parochorum proprio. 2° Nec probat presbyteros proprie successisse discipulis, ita ut discipuli habuerint presbyteralem caracterem et potestatem, in quibus postea presbyteri successerint. Id enim concludi tantum posset, ex eo quod dicantur presbyteri *locum tenere* discipulorum, sicut *Episcopi Apostolorum.* Atqui inde concludi nequit. Nam Episcopi Apostolis quidem vere et proprie successerunt quoad episcopatum, non autem quoad apostolatum. In Apostolis scilicet, præter potestatem et caracterem episcopalem, alia fuit potestas cum ipsis transitura, et in Episcopos (excepto successore Petri, qui in omnimoda Petri potestati succcssit) non derivanda, apostolatus nempe. Unde considerato tantum apostolatu, dici potuit, sicut Episcopos Apostolorum, *ita* presbyteros discipulorum *locum tenere*, quin tamen presbyteri vere discipulis successerint, id est, quin discipuli fuerint presbyteri, sed tantum quod quemdam typum futurorum presbyterorum prætulerint.

Documentum III. — Venerabilis Beda sic habet in evang. sancti Lucœ, lib. 3, cap. 10) : *Sicut duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul et prœmonstrare nemo est qui dubitet ; sic et hos seputaginta duos figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum, gessisse sciendum est.* 1° Mirum est parochistas ad hunc textum recurrere, cum expresse loquatur de presbyteris, non quatenus parochiali officio fungentibus, sed quatenus sunt *secundi ordinis sacerdotes.* Omnes certe presbyteri, quamvis curam parochialem non habentes, sunt secundi ordinis sacerdotes ; et sicut hodie multi exstant ejusmodi presbyteri, non parochi, ita in tota retro antiquitate quamplurimi exstitere ; imo prioribus Ecclesiæ temporibus multi fuerunt presbyteri, nulli autem in toto mundo parochi ; et per mille annos in civitatibus magna presbyterorum multitudo exstitit, nullis adhuc ad parochi officium deputatis, ut supra fuse ostendimus. 2° Sed neque probat venerabilis Bedæ textus, presbyteros 72 discipulis proprie successisse ; siquidem dicit tantum eos 72 discipulos *fi-*

guram presbyterorum exstitisse. Dum autem pariter asserit Apostolos *formam* (quasi diceret *figuram*) *Episcoporum* exhibuisse, id restringendum est ad ea quæ fuerunt apostolatui propria: nam si agatur de episcopatu, vere Apostolis quatenus Episcopis successere subsequentes omnes Episcopi; unde quoad episcopatum, seu sacerdotium primi ordinis, Apostoli non figura tantum fuerunt Episcoporum, sed veri eorum prædecessores; ita ut non ad *similitudinem quamdam* episcopatus, qui in Apostolis fuit, institutus sit Episcoporum ordo, sed ut eumdem ipsum episcopatum, qui in Apostolis prius exstiterat (cum apostolatu conjunctus), habuerint creati postea Episcopi:

Documentum IV. — In capitulari Theodulphi Aurelianensis Episcopi, anni 797; capite 1, sic legere est: *Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron; isti vero filiorum ejus. Unde oportet vos* (presbyteros alloquitur) *semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ quam in manibus accepistis unctionis.* 1° Ibi luce meridiana clarius agitur, non de parochis tantum, sed de omnibus qui sacrum presbyteratus ordinem acceperunt, *consecrationem* nempe, et *sacram in manibus unctionem*. Unde parochistæ admittere debent, vel omnes ordini presbyteratus initiatos hoc ipso esse parochos (quod, sicut hodie, ita in tota retro antiquitate falsum esse ostendimus), vel 72 discipulis successisse omnes presbyteros, quatenus presbyteri, non autem parochos quatenus parochi sunt. Unde textu illo nihil juvatur parochistarum systema. 2° Sed neque ibi agitur de vera successione; ast solum de institutione *ad similitudinem*. Quod patet ex eo quod eodem modo presbyteri dicantur successisse filiis Aaron. Prorsus certe diversa est potestas presbyterorum novæ legis, ab ea quam exercuerunt filii Aaron, qui fuerunt tantum umbra et figura futurorum. Unde illæ omnes, quæ apud Patres occurrunt, memoratæ Apostolos inter et Episcopos, presbyterorumque cum 72 discipulis similitudines, in id intendunt, ut pestiferam Aerianorum hæresim, quæ presbyteros Episcopis æquabat, omnino conterant; ad quod intentum, sæpe sæpius inculcant, non unici ordinis exs-

tare in ecclesia sacerdotium, sed duplicis : *primi* nempe et completi *ordinis* in Episcopis, *secundi* vero, et partialis, et inferioris in presbyteris. Ad quam inferioris presbyterorum sacerdotii explanandam veritatem catholicam, memorant circa Christum in superiori gradu stetisse Apostolos, in inferiori discipulos. Atque ita tota vis harum similitudinum, in hanc sacerdotii superioritatem et inferioritatem ostendendam dirigitur.

Documentum V. — In homilia quadam, quæ Leoni Papæ IV tribuitur, et ad annum 847 refertur, similia occurrunt. Eam homiliam, cum variantibus (ex editione scilicet Labbæi, ex alia Martenii, et Lucensi codice) habes apud Mansi (tomo 14, pagina 889, editio Veneta). Cum autem prædicta homilia in Pontificale romanum transierit, ubi (sub rubrica *Ordo ad synodum, tertia die)* tanquam exhortatio ab Episcopo ad synodum facienda reperitur, eam ex textu prædicti libri Pontificalis citabimus : *Fratres dilectissimi et sacerdotes Domini, cooperatores nostri ordinis estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari et Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta duorum discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus, vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori nostro Domino Jesu Christo, vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, fratres, videte periculum vestrum*, etc.

Porro neque hic textus parochistas juvat. Nam 1° nequit inde concludi presbyteros proprie successisse 72 discipulis. Nam dicuntur tantum *ad formam* septuaginta duorum instituti. 2° A fortiori non probat ille textus parochos dictis 72 successisse. 3° Sed neque probat parochorum, quatenus talium, cum 72 discipulis similitudinem. Nam verum quidem est orationem illam synodalem, quæ initio generatim ad *sacerdotes Domini* dirigitur, uno eodemque tractu postea curatos commemorare ; cum eos alloquatur, quibus *animæ commissæ*, *plebes commendatæ*. Unde et concedimus eam formulam, *vos ad formam 72 discipulorum estis,* ad istos etiam curatos extendi. At dicimus non extendi ad ipsos *quatenus curatos*, sed quateus *presbyteros*. Et ratio in promptu est : nam similitudo hæc cum

72 discipulis in hoc ipso textu affirmatur de omnibus presbyteris : unde cum applicatur etiam parochis, dicendum ipsis applicari quatenu presbyteris, non autem ob parochiale officium. Et confirmatur ex alio ejusdem libri Pontificalis textu (sub rubrica de ordinatione presbyteri), ubi de presbyteris dicitur : *Vos quidem in 70 viris et senibus signati estis... In novo testamento Dominus 72 elegit*, etc. Tota prœterea traditio, ut vidimus, similitudinem illam cum 72 discipulis asserit de presbyteris, quatenus presbyteris ; ut proinde hoc ipso excludat, eamdem similitudinem esse parochis, quatenus parochis, propriam.

Documentum. VI. — Concilio Toletano II, anni 531, subnectitur epistola quædam Montani Episcopi, in qua sic legere est : *Revolvatur manibus vestris, o presbyteri, sacratissimus Numeri liber, in quo vestri officii in 70 seniorum personis auspicatus est honos, et invenietis quorum negotiorum vobis prœrogativa concessa est. Adjutores vos Dominus nostri laboris secundo gradu esse voluit, non temeratores sacrarum quarumdam rerum permisit.* Nil juvaminis parochistarum systemati ex hoc textu cedere, per se patet. Nam 1° ibi de parochis nihil asseritur. 2° Presbyteris autem tribuitur, non proprie dicta in locum 72 discipulorum successio, sed dumtaxat quædam cum 70 veteris testamenti senibus similitudo.

Documentum VII. — Leo Papa III : *Hæc omnia illicita sunt chorepiscopis, qui ad exemplum et formam 70 discipulorum esse noscuntur ; vel presbyteris, qui eamdem gestant formam* (vide textum inter opera sancti Leonis, epistola olim 88.) Ibi pariter nullum de parochis verbum: Presbyteri autem asseruntur, non quidem 72 discipulis proprie successisse, sed eorumdem formam gestare.

Documentum VIII. — Glossa ordinaria in caput 10 evangelii sancti Lucæ : *Sicut in Apostolis est forma Episcoporum, sic in duo et septuaginta forma est presbyterorum.* Etiam hic, de parochis nihil : de presbyteris, cum 72 discipulis solita similitudinis dumtaxat commemoratio.

Documentum IX. — Riculphi. Suessionensis Episcopi, constitutio, capite 1 : *Attendite ergo quia nobiscum sollicitudinem gregis dominici percepistis, et in sacerdotali ministerio se-*

cundi ordinis et dignitatis locum possidetis. Et sicut nos, licet immeriti, Apostolorum vices in hac ecclesia agere debemus, ita et vos quoque septuaginta duorum discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe exercere oportet. Nam et in veteri lege Moyses et Aaron locum summi Pontificis tenuerunt, et filii quoque Aaron officium sacerdotale in secundo gradu sortiti sunt. Ad vos enim plebium pertinet cura et sollicitudo, et ex vobis pendet eorum salus, utilitas et animarum profectus. Respondemus : 1° de presbyteris, etiam non parochis, vero sensu dici potest ad ipsos *plebium curam pertinere* ; quia nempe, licet non constituantur parochi, possunt et solent ad prædicandum, audiendasque confessiones, et alia ejusmodi munia, deputari. Imo et ut Episcopo in his auxilientur ordinantur. Unde perperam concluderetur ea citati textus verba, *vos 72 discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe exercere oportet,* dici præcise de parochis, quatenus parochis. Imo, ut supra probavimus, ante annum 1000, nullus exstitit in civitatibus episcopalibus præter ipsummet Episcopum parochus. Et tamen ii sacerdotes, quibus constabat presbyterium Episcopi, vere in partem *sollicitudinis gregis dominici* vocabantur ; quia nempe Episcopus, modo hunc, modo illum, in explendis pastoralis officii muniis sibi, prout opus erat, substituebat. Unde allatus textus non probat parochos, quatenus tales, 72 discipulis successisse. 2° Quod autem sacerdotes secundi ordinis 72 *discipulorum ministerium exercere* ibidem asserantur, id non necessario proprie dictam successionem arguit, quasi revera 72 discipuli a Christo fuerint ordinati presbyteri ; sed de mera institutionis similitudine explicari commode potest.

Documentum X. — Hincmarus Rhemensis Episcopus (tomo 2 ipsius operum, pagina 769) : *Sicut Dei virtus Christus et Dei sapientia ordinem et dignitatem Apostolorum et septuaginta discipulorum, in carnis præsentia, distinxit :... ita idem ipse... ordinem et dignitatem Episcoporum (qui locum n Ecclesia tenent Apostolorum), et presbyterorum (qui surogantur loco septuaginta discipulorum), et in administratione et in honore (sicut in veteri testamento, inter summos pontifices et inter minoris ordinis sacerdotes) discrevit.* Ib

certe nihil de parochis. Asserta autem *subrogatio presbyterorum* loco 72 discipulorum, de toties dicta institutionis similitudine intelligi potest.

Documentum XI. — Hugo a sancto Victore (apud Cardinalem la Luzerne, *Droits et Devoirs des Evêques*, pag. 217, edit. Migne(; *Sicut in Apostolis forma est pontificum, ita in duobus et 70 discipulis forma est presbytorum secundi ordinis*. Nec ibi quidquam de parochis: de presbyteris vero asserta solita cum 72 discipulis similitudo.

Citato loco præfati operis Cardinalis de la Luzerne videri possunt nonnulla alia documenta a parochistis exhiberi solita : textus nempe nonnulli Petri Lombardi, Gratiani, Fulberti Carnotensis Episcopi, Joannis XXII, et sancti Thomæ. Sed quibus omnino quadrant jam allatæ responsiones.

En ergo in quo stet toties recantatum illud parochistarum ex traditione argumentum. Quo certe id solum evincitur, ipsos, dum talia promunt, suis se manibus præfocare. Legantur et relegantur ejusmodi ab ipsis allata documenta, et si quæ alia similia reperiri possint ; et semper reperietur similitudinem cum 72 discipulis affirmari de presbyteris quatenus presbyteris, nunquam de parochis quatenus parochis. Semper nempe reperietur in antiquis monumentis considerari, ordinem presbyteratus, non vero parochialitatis officium, quando asseruntur secundi ordinis sacerdotes *ad formam* 72 discipulorum fuisse instituti. Unde plane mentiuntur parochistæ quando audacter affirmant, traditionem parochis proprium facere, quod sint 72 discipulorum successores : et inde concludunt parochorum institutionem esse juris divini, eorumque jurisdictionem ab ipsomet Christo ipsis immediate profluere.

Quam doctrinæ pestem atque erroris monstrum paucis hisce verbis conclusit Juvenin, auctor merito a Sede Apostolica damnatus : *Verum si curati sint successores septuaginta duorum discipulorum, necessario sequitur eos esse ex immediata Christi institutione ; eos suam ab ipsomet Christo iurisdictionem habere ; nam ab ipso immediate electi sunt* 72 *discipuli, ab ipsomet missi sunt ad opus evangelicum*. Ex hac autem Juvenini argumentatione intelligat lector, cur paro-

chistæ tanto nisu propugnent prætensam illam parochorum a 72 discipulis genesim ; nec nobis exprobet, quod confutando tam aperto errori aliquantisper immoremur.

Sed numquid, recentiores saltem doctores, nullos systematis sui patronos habent? Utique habent totum, qua late per orbem invaluit, Jansenisticum agmen ; habent Sorbonam ; habent et Sorbonæ decus, Gersonem. « Gerson (ait Cardinalis « de la Luzerne, *Droits et Devoirs des Evêques et des prêtres*, « pagina 230, edit. Migne) est le premier qui ait soutenu, au « quinzième siècle, que la place des soixante et douze dis- « ciples est occupée par les seuls curés. » Quanti autem facienda sit Sorbonæ et Gersonis auctoritas (de Jansenistis enim quæstio esse nequit), sub sequenti paragrapho expendimus.

§ IV.

Auctoritas doctorum, qui admiserunt parochorum a 72 discipulis ex divina institutione derivationem, vim probandi non habet.

Fatemur ab asserta in superioribus paragraphis doctrina prorsus dissentire Gersonem, celebremque Sorbonam, et insignes Parisiensis facultatis doctores plurimos. Ast num merito eorum hac in re auctoritas objici valeat, tantisper expendamus.

I.

Num merito objiciatur Gersonis auctoritas.

Non ii sumus, qui virum illum nominibus *magni*, *doctissimi et piissimi* unquam salutabimus ; quem potius rei catholicæ exitialem exstitisse existimamus, cum multis vere piis et orthodoxis auctoribus ; inter quos sic Nardi (*dei Parochi* tom. 1, p. 280) : « Gerson, cui verum nomen Joannes Car- « lier, anno 1363 in Pago Gerson diœcesis Rhemensis natus,

« vivis autem sublatus anno 1429, vir fuit ardentis atque « fanaticæ indolis qui Ecclesiæ Dei non parum exitio fuit, « infensis suis in Sedem Apostolicam et principum tempora- « lium auctoritatem opinionibus : cujus opinandi audacia im- « pulsum dedit, quo Gallia dein ad schismatis oram deducta « est... Ab ipso nempe sparsa semina, quæ Lutheri postea « reformationem, Jansenismum, et Gallicam revolutionem « produxerunt. »

Quantum ab orthodoxa doctrina aberraverint, circa auctoritatem Summi Pontificis, Gerson et Parisiensis Sorbona, palam faciunt eorum conclusiones in concilio Constantiensi propositæ et rejectæ, quæ referuntur apud d'Argentré (*Collectio judiciorum*, tom. 2, pag. 199 et seq.) ; e quibus hæc pauca transcribimus : « Ecclesia militans, quam sacrum « concilium repræsentat, est magis necessaria quam Papa... « Ecclesia est melior quam Papa.. est honorabilior quam « Papa... est fortior et potentior quam Papa ; propterea quod « scribitur de ea, quod portæ inferi non prævalebunt adversus « eam... quæ portæ nunquam prævalent contra Ecclesiam « universaliter, sed sæpe contra Papam... Ecclesia catholica « est supra Papam... Papa recipit summam potestatem ab « Ecclesia ministerialiter, quamvis illa potestas, sicut omnis « alia potestas, sit a Deo principaliter... Ecclesia universalis « non habet claves regni cœlorum a Papa ; sed e contra Papa « ab Ecclesia, quæ per electionem fecit ipsum in executione « seu usu clavium quoad membra etiam principalissima... Ec- « clesia sufficienter congregata potest in multis casibus uti « clavibus sibi a Christo collatis, et Papam judicare, cor- « rigere, et ex justa causa deponere : patet, quia licet eri- « pere gladium de manu furiosi. Potestas enim quam habet « Papa, non est ipsi data ab Ecclesia ad destructionem, sed « ad ædificationem... Ex præmissis videtur posse elici quod « potestas Papæ sit potestas Ecclesiæ, qua utitur nomine et vice Ecclesiæ. »

Ibi profecto totum orituri postea Febronianismi virus, et Pistoiensis conciliabuli damnata dementia. An pius et moderatus fuerit Gersonius, æstimet lector ex furibunda et seditiosa ipsius in cathedrali Parisiensi, contra bullam Alexan-

dri V, declamatione : *Quis,* aiebat, *fecit libros Sextum et Clementinas, arrogantiam, superbiam, juris Ordinariorum usurpationem... in omnibus et per omnia concludentes? Exurgant Prælati Ecclesiæ, offerentes Deo sacrificium justitiæ, et has rapinas, furta, et latrocinia Romana curiæ dignentur penitus amovere.*

Adnotat Cardinalis Pallavicinus, in sua *concilii Tridentini Historia* (lib. 1, c. 9, n. 7), opiniones Gersonii arma Luthero fuisse, in impugnanda pontificia auctoritate.

Item Melancthonius, antequam ab Ecclesiæ unitate decideret, doctrinis Petri Alliaci, Occhami, et præcipue Gersonii sese enutriverat.

Quis catholicus non abhorreat excessum, ne dicam ferocitatem, doctrinæ Gersonianæ, qua varios describit casus, quibus licitum facit Papam et regem cum ipsorum familia trucidare, ex principio residentis penes populum auctoritatis? Merito eum Allegre (*Theologia*, lib. xi, prop. 16) vocat virum *Romano Pontifici infensissimum, et novitatum in Ecclesia Dei inductorem.*

Merito censet P. Petit Didier, ordinis sancti Benedicti (*Dissertatio de concilio Constantiensi* edit. Luxemburgi, pag. 3), dignum Gersonii opus quod *æterna oblivione sepeliatur, indignissimum que* virum illum cui fides adhibeatur in his omnibus quæ contra Romanam Sedem declamavit.

Merito P. Carrara Theatinus (*de Primatu Romani Pontificis,* pag. 243, édit. Ravennæ 1769) : *Gersoni contra papas fanatico, solitum etiam fuit in cæteris ad extrema prosilire : prout extremus fuit in sua erga sanctum Josephum devotione, de cujus immaculata conceptione volebat a concilio Constantiensi festum decreto sanciri; atque idem in reservationes omnes Pontificias furibundus provupit.*

Forte tamen nimius protestans Villiers (*influence de la réformation de Luther*, Paris, 1804), quando (pagina 125) revolutionis religiosæ choripheos in Gallia existimat Gersonem et Richerium ; et pagina 244 adnotat, viguisse in Gallia *semi-reformationem Lutheranam, sous le titre des libertés gallicanes.*

Magnam Gersonio famam, non ab ipsius doctrinæ valore

ipsi conflatam existimat Pegna (*della Riverenza ed onore alla Chiesa*, pag. 288, Romæ 1795), sed tum ex temporum quibus vixit obscuritate, tum ex cancellarii facultatis Parisiensis munere, tum præcipue quod ipsum laudibus summis extulerunt hæretici et alii anti-romani theologi.

Eum Bellarminus *erroneum* dicit in materiis quæ Ecclesiam Romanumque Pontificem et concilia respiciunt ; nec voluit (in suo libro *de Scriptoribus eccles.)* ejus opuscula describere.

Non ergo inter graves et sanæ doctrinæ viros computandus Gerson ; neque alia ejus sententiis concedi debet auctoritas, quam rationum et probationum quibus forte suffultæ reperirentur.

Jam vero a Gersone affirmatum quidem fuit, parochus ex institutione divina 72 discipulis successisse ; at quam inani seu potius nullo rationum auctoritatumve fulchro, mirabitur forte lector, cui nondum perspecta fuit illius viri audax in affirmando levitas : *Status curatorum,* inquit, *succedit statui septuaginta duorum discipulorum Christi quoad legem novam, et figuratus est in antiqua lege per levitas. Ac proinde status curatorum est de institutione Christi et Apostolorum suorum a principio fundationis Ecclesiæ ; quæ institutio per declarationes Summorum Pontificum et synodorum, tam generalium quam specialum, magis ac magis innotuit* (1). *Status curatorum est de essentiali ac intrinseca Ecclesiæ hierarchia, sicut status Prælatorum, quamvis inferior sit et pro sua perfectione variabilior. Qua ratione curati simplices non æque proprie dicuntur sponsi sicut Episcopi, liberiusque permittuntur cedere vel renuntiare curis suis* (2). Hæc transcrip-

(1) Nullam citat hujusmodi declarationem ; et nulla revera extat qua institutionis divinæ dicantur parochi quatenus tales : nam sacerdotes secundi ordinis seu presbyteros, in 72 discipulis adumbratos fuisse, plura (ut supra vidimus) antiquitatis monumenta tradunt ; ita ut ad formam prædictorum discipulorum dicantur instituti *presbyteri*, id est, totus ordo presbyterorum, sive parochi sint, sive non. Unde patet divinam parochorum institutionem a Gersone, absque vel minima probatione, asseri.

(2) Ibi etiam mera affirmatio, probatio nulla. Parochos autem ad *essentialem et intrinsecam Ecclesiæ hierarchiam* pertinere, mera fuit, et hucusque forte inaudita a Gersone invecta novitas.

simus ex opusculo de *Statibus ecclesiasticis* (tomo 2, pagina 534, editionis Ellies Dupin).

Pariter in suo sermone contra bullam *Regnans* Alexandri V, incredibili audacia ita affirmat, nullis adductis probationibus : *Domini curati sunt in Ecclesia minores Prælati* (1)... *Et hic complures extricantur veritates, ex quibus aliæ sequuntur ut per modum corollariorum ; domini curati in Ecclesia minores Prælati sunt hierarchici, hoc est principales aut dominantes per primam institutionem Jesu Christi : hoc fundatur in Evangelio* (*Luc 10, cum glossis*) *et in jure canonico* (*dist. 68 et 13, q. 1*) (2). *Evangelium est bulla curatorum : sequitur quod de ordinatione essentiali et stabili sanctæ Ecclesiæ æque bene est status curatorum sicut ille Prælatorum, Cardinalium, Archiepiscoporum : imo vero, sicut status ipsius Papæ, quamvis non sit adeo perfectus. Sequitur Papam hunc statum destruere aut annihilare non posse ; cum status ille, non ex sua proveniat positiva ordinatione, sed sine medio ex Dei auctoritate* (tomo 2, pagina 436, editionis ab Ellies Dupin concinnatæ). Cum ergo nulla probatione muniat Gerson parochorum a 72 discipulis, ex institutione divina, derivationem, cum aliunde scriptor ille erroribus scandalo plenis scateat, nulliusque proinde auctoritatis sit, immerito ipsius sententia in patrocinium adducitur.

Plus æquo forsan acriorem nonnullis videbitur in Parisinæ facultatis percelebrem cancellarium meum excurrisse calamum. At quodnam præcipuum sibi perpetuo Presbyterianismus Palladium fecit ? Nonne Sorbonæ et ipsius cancellarii Gersonis auctoritatem ? Cæterum memoria lector recolat quid Gerson in Sedem Apostolicam moliri ausus sit, et me forsan molliorem, nedum acriorem comperiet. Bullam *Regnans* ediderat Alexander V : eam *universis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis* direxerat. In ea errorum Joannis de

(1) Ea profert Gerson tanquam a facultate theologica Sorbonæ determinata.

(2) Hoc neque in evangelio fundatur, neque in glossa a Gersone citata (quam nos supra transcripsimus, ut contrarium probaremus), neque in jure canonico ; sed in mero et gratuito Gersonis asserto et deliramento.

Poliaco damnationem confirmabat, novasque alias erroneas propositiones ipse damnabat. Asserit autem Pontifex se mature cum Cardinalibus, *prout tanti negotii qualitas exigit*, rem vidisse et examinasse, et de *eorumdem* Cardinalium *consilio* præfatas propositiones damnasse et reprobasse. Tum addit : *Volentes quod si quis deinceps prædictos articulos asserere, aut in scholis vel alibi glossare, defendere seu tenere aut prædicare præsumpserit, tanquam hæreticus sit censendus et excommunicationem incurrat ipso facto, a qua nisi per Summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, non possit absolvi...; invocato, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.* (*Bullarium dominicanorum,* tom. 2, pag. 501, edit. Romæ 1730.)

Porro Gerson non tantum huic Sedis Apostolicæ decreto non sese submisit, sed bullam publice, in sermone ad Parisiensem populum habito, confutavit, et solemne illud Summi Pontificis judicium et errorum damnationem, ipse cum sua Sorbona per instrumentum publicum damnavit. In quo quam longe processerit ipsius arrogantia seu potius delirium, æstimet lector ex paucis quæ subjicimus fragmentis: *Patet quod de ordinatione et sanctæ Ecclesiæ gubernamine referendum sit principalius ad sanctam Scripturam, quam ad leges civiles* (*Sermo contra bullam*, tom. 2, pag. 434, editionis Ellies Dupin) : ibi forte quis videbit initium quoddam systematis protestantici, regulam controversiarum in textu Scripturæ sacræ ab unoquoque interpretandæ ponentis. At esto benigne intelligi possit dictum illud : quod subjungitur de universitate Parisiensi vix credibilis audaciæ est : *Apparet*, inquit, *quod ad universitatem Parisiensem, filiam regis, spectat secundum doctrinam de sanctæ Ecclesiæ judicare gubernamine* (loco citato).

Notetur ibi præfatæ universitati attribui, non tantum judicium quoddam præparatorium, Sedi Apostolicæ subjectum, atque de quæstionibus nondum a suprema Ecclesiæ auctoritate definitis, quale revera competit doctoribus et theologicis facultatibus ; sed judicium independens a Summo Pontifice, et supra ipsas Sedis Apostolicæ definitiones : siquidem agitur de bulla dogmatica Alexandri V condemnanda et re-

jicienda ; quam de facto rejecit et condemnavit Gerson cum sua Sorbona. Dum ergo vult ad *Filiam Regis* pertinere potestatem judicandi *de Ecclesiæ gubernamine* intelligit profecto potestatem judicandi etiam judicia Sedis Apostolicæ. De bulla autem ipsa sic loquitur : *Quoniam... visum est filiæ Regis Universitati, hunc hierarchicum ordinem prælationis* (quem nempe antea descripserat) *aliquomodo in pertubationem aut impedimentum casurum, voluit et vult, ut potest, obviare et resistere. Et si quærat aliquis quid hæc contineat bulla, respondeo me nondum habere commissionem ad longum declarandi malum ibi contentum... Bene in generali dicere possumus, si scriptura hæc admitteretur, ipsa perturbaret hierarchicum ordinem Prælatorum sanctæ Ecclesiæ ; magnos mediocres, et parvos, qui sunt curati* (loco citato, pag. 435 et 436). *Dicimus ergo sub omni reverentia* notetur candida hæc reverentiæ protestatio) *sanctæ Sedis Apostolicæ, et sedentis in ea Summi Pontificis, quod tenor illius copiæ videtur nobis primum intolerabilis ; dehinc totius ecclesiastici status turbativus. Et ita dicimus adversus tales abusus provisione celeri et salubri opus esse. Videtur quidem intolerabilis ; ex modo condemnationis undecim articulorum illic numeratorum, cum fulminatione pœnarum horrendarum, et adjectione quod non obstant statuta apostolica, neque illud saluberrimum et celeberrimum* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS (1), *editum in concilio genarali ; cui statulo derogare, quid nisi palam deviare est ? Constat vero nobis juxta proprios theologicæ doctrinæ terminos, quod in articulis undecim illic jam damnatis, implicantur multa quæ possunt glossari ; nedum absque periculo hæresis et anathematis, sed cum veritate et merito* (loco citato p. 443)... *prædicta bulla... abradenda est, cassanda et annulanda perpetuo* (ibid., pag. 446). Addit postea Sorbonæ solitum in istiusmodi rebellionibus mendacium, bullam nempe non reputari confectam *de conscientia Papæ, neque deliberatione sacri Collegii Cardinalium ;* licet contrarium in bulla ipsa exprimeretur. Nec dicat

(1 Quo nempe præscribitur, ut quisque peccata confiteatur *proprio sacerdoti,* quod Sorbona dicebat intelligendum de proprio parocho.

quis excusari aliquatenus posse ejusmodi agendi rationem, eo quod tunc tres essent de Papatu contendentes : nam Gallia et universitas Parisiensis erant de obedienta Alexandri V; et in tota hac re Gerson et Sorbona omnia egerunt ex hypothesi legitime constituti illius Pontificis. Ex paucis ergo illis de Gersone memoratis, patet hujus scriptoris opinionem, tanquam auctoritatem in re de qua agimus adduci non posse (1).

II.

Num merito objiciatur Sorbonæ auctoritas.

Non propria Gersonis, sed totius generaliter Sorbonæ opinio fuit, institutos immediate a Christo parochos, verosque eosdem 72 discipulorum successores, queis tertius consistat hierarchiæ in Ecclesia gradus. De quo ut unum aut alterum ex plurimis documentum adducamus, memorabimus pronuntiatam anno 1408 damnationem in quemdam Joannem Gorel, quem adegit Parisiensis facultas ut errata retractans, profiteretur in hunc modum : *Domini curati sunt in Ecclesia minores Prælati et hierarchæ ex prima institutione Christi.* Item anno 1429 Joannes Sarrazin, ejusdem facultatis jussu, in hanc compellebatur propositionem : *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem juridictionis, sive sint Episcopis, sive sint curati esse immediate a Deo Evangelicæ et Aposto-*

(1) Suspicor ego (pace eorum dixerim qui Gersonem existimant gravissimum theologum, scriptorem celeberrimum, *piumque* libri imitationis Christi auctorem) nunquam eos pervolvendis ipsius operibus vel aliquot horarum mora inhæsisse. Alioquin enim, pro expectata doctrinæ gravitate, statim deprehendissent subtilitatum, pueriliumque ratiociniorum fere perpetuam farraginem ; egenam quam maxime de Ecclesiæ historia et monumentis notionem; inepta circa physicam, medicinam, aliasque naturales scientias, systemata; ubique autem in dicendo tumorem quemdam, et sibi ipsi fidentissimi viri petulantiam ; ut proinde ne possibile quidem existimari possit ea manu descriptos fuisse humilitate, mansuetudine, simplicitate et omnimodæ sanctitatis fragantia eximios *imitationis Christi* libros. Quod quidem meum, nullius auctoritatis, judicium, etsi liberum cuique sit nihili facere, oro tamen ne, antea quam Gersonem ipsum legerit, rejiciat.

licæ consonat veritati (apud d'Argentré *Collectio judiciorum*, tom. 2, pag. 178 et 227). Contrariam ergo nobis Sorbonam non diffitemur : valere autem ejus hac in re auctoritatem minime concedimus. De qua propterea breviter recolendum, qualem se a primis sui exordiis exhibuerit, qualem in decursu, et qualis tandem occubuerit.

Universitatem Parisiensem fundaverat Carolus magnus anno 790; in qua *facultas theologica* quartam veluti sectionem constituebat. Decurrente jam medio sæculo decimo tertio, quidam Robertus de Sorbon domum instituit, in qua facultatis theologicæ professores communi vita degere possent. Hinc domus illa *Sorbonæ* nomine vocitari cœpta ; atque in ea major pars dictæ facultatis versari ; ita quod *Sorbona* et *theologiæ facultas* pro synonymis dein usu venerint. Anno 1253 fudata est Sorbonæ domus : ad quam proinde pertinere nequivit magister sententiarum, id est Petrus Lombardus, qui tanta fama in universitate Parisiensi anteriori sæculo professorem egerat. Item non in domo Sorbonæ, sed in suis claustris degebant sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Alexander de Ales, aliique clarissimi facultatis theologicæ Parisiensis magistri, licet jam Sorbonæ synchroni.

Cœtus autem qui in Sorbonæ domo degebat jam ab initio pestiferis quibusdam germinibus sese infectum exhibuit, e quibus postea magis ac magis morbidæ doctrinæ fructus eruperunt. Unus enim e primis Sorbonæ incolis fuit doctor Guillelmus de Saint-Amour, infensissimo suo in regularium ordines animo, et erronea parochismi doctrina percelebris ; quem confutarunt sanctus Thomas et sanctus Bonaventura, et cujus opera ab Alexandro Papa IV damnata sunt. Nec sibi dissentientes collegas suos domus sorbonicæ habuit Guillelmus de Saint-Amour, sed e contra summo zelo adhærentes. « Ut ipsum sustinerent (ait Nardi, tom. 1, pag. 300, edit. « Pezari), toto nisu in sanctum Thomam invehebant : ita « ut non parvi negotii fuerit doctorem Angelicum e cathedra « sua Parisiensi non detrudi, Sese autem prodebant sorbonici « pauperum Lugdunensium, Beguadorum, Fratricello- « rumque erroribus non parum infectos. » Unde non mirum est ab initio depositum in sorbonico cœtu parochismi ger-

men, postea sub variis recurrisse evolutionibus. Ineunte sæculo decimo quarto, Joannes de Poliaco de sacramento pœnitentiæ disserens, in gratiam parochorum plurimos errores sustinuit, qui a Joanne XXII damnati sunt. Gersonis tempore quis fuerit Sorbonæ animus, satis ex supra relatis constat. Auctoritatem Gersonis allegabat Sorbona ; auctoritatem Sorbonæ Gerson. Sic anno 1408 deventum est ad definitionem, qua *Domini curati* a Sorbona declarantur *minores Prælati et hierarchiæ ex primaria institutione Christi* (opera Gersonis, tom. 2, pag. 250, edit. Ellies Dupin) ; et eosdem in conciliis œcumenicis esse judices, cum voce definitiva, non quidem ex privilegio, sed *ex statu et ordinario jure,* tenuit cum sua Sorbona Gerson (loco citato). Anno 1440 legitimum Pontificem Eugenium IV agnoscere recusavit Sorbona, et antipapæ Felici V adhæsit.

Nicolaus V anno 1443 in sua bulla *Provisionis nostræ,* confirmabat bullam *Gregis nobis crediti* Eugenii Papæ IV, qui ipse confirmaverat bullam *Super cathedram* Bonifacii VIII, et bullam *Dudum* Clementis V, et condemnationem articulorum Joannis de Poliaco, a Joanne XXII pronuntiatam. Nihilominus in eam etiam Nicolai V bullam sic scandalose rebellavit universitas Parisiensis : « Noverint universi, quod « anno Domini 1456 die sabbati 22 mensis maii, alma univer- « sitate studii Parisiensis apud sanctum Mathurinum solem- « niter congregata, et specialiter convocata, ad audiendam « lecturam copiæ cujusdam bullæ, per quosdam fratres de « ordine Carmelitarum Officiali Parisiensi præsentatæ, inter « cætera conclusum exstitit unanimiter, ipsis auditis, quod « sit scandalosa, turbativa pacis et concordiæ, subversiva « ordinis hierarchici ecclesiæ, ac subreptitia. Placet formare « appellationem, præsertim in quantum derogat hujusmodi « bulla juri communi, decretali *Omnis utriusque sexus*, et « Clementinæ *Dudum, de sepulturis.* » *Collectio judiciorum*, d'Argentré, tom. 2, pag. 183.)

Callixtus III, bulla *Inter cætera*, confirmavit constitutionem Nicolai V, atque irrita declaravit insana universitatis Parisiensis adversus dictam constitutionem tentamina. Ordines religiosos præterea laudavit *pro eo quod determinatio-*

nibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ in materia fidei renuntiare noluerunt. Imo Galliarum regem sic rogavit ut præsumptores compesceret. « Nuper ad nostrum pervenit auditum, « quod quidam de universitate Parisiensi, ultra quam eis « liceat de se præsumentes, contra determinationes Sedis « Apostolicæ, ad quam in dubiis sacramentorum et fidei « est recurrendum, et in prœjudicium litterarum apostoli- « carum ac privilegiorum..., in magnum detrimentum fidei, « scandalum regni tui, et periculum animarum plurimarum « insurgere non verentur, asserentes certas litteras felicsi « recordationis Nicolai Papæ V... falsas esse. » (Apud d'Argentré, *Collectio judiciorum*, tom. 2, pag. 183.) At sicut audacter Nicolao V restiterat universitas Parisiensis, ita et Callixti III decreta nihili fecit, ut videre est apud d'Argentré (*Cellectio judiciorum*, tom. 2, pag. 184).

Anno 1497 sic pronuntiavit Sorbona, respondendo quæsitis regis Galliæ:

Ad primum quæsitum, *à sçavoir, si le Pape est tenu de dix ans en dix ans assembler le saint concile représentant l'Église universelle et mesmement de présent, considéré le désordre qui est en l'Église tout notoire, tam in capite quam in membris. — Et responsum est, quod Summus Pontifex et Pater Sanctissimus tenetur de decennio in decennium congregare generale concilium, et maxime nunc.*

Ad secundum quæsitum : *S'il est négligent* (le Pape) *ou diffère, à sçavoir si les princes tant ecclésiastiques que séculiers, et autres parties de l'Église, se peuvent assembler de soi-mesmes, et s'ils feront le saint concile représentant l'Église universelle, sans être par le Pape assemblés?* — Responsum est affirmative.

Ad tertium quæsitum : *Si en cas de urgente nécessité, comme de présent..., une grande partie de la chrestienneté, comme le royaume de France, ou le roy représentant iceluy, prie, somme, et admoneste le Pape et les autres parties de soi assembler et les autres parties ou aucune d'elles sont négligentes, refusantes ou delayantes de y venir, à sçavoir si ceux qui s'y trouveront pourront célébrer ledit concile sans les autres, et pourvoir à la nécessité de l'Église?* — Af-

firmative pariter responsum est : *dixit et definivit prædicta, facultas*, etc. (Vide integrum documentum apud d'Argentre, *Collectio judiciorum*, tom. 2, pag. 335.)

Ad finem vergente sæculo decimo quinto, obstitit bullæ Innocentii III, atque scandalo toties postea renovato, ad concilium appellavit. Ineunte sæculo decimo sexto a rege Ludovico XII eligitur, et stipendio dato impellitur ad scribendum contra Julium II Papam Jacobus Almainus doctor sorbonicus, qui ut superiorem hierarchiam deprimat, parochos non minus ridicule quam erronee extollit. Circa annum 1611 syndicum Sorbonæ agebat heterodoxus Richer, qui inter cæteros errores, a Sede Apostolica damnatos, docuit Episcopum quoad parochos non esse nisi *primum inter pares*. A quo auctore expressam fuisse ipsiusmet Sorbonæ doctrinam testatur Cardinalis Duperron (*Ambassades*, pag. 696), qui adnotat, Richerium hæreticales theses defendisse in ipsa Sorbona, in qua multos sequaces habebat. « Sorbona (inquit Nardi, tom. 1, « pag. 301) non poterat Richerio gratum animum non ex- « hibere; unde quotannis pro tam pia anima sacrum cele- « brari sacrificium curabat. » Omitto a Sorbona damnatos Jesuitas. Sed quod ad rem magis est, quando orthodoxam doctrinam contra parochistarum errores sustinuit Vernant, censuram Sorbonæ incurrit anno 1658; ut adeo palam sit, non aliquos, sed totum moraliter sorbonicum cœtum ad ejusmodi errores declinasse. Sorbonici doctores fuere, Jansenismi vigore celebres, Simon Vigor, Jacques Boileau, et ut uno verbo res expediatur, præcipui quique Jansenistæ. Edendo libro cui titulus *Petrus Aurelius* (auctore Duverger, sancti Cygirani abbate), manus admovit Sorbona ; cumque rursus Parisiis typis mandatus est *Augustinus* Jansenii, inscripta est doctorum Sorbonæ approbatio. Scandalum autem complevit Sorbona, anno 1740, actu schismatico; subscribendo nempe damnato scripto Jansenistarum, qui sub nomine *Casus concientiæ* notum remansit. Anno 1763 schismaticum conciliabulum Ultrajectense approbavit. Eo devenerat Sorbona, ut Galliæ Episcopis jam suspecta foret, qui clericos suos eam adire scholam non sinebant.

Fatemur ergo, parochorum a 72 discipulis derivationem,

eorumdemque divinam institutionem, a multis sorbonicis doctoribus, imo generatim a Sorbona reperiri assertam: at, perpensis quæ præmisimus, auctoritatem ejusmodi pro nulla esse habendam existimamus.

III.

Neque merito objiceretur Joannis Majoris et Juvenini auctoritas.

I. Nulla certe in hac quæstione concedenda Joanni Majori auctoritas. Ipse quidem divinam parochorum institutionem fortiter asserit: imo subjungit: *Licet Petrus Paludanus et Joannes de Turrecremata teneant oppositum: sed hoc quod ipsi tenent, censuit in fide hæresim facultas nostra.* At vero Joannes Major, qui anno 1506 doctor sorbonicus creatus est, infectam, quam a cœtu sorbonico acceperat doctrinam, transmittebat, rejiciendus et ipse, si rejicienda generatim Sorbonæ auctoritas. Quod autem parochos institutionis divinæ non esse Sorbona *censuerit hæresim,* id si verum sit, perbelle probat quantum (prout in multis aliis) in hac etiam quæstione a recto tramite errabunda deflexerit.

II. Rejicienda insuper Juvenini auctoritas. Ipsius enim *institutiones theologicas ad usum seminariorum* damnarunt Carnutensis Episcopus anno 1708; Cardinalis Tiard Bissy, Meldensis Episcopus anno 1719, item episcopus Ambianensis, Suessionensis, Aptensis, aliique plures; atque ipse etiam Cardinalis de Noailles. Opus absque restrictione prohibuit Clemens XI; quod hodiedum in Indice occurit cum clausula *donec corrigatur.* Et notandum prohibitam remanere pariter editionem cum notis Tournelii, ut *ex officio* a magistro sacri Palatii celeberrimo Mamacchio responsum fuisse testatur Nardi (*dei parochi*, tom. 1, pag. 306). Talis profecto scriptoris nulla esse potest apud catholicos auctoritas.

Cum tamen ipse *ex professo* thesim institutionis divinæ parochorum sustinuerit, rationes ab eo adductas expendamus, et an robore aliquo polleant cursim perpendamus. *Primum* ipsius argumentum sic resumi potest: exstitere semper parochi; ergo institutionis divinæ sunt. — Negatur antece-

dens; eruditis enim jam compertum omnino est, nec ullibi prioribus temporibus, nec per mille annos in civitatibus episcopalibus parochos exstitisse. Tota autem ex congestis monumentis a Juvenino fabricata argumentatio eo laborat errore crassissimo, quo pro parochis habet, quoscumque reperit sub nomine *presbyterorum* in antiquitate memoratos. — Negatur insuper consequens et consequentia: nam etiamsi statim ab Ecclesiæ exordiis instituti reperirentur parochi, id non sufficeret ad divinam institutionem probandam cum multa ad bonum ordinem instituere potuerint Apostoli eorumve successores, quæ minime fuerint a Christo ipso decreta. *Secundum* argumentum est in hunc modum: traditio docet parochos successisse 72 discipulis; ergo parochi institutioni divinæ accensendi sunt. — Negatur antecedens: traditio loquitur de presbyteris seu de secundo sacerdotii ordine; de parochis vero quatenus parochis, nullibi verbum facit. *Tertium* argumentum deducitur ex auctoritate Sorbonæ, Gersonis et sancti Thomæ, divinam illam institutionem admittentium. — Respondemus pro nulla habendam esse in hac quæstione Sorbonæ et Gersonis auctoritatem. Quoad sanctum Thomam, ostendemus infra eum huic opinioni non patrocinari. *Quartum* argumentum in eo nititur, quod tempore Arii, Alexandriæ et Romæ exstiterint parochi: unde arguit eos semper extitisse, ac proinde divinæ esse institutionis reputandos. — An Alexandriæ et Romæ extiterint proprie dicti parochi, disputata apud eruditos quæstio est: sed hoc transire permisso, male concluditur eos *semper* in his urbibus et alibi exstitisse: ex eo nempe quod ibi adfuerint tempore Arii, non sequitur anterioribus temporibus adfuisse. Et tandem, ut supra dictum est, etiamsi semper ab initio adfuissent, non adhuc sequeretur eos esse divinæ institutioni adscribendos. *Quintum* et Achilleum argumentum est, contrariam opinionem a Sorbona velut hæreticam fuisse confixam. — Quod quidem Sorbonæ arrogantiam et transversam mentem probare concedimus; at præterea nihil.

Ex qua recensione patet, nullam Juvenino concedendam esse auctoritatem, etiam attentis variis, quas ex professo congessit, rationibus.

IV

Probatorum doctorum, qui objeci possunt, auctoritas vim probandi non habet.

A nonnullis etiam optimæ notæ doctoribus habitos fuisse parochos tanquam 72 discipulorum, ex divina institutione, successores, inficias non ibimus. Ast notandum scripsisse eos, plerosque saltem, antequam ea crisis face, quæ postea inducta est, sedulo explorata fuissent antiquitatis latebra: ipsis proinde, ob majorem eruditionis historicæ copiam, hac in re anteponendos recentiores: ex his vero præcipuos (si jansenistici asseclas systematis seponas), chimericam existimasse divinam parochorum institutionem, et a 72 discipulis derivationem. Ex quo solo elisa certe priorum (etsi optimæ cateroquin notæ) remanet auctoritas. Recentioribus porro ejusmodi eruditis (præter supra adductos non paucos) juvat et sequentes subnectere:

Devoti, libro 1, titulo 3, sect. 10 institutionum: « Per tria « fere priora Ecclesiæ sæcula, nulla in ecclesiasticis monu- « mentis eorum (*nempe parochorum*) mentio est. Una in prin- « cipe diœceseos civitate erat ecclesia, ad quam christiani « omnes, non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum « die solis, hoc est dominicos, confluebant; et præsentibus « quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per diaco- « nos mittebatur. Huic ecclesiæ, quæ cathedralis erat, ipse « præerat Episcopus; qui suum habebat senatum et presby- « terium, hoc est illi addictos presbyteros, quorum erat « Episcopo dare operam in ecclesiæ regimine et administra- « tione. »

Adnotator institutionum Devoti, id est, Pius Papa VIII, ad locum citatum sic habet: « Parochos a Christo ipso fuisse ins- « titutos, ut una cum Episcopis, subjecta tamen ipsis potestate, « ecclesiam regerent, quorumdam opinio est... Verum quam « falsa hæc opinio sit, satis ostendit ipsa parochorum origo, « quæ certe tertio sæculo antiquior non est. Imo in civita- « tibus ante annum Christi millesimum nullos fuisse parochos

« ostendit Marius Lupus Bergomensis. Certe antiquiori ætate « nulli erant hujusmodi presbyteri, qui proprium haberent « officium regendi populum ; sed Episcopus unum aut alterum « eligebat sacerdotem, cui modo unam, modo alteram populi « partem committebat, et cui adimebat officium eodem arbi- « trio quo dederat. Nemo enim (uti nunc parochi sunt) certo « erat addictus populo, quem perpetuo regeret jure officii sui... « Lapsu temporum maluerunt Episcopi parochos eligere, hoc « est presbyteris quibusdam certam populi partem perpetuo re- « gendam committere ; atque ita parochorum potestas ab « episcopali ordine tanquam a fonte procedens instituta est... « Qui divinitus parochos institutos putant, eorum originem « repetunt a 72 discipulis, quos Christum sacerdotes fecisse « arbitrantur. Verum hi discipuli missi quidem sunt in omnem « locum et civitatem quo Christus erat venturus, ad animos « ejus adventui præparandos ; sed neque erant sacerdotali « charactere insigniti, neque ipsis erat tributa potestas re- « gendi populos, neque electi ad sacramenta administranda... « Sane ex septuaginta duobus discipulis septem viri electi « sunt, quos Apostoli manuum impositione diaconos ordina- « runt (Act. Apost., c. 6). Quomodo igitur iidem a Christo « sacerdotes creati esse poterant? Sanctus Epiphanius (*Hæ- « resi* 20, n. 4, lib. 1, tom. 1, edit. Coloniæ 1682) id rectis- « sime animadvertit inquiens : *Præter hos* (Apostolos) *72 alios « ad eamdem functionem adlegat, e quibus septem illi fuere, « qui ad viduarum obsequium delecti sunt, Stephanus, Phi- « lippus*... Qui quidem Philippus ad Christi fidem convertit « Samaritanos, diuque post Christi ascensionem ad cœlum « diaconus erat. Dionysius Petavius (*de Eccles. hierarch.*, l. « 3, cap. 16, n. 2) loquitur de missione quam septuaginta duo « discipuli a Christo acceperunt : nullam autem, in hac mis- « sione, ordinis aut jurisdictionis potestam agnoscit. *Prior « ista missio*, inquit, *nullam aliam quam prædicandæ pœ- « nitentiæ ac tam doctrina quam miraculis præparandi ad « Christi fidem populi facultatem illis indidit : non regendi « gubernandive jus ullum, aut potestatem sive ordinis sive « jurisdictionis, quam post resurrectionem suam reipsa, et « ut loquuntur, acta tradidit*. Petrus Paludanus latissime

« ostendit 72 discipulos haud fuisse sacerdotes a Christo « constitutos ; idque ex eo præsertim conficit, quod illi ab « Apostolis diaconi ordinati fuerunt. Facile ex his intelligi- « tur, quam leve et infirmum sit fondamentum quo nititur « opinio eorum, qui presbyteros, ac præsertim parochos 72 « dicipulorum locum tenere existimant ; unde repetunt jura « parochorum, quos pene Episcopis pares faciunt. »

Item Politi solitum illud effatum, 72 discipulis parochos successisse, impugnat et subvertit in hunc modum : « Hoc « effatum quod tanquam fundamentum jacitur jurium paro- « chialium, quam facile corruit, si parumper excutiatur! Ac « primo, quem mihi successorem nominas ducentos et am- « plius annos natum postquam ejus decessor decessit? Neque « tu unus ex illis es, qui parochos sæculo quarto antiquiores « velis, neque illi magistri tui, quos modo memorasti, et in « quorum auctoritate delitescis id unquam senserunt. Toto « igitur illo tempore, quod inter discipulorum obitum ac pa- « rochorum ortum intercessit, quisnam locum tenuit disci- « pulorum? Presbyteri, inquis. Ergo non solum parochos sed « etiam presbyteros ad 72 discipulorum successionem vocas? « Jura igitur parochorum presbyteris omnibus communia? « Videsis, ne dum tua bona cum nimiis multis communicas, « nimium tenuentur, ac vilem redigantur ad assem. Sed pres- « byteri creati fuerunt antequam discipulorum ullus locum « suum deseruisset, vitamque suam posuisset. Aut igitur « successorem datum ante antecessoris obitum fatearis « necesse est aut nonnisi post trium sæculorum decursum « inventos fuisse qui Christi discipulis succederent, eorum- « que locum obtinerent. Præterea 72 discipuli missi fuerunt « a Chisto Domino *in omnem locum et civitatem*, ut viam « sternerent evangelicæ doctrinæ ; presbyteros autem eidem « loco affixos, eidemque christianorum cœtui addictos sem- « per videmus. Discipuli itidem ab Apostolis adhibiti ad fide- « lium cœtus colligendos ecclesiasque fundandas ; presby- « teri vero collectis christianorum cœtibus adesse, funda- « tisque ecclesiis prœesse jussi. Denique discipuli episcopali « ordine cumulati fuere, presbyteri verro nonnisi sacerdotio « initiati. Juvit hæc præfari ad fundamenta subruenda, qui-

« bus illorum innititur opinio, qui parochialia jura et officia, « non humano, sed divino statu orta esse, proindeque nulla « humana vi auferri aut imminui posse contendunt. » (Politi, *Jurisprudentia ecclesiastica universa,* in præfatione tomi 7, *de Jure parochiali.*)

Cum ergo *auctores bonæ notæ*, qui divinam parochorum institutionem, et a 72 discipulis derivationem admittunt, de iis sint qui, vel rem ex professo non expenderunt, vel in explorandis antiquitatibus ecclesiasticis parum versati sunt: cumque e contra *auctores bonæ notæ*, qui dictam parochiarum institutionem et derivationem veluti commentum explodunt, et eruditionis præstantia emicent, et quæstionem summa diligentia excusserint, et recentioribus temporibus comparatam ditissimam documentorum supellectilem præ manibus habuerint; æquum est ut priorum auctoritas posteriorum sententiæ hac in re locum cedat.

CAPUT VII

PAROCHOS NON FUISSE VETUS PRESBYTERIUM IN ANTIQUIS ECCLESIASTICIS MONUMENTIS MEMORATUM.

I. Parochi, ex superius probatis, ante annum 1000 in civitatibus episcopalibus fuerunt nulli; ergo non potuerunt constituere presbyterium Episcopi.

II. In tractatu *de capitulis* probavimus ejusmodi presbyterium fuisse cathedrales presbyteros et diaconos, qui Episcopo in diœcesis regimine auxiliabantur, et quorum cœtus postea capitulum cathedrale vocatum est; ergo antiquum presbyterium canonicis, non parochis, constabat.

III. Id insuper sic confirmari potest. Illi non fuerunt parochi, qui 1° munera parochialia non explebant ex officio, sed ex peculiari pro unaquaque vice Episcopi mandato; 2° qui supplebant vices episcopi, non pro cura alicujus sibi commissæ populi portionis, sed pro toto universim diœcesis regimine; 3° qui munera quæ hodie parochialia vocantur exple-

bant tanquam corpus, ex quo Episcopus, modo hunc, modo illum, pro arbitrio et prudentia ad hunc, modo tale vel tale officium parochiale, seu potius episcopale explendum deputabat. Atqui tales erant presbyteri et diaconi, quibus vetus constabat presbyterium.

1° Sine speciali Episcopi mandato nulli presbyterii membro licebat ea agere quæ hodie parochialia vocantur. Et imprimis non cuiquam licebat baptizare, nec missam celebrare. Id expresse declarat sanctus Ignatius martyr, in sua ad Smyrnenses epistola, numero 8 : *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habetur illa quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit... Non licet sine Episcopo baptizare, nec agapem celebrare.* Et ne pro re extra controversiam jamdudum posita textus congeram, satis sit verba Marii Lupi hanc eruditorum communem sententiam asserentis adducere : « Quod ad bap-
« tismum attinet, inquit, nemo eruditorum ignorat, in epis-
« copalibus civitatibus a solis Episcopis fuisse collatum, ut
« jam a pluribus doctissimis viris demonstratum fuit ; non
« secus ac unum solummodo conventum, id est, eucharistici
« sacrificii oblationem, ab Episcopo prioribus sæculis habi-
« tum in civitatibus fuisse. » *(De Parœciis*, dissert. 3, cap. 1*)*.

Idem dicendum de sacramenti pœnitentiæ administratione,
« et de verbi divini prædicatione : « Pœnitentium quoque
« reconciliationem, ait citatus auctor, ad solos spectasse
« Episcopos, constat ex eo quod innuit idem sanctus Ignatius,
« epistola ad Philadelphænos, numero 8, ubi ait : *Omnibus*
« *igitur pœnitentibus remittit Deus, si resipiscant in uni-*
« *tatem Dei, et Episcopi concessum...* Item verbum Dei præ-
« dicandi munus ex officio ad solos pertinebat Episcopos,
« ut notum est. Generatim vero antiquissimis canonibus
« sancitum erat, *ut presbyteri et diaconi præter Episcopum*
« *nihil agere pertentent.* Ita canon 40 inter appellatos apos-
« tolicos. His consonat Laodicenus 57. Quin immo ne ab-
« sente quidem Episcopo urbici presbyteri sacra munera
« obire poterant absque ejusdem delegatione : tunc vero ea
« vice Episcopi, non ex proprio implebant officio, uti patet
« ex epistola 10 sancti Cypriani ad Presbyteros et diaconos

« Carthaginenses. Ita enim eisdem scribit: *Hortor et mando « ut vos vice mea fungamini circa ea gerenda; quæ administratio religiosa deposcit.*

« Si igitur presbyteris, qui presbyterium constituebant, « in omnibus ecclesiasticit functionibus simul cum Episcopo « conveniebant, si omnia una cum ipso peragebant, ipsique « ex officio nec baptizabant, nec offerebant, nec pœnitentes « reconciliabant, nihilque seorsum ab eo sibi arrogare po- « terant, ac nequidem Episcopo absente sine ejusdem dele- « gatione, aut præsente absque ejus jussione quidquam pe- « ragere ; hi profecto presbyteri nullo pacto parochi censeri « possunt ; quorum primum, ut ita dicam, constitutivum « semper fuit, ut seorsum ab Episcopo sacra facerent, et ex « officio, non peculiari ejus mandato, sacramenta ministra- « rent. » (Marius Lupus, *de Paræciis*, dissertatio 3, cap. 1, pag. 273, edit. Bergomi.)

IV. Parochos non fuisse vetus presbyterium, probatur insuper, ex eo quod nulla supersint monumenta de immutatione disciplinæ, qua e tali gradu ceciderint. Si nempe parochi constituissent presbyterium et senatum seu consilium Episcopi usque ad mediam ætatem, nonum nempe circiter sæculum, et eo tempore (ut volunt parochisti) dejecti fuissent ab ea prærogativa, quam tunc primum invasissent cathedralia capitula, de tanta profecto hac immutatione monumenta quamplurima remanerent ; atqui nulla supersunt ; ergo.

Quod argnmentum fuse evolvit Marius Lupus (*de Paræciis*, dissert. 3, c. 5) a quo pauca hæc tantum mutuabimus : « Esto quod in plerisque episcopalibus civitatibus parochi « exstitissent ; eo ipso dilucide patet eosdem ecclesiasticum « senatum minime gentium constituisse. Etenim si unquam « contigisset; ut, per universum christianum orbem hoc pri- « migenio dejecto exauctoratoque senatu, alius (ut excogita- « tum fuit) subrogatus fuisset, qui modo viget, parochique ur- « bani, omnes a præstanti hac dignitate, aliis eorum locum « occupantibus, excidissent ; incredibile, quin vix possibile « esset, quod complura non superessent documenta, quæ « perspicue certo prodererent tantam in ecclesiarum omnium « episcopalium constitutione immutationem contigisse, idque

« inferioribus sæculis, quorum tot supersunt monumenta; « quodque parochi ipsi nullum emisissent clamorem, nullum « edidissent conatum, ut in pristinum restituerentur gradum ; « concilia vero, ad antiquæ reparationem disciplinæ semper « intenta, id prorsus neglexerint. Attamen in tota ecclesias- « tica antiquitate ne minimum quidem superest testimonium « hujus innovationis aut expostulationis. Nulla igitur revera « hac in re unquam facta est immutatio ; nullam præsumpti « parochi passi sunt injuriam atque usurpationem ; ac qui « medio ævo (ipsis fatentibus quibuscum disputamus) ecclesiæ « senatum constituebant, majores nempe clerici cathedralium « ecclesiarum, eumdem ab initio perpetuoque invariate cons- « tituerunt. Accedit præterea quod, siquidem urbici parochi « exstitissent et senatum antiquitus constituissent, non solum « contigisset ut a sublimi eo gradu deciderent, sed prorsus « subjecti obnoxiique evasisssent majori cathedralium clero, « quod etiam est incredibilius. » Hanc autem subjectionem « probat citatus auctor invictis documentis.

Cæterum, non novo, sed antiquo jure capitulum cathedrale fuisse senatum ecclesiæ, consiliumque Episcopi et vetus presbyterium, testatur Joannes VIII in bulla apud Thomassinum allata (part. 1, lib. 3, cap. 33, n. 10) qua Ecclesiæ Pictaviensi bona sua confirmat : *Sed liceat ipsius Ecclesiæ Episcopo suisque successoribus, quæ sui antecessores legitimo tramite canonicæ auctoritatis habuerunt, sub nostra tuitione habere, et ut possederunt possidere, et ut ordinaverunt suo arbitrio ordinare; cum consulto consensuque suæ ecclesiæ canonicorum, ut prisca consuetudo dignoscitur.* Ergo ad canonicos pertinebat *consilium consensumque* Episcopo præstare, idque ex *prisca consuetudine*, ut ait ille Pontifex. Ad quem locum egregie Thomassinus (loco modo citato) : « Sanctissime et « manifestissime confirmavit Joannes Papa VIII, eam fuisse « vetustissimam ecclesiæ disciplinam, et eam etiam nunc « esse, ut concilio et consensu canonicorum suorum Epis- « copus, tum in spiritualibus, tum in temporalibus suam « omnem jurisdictionem explicaret... Sunt ergo hæc cathe- « dralium capitula antiquissimus ille clerus, indivulse cum « Episcopo conglutinatus, ad ecclesiæ totius regimen ; idque

« innuebat Pontifex his verbis, *ut prisca consetudo dignos-*
« *citur*... Constat ergo, postquam sub imperio Caroli Magni
« allecti sunt canonici in vitæ communis societatem..., cons-
« tantissime fuisse eos amplissimum illum ecclesiæ clerum,
« Episcopi consilium et senatum, qui cum Episcopo et sub
« Episcopo gubernacula ecclesiæ minitrarent. »

Item ex decretali Alexandri III (libro 3 decret., tit. 10 cap. *Novit*) patet cathedralia capitula, non ex novo et antea ad parochos pertinente, sed ex vetusto jure esse consilium Episcopi : *Novit*) *tuæ discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui* (quo nomine ibi designari canonicos cathedrales in confesso est apud omnes) *unum corpus sitis, ita quod tu caput et illi membra ; unde non decet te omissis membris aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium... sanctorum patrum constitutionibus contrarium.*

CAPUT VIII.

PAROCHI NEQUE DIVINÆ INSTITUTIONIS, NEQUE APOSTOLICÆ SUNT, AT DUMTAXAT ECCLESIASTICÆ.

Thesis hæc ex supra stabilitis tanquam necessarium corollarium consequitur. Nam,

1. Rejiciendam esse divina parochorum institutione opinionem, facile concedent ipsi etiam adversarii, si admittendum sit, 1° nullum in mundo ad quartum usque sæculum exstitisse parochum, et nullum ante annum 1000 in civitatibus episcopalibus (Roma forte et Alexandria exceptis) ; 2° si divina hœc institutio nullo scripturæ textu fundetur ; 3° si nullo pariter traditionis monumento probari possit. Atqui.

1° Supra vidimus apud eruditos exploratam rem esse, prioribus ecclesiæ sæculis revera nullos exstitisse parochos, et ante undecimum sæculum iis destitutas fuisse episcopales civitates. Quorum scriptorum probationes (e quibus paucas, sufficientes tamen, et nos adduximus) nulla potuere solida

confutatione convelli. Factum autem istud deficientium tanto temporis post Christum tractu parochorum, abunde sufficit ad totum evertendum institutionis divinæ systema. Absurde enim diceretur (et neque hoc ullus adversariorum somniavit) institutos a Christo fuisse parochos, sed quarto dumtaxat sæculo *orituros*.

2° Nullo scripturæ textu, vel verisimiliter, probari potest divina parochorum institutio ; quod patebit eos textus percurrendo quos sibi favere prætendunt adversarii. Eos a Pignatello mutuabimus : Sunt parochi, inquit, de jure divino « in Ecclesia, sicut etiam Episcopi, quod tam ex Christi ins« titutione, quam ex Apostolorum doctrina perspicum est. De « Episcopis perspicua sunt Pauli verba (act. 20) : *Attendite « vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit « Episcopos regere Ecclesiam Dei*. De parochorum vero « potestate agit idem Paulus his verbis ad Timotheum « scribens : *Qui bene præsunt presbyteri deplici honore digni « habeantur*. Et ad Titum : *Et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi*. Deniqui de divina tam « Episcoporum quam parochorum institutione mentionem « facit Apostolus sub nomine *pastorum*, cum ecclesiastica « munera a Deo instituta distinguens, sic ad Ephesios scribit: « *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem « prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores :* « et de parochis loquitur D. Petrus (epist. 1), cum ait. *Se« niores ergo qui in vobis sunt obsecro, consenior et testis « Christi passionum, pascite qui in vobis est gregem Dei.* « Addo et illud, parochorum jurisdictionem, sicut etiam « Episcoporum, a Deo in genere tantum institutam esse. « Quare errant quicumque presbyteros parochos propriam « atque ordinariam potestatem habere negant. » (Pignatelli, tom. 1, consultatio 52, n. 2.)

Porro his verbis *qui bene præsunt presbytert* agi de parochis, gratis omnino asseritur ; eruditis enim compertum est, in remotissima illa antiquitate voce *presbyterorum* designatos fuisse Episcopos : quod si ibi de Episcopis non agat sanctus Paulus, at non probatur parochos fuisse, quos memorat presbyteros ; præsertim cum aliunde constet nullos

ante quartum sæculum parochos exstitisse. Idem dicendum de altero divi Pauli textu, atque a fortiori de duobus aliis *pastorum* et *conseniorum* denominationibus.

3° Tandem, nedum aliquo traditionis testimonio nitatur divinæ parochorum institutionis opinio, tota antiquitatis monumentorum mole contrarium evincitur, ut ex professo demonstravit Marius Lupus; qui adducta ab adversariis documenta fuse recenset, eaque nihil probare et ad rem non esse demonstrat. Ad quem auctorem, ne rem actam agendo inutiliter immoremur, remittimus.

II. Sed neque apostolicam fuisse parochorum institutionem aperte sequitur ex eo quod non apostolicis, sed longe sequentibus temporibus induci cœperint parochi, ut supra etiam probavimus. Remanet ergo ut *ecclesiasticæ* dumtaxat institutionis esse parochos admittatur.

Nota. — Etsi olim nonnuli doctores innocue et bona fide institutorum divinitus parochorum systema admisere, posteaquam tamen eo errore adeo abusi sunt moderni hæretici (1), nullo non conatu a viris catholicis est rejiciendum et profligandum.

(1) *E troppo scandaloso il fare i parochi d'istituzione divina.* (Zaccaria appendice al *Confronto istorico,* pag. 192).

I Giansenisti fanno i parochi uguali ai Vescovi, dichiarando la loro autorita de dritto divino. (Mozzi, *Spirito del secolo XVIII,* pag. 213),

I Giansenisti con canoni e monumenti o alterati o falsificati tentano d'innalzare i parochi, che dicono aviliti dal dispotismo episcopale, ed insistono sulta loro pretesa istituzione divina (L'Abbate Gusta, *Influenza det Giansenisti nella revoluzione di Fracia* p. 50).

SECTIO II.

De parochiatus essentia et recta notione.

Explorata in superiori sectione institutionis parochorum origine, subit nunc, haud minoris momenti, quæstio de parochiatus essentia. Determinandum nempe, in quo præcise consistat parochiale officium, seu quid essentialiter requiratur et sufficiat, ut quis vere sit et dici debeat parochus. Cum autem non pauci etiam hac de re occurrant confutandi errores, procedemus primum per viam negationis ; dicendo nempe quid *non sit* parochus ; seu a parochiatu removendo multa, quæ ipsi tanquam essentialia immerito attributa sunt : tum et genuinam ejus essentiam directe adstruemus.

CAPUT I.

EXPONITUR ERRONEUM PAROCHISMI SYSTEMA.

Dicemus 1° cur parochismi potius vocabulo quam presbyterianismi utamur ; 2° quæ fuerit parochismi genesis et propagatio ; 3° quonam tendat et quibus fœtum periculis sit ejusmodi systema.

§ I

Cur parochismi vacabulo potiusquam presbyterianismi utamur.

1. Presbyterianismus inde dictus est, quod *presbyteros* faciat Episcopis æquales, ita scilicet ut nihil potestatis de jure divino ad Episcopos pertineat, quod æque presbyteris non sit

adscribendum. Quod hæreseos monstrum auctorem habuit quarto sæculo Aerium. Inde autem, ut fertur, hæresiarcha ille in ejusmodi insanam prosilivit novitatem, quod ab episcopatu, quem summopere ambierat, rejectus sit ; ex quo ad corrodendum et convellendum sibi denegatum honoris culmen totum se convertit. Damnatum Aerii errorem non impari zelo renovarunt Wiclefus, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus et plures subsecutæ protestantium sectæ. Et hi quidem omnes dici possunt presbyteriani radicales seu primi gradus ; utpote qui in radice ipsa, id est, in institutione divina, omne discrimen tollunt presbyterum inter et Episcopum.

2° Ast presbyteriani etiam merito dici solent ii qui, superiores presbyteris Episcopos, licet (aperte saltem) non negent, et definitionem Tridentinæ synodi, superioritatem hanc divinæ institutioni adscribentis, non impugnent, multa nihilominus indebita secundi ordinis sacerdotio attribuunt, potestatemque episcopalem in presbyteros multiplici modo ex divina pariter ordinatione restrictam erronee sustinent; atque ita tandem jurium presbyterialum ædificium exstruunt, ut admisso eorum systemate, inermis prorsus remaneret Episcoporum auctoritas, totaque ecclesiastici regiminis ratio subverteretur.

3. Presbyterianorum autem posterior descripta classis, non presbyteris quibuslibet sua jurium divinorum commenta attribuit; sed iis tantum qui curam animarum exercent, id est, parochis. Parochialis scilicet muneris natura, ejusque divina (quam audacter asserunt) institutione, totam suam rebellionis fabricam fundant, ex qua dehinc certissimam Episcoporum, atque ipsius etiam Sedis Apostolicæ auctoritatem explodant. Atque ideo, ad vitandam omnem æquivocationem, et ne frusta aerem verberantes videamur, præfatam presbyterianorum classem, quam hic profligandam suscipimus *parochismi* nomine maluimus designatam. Dum ergo *parochistas* impugnabimus, noverit lector eos attingi presbyterianos, qui priscis Aerii discipulis multo periculosiores, recentioribus temporibus tot regiones, tot bibliothecas, tot cathedras, tot incautorum etiam catholicorum mentes, systematis sui peste fœdarunt ; quorumque innumera scripta hodierno etiam clero non parum veneni infundunt.

§ II.

Parochismi genesis et propagatio.

Exarsit Parisiis sæculo decimo tertio infensissimum in regulares odium, in Franciscanam præsertim et Dominicanam familiam ; e quibus cum non pauci sanctitatis æque ac doctrinæ splendore emicarent viri, eos haud pacifio aspiciebant oculo sæculares universitatis doctores. Hi ergo, ut invidiam religiosis ordinibus concitarent, usurpata a regularibus parochorum jura dictitare cœperunt. Responderi a regularibus nihil a se factitatum in audiendis confessionibus aliisque sacri ministerii obeundis functionibus, nisi accepta, sive ab Episcopis, sive a Sede etiam Apostolica, potestate et missione. Ut ergo staret intentatum crimen, sustineri debuit non posse talia regularibus ab Episcopo, aut etiam a Papa concedi, in detrimentum parochialis juris. Qua crescente procella, falsam novatorum doctrinam *ex professo* confutavit sanctus Thomas tribus opusculis, quæ si quis legat, facile compertum habebit, quam erroneæ exstiterint primi harum turbarum excitatores (1).

(1) In opusculo XVI (*contra impugnantes religionem,* cap. 4) inter alios istiusmodi errores, sequentes memorat doctor Angelicus : « Ulte- « rius autem nituntur ostendere quod nec ex commissione Episcoporum « prædicare possunt (regulares), aut confessiones audire. Dicunt enim, « quod illud quod dat aliquis, jam non habet. Si ergo Episcopi commit- « tunt curas plebium parochialibus sacerdotibus, ad eos jam non « pertinet cura ipsorum ; et ita ex auctoritate eorum non possunt « aliqui prædicare plebibus, aut confessiones audire, nisi vocati a « sacerdote parochiali... Episcopi non habent se ulterius intromittere de « plebibus quas sacerdotibus commiserunt. Item : Sicut Episcopus sub- « ditur Archiepiscopo, ita sacerdotes subduntur Episcopis. Sed Archie- « piscopi non possunt se intromittere de illis qui subduntur Episcopis, « nisi forte propter negligentiam Episcoporum... ; ergo nec Episcopi pos- « sunt aliquid in plebibus subjectis sacerdotibus parochialibus absque « illorum consensu, nisi propter illorum negligentiam, vel defectum. Item « presbyteri parochiales sunt sponsi ecclesiarum sibi commissarum...

Eos tamen errores nullus adhuc publice et solemniter propugnaverat, ante Guillelmum a Sancto-Amore. Is, unus e primis sorbonicæ domus incolis, sibi provinciam assumpsit parochos extollendi; atque eo usque processit, ut aperte inter alia erronea sustinuerit, eos solos intellectos fuisse a concilio Lateranensi sub nomine *proprii sacerdotis,* cui jubetur quisque fidelium semel in anno confiteri peccata, excluso etiam Episcopo et Papa, Qui malesanæ mentis sorbonista ab Alexandro IV damnatus est anno 1255. Ast, damnatum licet, erroris semen sibi evolvendum suscepit alter sorbonicus doctor Joannes de Poliaco. Docuit iste fideles, apud regulares confessos et absolutos, teneri nihilominus in paschate peccata sua iterum suo quisque parocho confiteri ; addens ne Deum quidem posse a tali obligatione dispensare : quæ deliramenta damnavit Joannes XXII (extravagante *de Hæreticis*, cap. 11). Efformato parochismi fluvio nova postmodum incrementa accessere. Ricardus de Armacano, qui Regulares in Anglia persecutione exagitabat, quique hæretico Wiclefo aperte favebat, parochismi machinam iterum aptavit et roborare tentavit, circa annum 1350, duobus editis libris, qui inscribuntur *Defensio curatorum adversus mendicantes* et *de Audientia confessionum*. Cujus damnatos articulos videre est in constitutione *Regnans in cœlis*. Alexandri V, anni 1409.

« Præfati errores (ait Nardi, tom. 1, p. 356) ab incunabu-
« lis suffocati forte interiissent, nisi eo ipso tempore, quo
« Alexander V sententia apostolica illos profigabat, repertum
« fuisset fanaticum et transversum caput, Gerson nempe,
« qui *primus divinam parochorum institutionem* frenetice (1)
« in medium adduxit, eorumque a 72 discipulis derivatio-
« nem; quique eos et Prælatos, et tum dignitatis tum ho-
« noris hierarchas affirmavit; eisque votum in conciliis as-

« Ordo religiosorum qui prædicant, et non sunt Episcopi (qui sunt suc-
« cessores Apostolorum), vel presbyteri parochiales (qui sunt successores
« septuaginta duorum discipulorum), debent extirpari. »

(1) Is est non meus, sed nardi, quiem in latinum verto, stylus: an plus æquo asper, aliorum judicium sit.

« seruit; necnon attributiones immediate a Christo acceptas,
« vi sicilicet ipsorum status et juris *ordinarii* ipsis compe-
« tentes, cum ipsa etiam potestate *purgandi, illuminandi et*
« *perficiendi*. Inscius antiquitatis Gerson, atque in ea eruditi-
« tionis provincia prorsus hospes, ut ex ipsius operibus ple-
« nissime patet. Ast Sorbonæ cancellarium agebat, cæteris
« sorbonicis facile doctior : hinc Sorbonam pro arbitrio ver-
« tebat ; ita ut synonymæ res Sorbona et Gerson. Cujus aber-
« rationes, ab infenso ipsius in Summos Pontifices animo
« non immerito forsan repetendæ videantur. »

Perpetuo dehinc iisdem erroribus Sorbona personuit. In eum nempe tramitem a Gersone inducta, jurans in verba magistri, fidenter procedebat. Damnatum ab ea tanquam erroneum, *potestatem jurisdictionis curatorum non esse immediate a Christo quantum ad institutionem primariam*, vide apud Juveninum (*de Sacramentis*, dissert. 9, quæst. 3, art. 3). Rationem autem addit facultas : id nempe contrarium esse *decretis sacræ facultatis:* id est, damnabat, quia damnaverat. Sed ad seriem auctorum qui in propugnando parochismo sibi successerunt redeamus.

Extollendorum parochorum zelo emicuit Jacobus Almainus Senonensis, qui electus a Ludovico XII, et pecunia ad id accepta, contra Julium II Papam calamum exacuit. Obiit anno 1535. Ejus vero scripta a Sede Apostolica condemnata sunt. Vehementer etiam parochismum propugnavit Joannes Major, doctor et ipse sorbonicus.

Orto dein jansenismo, in immensum excreverunt patronorum parochismi copiæ. Pro vero jansenismi parente merito habetur Joannes Duverger, abbas de Saint-Cyran; utpote qui Cornelio Jansenio, Iprensi Episcopo (a quo secta nomen traxit), errores suos infuderat. Præter alia heterodoxe dicta, quibus scatet damnatum ipsius opus, sub pseudonomine *Petri Aurelii* editum, docet (pagina 226) parochos in suis parochiis esse *minores Episcopos*. Edidit etiam anno 1632 dissertationem *de Juribus curatorum*, ad propugnandam magisque diffundendam parochismi doctrinam. Ipsi successit totum jansenisticum agmen, e cujus officinis innumeri pullularunt libri, parochismi erroribus infecti. Ex his notatu

dignum videtur opus, sub pseudonomie *Filalete*, decimo septimo sæculo, editum: cujus auctor, ex titulo præcipue *Pastoris*, parochis attributo, totum presbyterianismi venenum, non absque vi quadam logica, educit. Viderat nempe hujus libri subdolus scriptor quantum posset in gratiam presbyteriani systematis emolumenti colligi ex hoc *Pastoris* titulo rigorose intellecto. qui jam tunc cœperat totis buccis (nullo fere orthodoxorum reclamante) parochis attribui.

At cæteris presbyteriana audacia antecelluit Edmondus Richer, doctor sorbonicus et Sorbonæ syndicus, cujus omnibus notum systema in hunc scopum vergit, ut totum ecclesiasticum regimen penes parochos reponat; ita ut ejus doctrina sic resumi possit: nihil posse Sedem Apostolicam in diœcesibus absque consensu Episcoporum: nihil vicissim posse Episcopum in parœciis nisi consentientibus parochis. Inter innumeros Richerii sequaces strenue parochismi partes defendit Jacobus Boileau, e famillia item sorbonica, quam jansenismus invaserat.

Novo incremento parochismi systema ditavit hæreticus Salmasius, parochos asserendo chorepiscoporum successores.

Parochis *votum deliberativum* in ecclesiæ regimine asseruit Simon Vigor, ardens richerista, qui primas partes egit in congressu vulgo dicto *Projet de Bourg-Fontaine.*

Pastoratum parochis confirmavit Morinus (evercitatio 16, c. 2, n. 5), asserens eos antiquitus pastores fuisse vocatos, quod prorsus falsum est, ut infra probabimus.

Systema retexuit Juvenius, auctoritatem allegans Gersonis, Sorbonæ, et (quod vix credibile est) etiam *Petri Aurilii*, id est abbatis de Saint-Cyran. Juvenino si fidem adhibeas, parochi institutionis divinæ sunt, iidem ac qui antiquitus dicti presbyteri, prælati nempe principesque, et seniorum atque 72 discipulorum successores, qui olim presbyterium conflabant, in regenda diœcesi partes suas habebant, de causis majoribus noscebant, pœnitentes publicos absolvebant, tonsuram conferebant, excommunicationes fulminabant. Juveninum recenset jansenistarum catalogus, qui legitur in jansenistico scripto, *Ruines de Port-Royal.*

Item aperte parochismo favet Van-Espenius, anno natus

1646, Ultrajectensis schismatis promotor, quique in eo schismate pertinax mortuus est; cujus opera fuerunt apostolica auctoritate damnata. Is parochos asserit esse pastores proprie dictos, eorumque vicarios seu capellanos vocat vicepastores; atque inter alia multa heterodoxa docuit, posse clericum, quem suus superior ecclesiasticus censura perculit, ad gubernium recurrere; cujus si protectionem obtineat, licite perget sacrum ministerium exercere, nihil curans de censura et superiore suo ecclesiastico. Qua regula parochis applicata, nemo non videt eos evaedere ab Episcopo prorsus independentes, modo in id consentiat civilis potestas. Atque utinam tandem a venenata Van-Espenii doctrina magis sedulo clerus averteretur (1).

Cæterum Lovaniensem etiam academiam ad parochismum decimo octavo sæculo declinasse existimat Nardi, hæc dictæ

(1) « Bachusius, in suo historico circa Van Espenium tractatu (edito « iterum assisii 1787), dicit jus canonicum Van-Espenii in hunc scopum « fuisse concinnatum, ut Jansenistis vires adderet, eorum errores tue- « retur, Sedem Apostolicam deprimeret, jurisdictionem Episcoporum « subverteret, immunitatem ecclesiasticam de medio tolleret, laicampe « potestatem, dejecta ecclesiastica, extolleret. Jansenistæ (subdit idem « Bachusius), opus illud immensis prosequuntur laudibus; quod tamen « non est nisi plagium quorumdam aliorum pessimorum operum ; verbi « gratia, *concordia sacerdotii et imperii, Traité des abus par Charles « Févret, Opéra Molinæi Caroli, Traité des droits et libertés de l'Eglise « gallicane*, etc. Siquid vero boni habeat, id deprompsit e Thomassino... « proprios, tantum annectendo errores, ob quos per breve speciale Cle- « mentis XI damnatus fuit anno 1704... Ego vero adverti Van-Espenium « Thomassini quidem vestigiis inhæsisse quoad ordinem et titulos, quoad « materiarum autem expositionem non ita. Nam. Thomassinus quid- « quid monumentorum noverat circa unam quamque materiam a primo « Ecclesiæ sæculo ad sua usque tempora in medium adducit : Van- « Espenio autem solita res est, allato e prioribus temporibus aliquo « ambiguo fragmento, uno saltu, novem, decemve aut etiam duodecim « sæcula transilires suam falsam interpretationem furtim annectere, et « ad aliud argumentum fidenter gressum facere. Id quidem egeno ipsius « promptuario tribui posset : mihi tamen videtur ad malam ejus fidem « esse referendum. Hac nempe intermedia sæcula prætermittendi me- « thodo, dum tacentur monumenta posteriora, quibus priorum genuinus « sensus illustratur quæque immutatam aliquando ab Ecclesia santis

universitatis referens verba (tom. 1, page. 379) ; *Parochus totius parœciæ curam animarum ita exclusive ad alios omnes proprio jure sustinet, ut dum in parochia adest proprius parochus, tunc Episcopus non possit dici rector seu parochus, totius diœcesis, sed solius ecclesiæ cathedralis.*

Guadagninus, parochismi in Italia zelantissimus promotor, in dedicatione operis sui, cui titulus *de Antiqua parœciarum origine* Episcopos et parochos vocat *duos ecclesiasticorum ordinum pastores*. Et parte 2, page 8, de Episcopo sic habet: *Pastores pascit, docet doctores, præest præsulibus ducibus imperat* : quibus verbis dum episcopatum extollere videtur, suos fraudulenter parochos inducit, tanquam Ecclesiæ pastores, doctores, prælatos et gubernatores. Idem auctor (in præfatione, pag. 10) carpens Thomassinum, quod (sicut omnes eruditi) negaverit ullos exstitisse per tria priora sæcula, sive ruri, sivo in civitatibus parochos, sic exclamat : *Agitur de capite ecclesiasticæ doctrinæ omnium gravissimo* ; *de pastorum scilicet primi et secundi ordinis constitutione, quæ ecclesiastici regiminis basis est et fundamentum*. Et ibidem, pagina 15, ab ipso memorantur Episcopi et parochi tanquam *duo ordines in ecclesia necessari*. (Vide Nardi,

« gravibusque de causis disciplinam exhibent, liberum sibi facit con-
« clusiones de unaquaque re pro libitu deducere.

« Tanta cæteroquin pertinacia Van-Espen, universitatis Lovaniensis
« professor, heterodoxi et hypocritæ Quesnelli principiis adhæsit, tanto
« ardore per triginta annos Ultrajectense et Harlemense schisma propu-
« gnavit (quod quidem schisma ipso impie suadente fuit consummatum),
« tanto denique furore in Sedem Apostolicam insectari ausus est, ut
« præfata Lovaniensi universitas, licet et ipsa jam tum Jansenismi labe
« ex parte infecta, eum die 7 februarii 1728 publice condemnaverit, a
« cathedra amoverit, et *a divinis* suspenderit. Confugit ad Jansenistas,
« apud quos schismati adhærens diem extremum clausit. » (Nardi *dei Parochi*, tom. 1, p. 360, editio Pezzari 1829). Mihi nunquam placuit a clarissimo Benedicto XIV toties citari Van-Espenium, non tantum per modum *argumenti ad hominem*, sicut adduci solent heterodoxi, sed eadem fere norma qua cæteros scholæ doctores catholicos. In quo forsan aliquid humani passam esse tanti pontificis prudentiam dici possit ; cum incautis occasio id esse queat minus a Van-Espenii veneno præcavendi.

tom. 1, page. 65.) Asserit autem Guadagninus, *in divinis litteris parochorum institutionem toti adscribi Trinitati ;* quod sic probat*: Posuit Deus, utique pater, parochos doctores ;* I Cor., 12. *Designavit Dominus, utique filius, et alios* 72*;* Luc., 10 *Posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*; Act. 20. In quo ultimo textu per vocem *Episcopos* audacter supponit designatos parochos (editum est opus Guadagnini, Bresciæ, 1782.) Accessit in parochismi defensionem jansenista Travers, unus ex appellantibus a bulla *Unigenitus*, cujus opus *Le pouvoir légitime des pasteurs du premier et du second ordre* proscriptum fuit. Is docuit *curatum esse Ordinarium, proprium sacerdotem, pastorem specialem et particularem ;* cui competat *in populum sibi subjectum jurisdictio sive potestas regiminis immediata et proxima* ; vi cujus jurisdictionis ipse *vicarius Christi in parochia sua efficitur, sicut Episcopus in diœcesi, et Papa in tota Ecclesia.* Addit autem *Episcopi ordinationes non obligare, si fiant præter parochorum assensum* ; *neminem posse peccata sua confiteri, etiam Episcopo aut Summo Pontifici, absque parochi licentia;* cui idem *ac Papæ debetur obsequium ; Episcopum vero non posse absque consensu parochi, aut functiones ullas sacras peragere in aliqua parochia, aut ibi confessiones audire..., aut cuilibet alteri hujuscemodi peragendi facultatem facere.*

Joannes Baptista Thiers, parochus et doctor sorbonicus, systemati adjecit parochiam esse ecclesiam a sancte Cypriano intellectam.

Recensionem nostram hic claudemus ; adeo enim ultimis temporibus pullularunt ejusmodi libri, ut totam Europam sicut torrens invaserint, et hodiedum bibliothecas oppleant. Satis sit pro coronide memorasse synodos schismaticas Ultrajectensem et Pistoiensem in quibus parochi tanquam judices fidei sederunt, et hac formula usi sunt, *ego N. judicans subscripsi*

§ III

Quonam tendat parochismus, et quantum periculi hodiedum sub isto pestifero systemate lateat.

I. Ad quœnam exitialia consectaria parochismus logice deducat. — Recolamus præcipua illus systematis placita. Parochus, jure divino, habet in plebem suam immediatam jurisdictionem ; Episcopus vero in eadem plebem jurisdictionem non habet nisi mediante parocho Hinc sequitur logice Episcopum nihil omnino posse in parochia ordinare, nec in ea ipse prædicare aut confessiones audire, aut aliis ad id peragendum facultatem facere, nullam denique per se aut alios functionem sacram peragere, nisi mediante, ac proinde consentiente parocho : qui si consentire renuat, ligata remanet omnis Episcopi in parochiam potestas; si enim obstante parocho quidquam tentaret, id ageret ex jurisdictione *immediata*, quæ ad eum non pertinet, sed exclusive ad parochum. Item parochus est sponsus verus et proprie dictus suæ parochiæ : de natura autem spiritualis sponsalitii est, ut sit perpetuum ; ergo dari nequit curatus seu curam alicujus populi habens revocabilis ad nutum ; sed ejus officium tam est perpetuum, quam officium Episcopi. Item parochus est pastor proprie dictus : pastoratus autem potestatem includit gregem regendi et gubernandi, ac proinde jurisdictionem etiam fori externi ; ac proinde potestatem excomunicandi : cumque aliunde jurisdictio omnis parochi sit *immediata*, privative ad Episcopum, nec fori etiam externi ullum actum exercere poterit Episcopus circa parochiam et parochianos, nisi consentiente parocho. Item parochi jurisdictio est *ordinaria*, eo sensu quod delegare possit : ergo pro arbitrio quemlibet presbyterum, absque ullo interventu Episcopi, poterit approbare et deputare ad prædicandum et sacramentum pœnitentiæ ministrandum in sua parochia. Et tandem, cum parochus hæc omnia jura habeat ex institutione divina, a Christo nempe immediate accepta, et ipsius officio divina auctoritate alligata, a nullo poterunt

ejusmodi jura restringi; et, si Episcopus, Papa, vel concilium œcumenicum legem ferat jura parochialia prædicta coarctantem, lex illa irrita erit, cum non possit ecclesia jus divinum immutare. A fortiori irritum foret decretum, quo sublatis parochis Episcopus immediate per se vellet curam diœcesis agere, cum parochi tam pertineant ad hierarchiam Ecclesiæ integritati necessariam, quam ipsi Episcopi et Papa; nec magis stare possit Ecclesia sine parochis quam sine Episcopis. Ne rem in longum protraham, satis inde patet generale ex parochismi systemate consectarium; cum scilicet, de jure saltem, ut volunt, totus mundus in parochias divisus sit, et uniuscujusque parochiæ regimen ad parochum *immediata*, id est, vere et efficaciter pertineat, ad Papam autem et Episcopos nisi *mediate*, id est inefficaciter et derisorie, sequitur gubernationem universalis Ecclesiæ ad parochos vere pertinere, non autem ad Episcopos Romanumve Pontificem. Ergo (clamabunt merito protestantes) inutilis Papa et inutiles Episcopi; sint tantummodo in singulis plebibus *pastores*, sui et independentis juris. Totam ergo Ecclesiæ divinam constitutionem subvertit parochismi systema.

Et notatu dignum est, non tantum Jansenistas in extollendis parochis navasse operam; sed et apertos Ecclesiæ hostes atque incredulos : quibus data qualibet turbationum politicarum occasione solitum est, lamentari paupertatem et dejectionem *pastorum* qui portant pondus diei et æstus, invehi in tyrannicam Episcoporum dominationem, et excitare parochos ad sua defendenda jura. Quod sapienter advertens Nardi, parochus et ipse, at non parochista, sic causam hujus incredulorum agendi rationis aderit: « Quando increduli re-
« liquum sacerdotium deprimunt et parochos extollunt, id
« non potest nobis non esse causa timoris. At cur, inquis, ex-
« tollunt, parochos? De hoc in decursu operis præbebitur
« ratio. Interea ad unum attendatur velim : ipsis nempe per-
« suasum est absque religione aliqua stare populum non pos-
« se: jam vero, contumeliis oppresso Summo Pontifice, trans-
« mutatis in larvas inanes Episcopis, contemptu et calumniis
« resperso reliquo tam seculari quam regulari clero; interea
« vero admonitis populis ut in parochis agnoscant omnia

« ad religionis exercitium necessaria, facile innuitur cæteros « de medio tolli posse: et ecce ad januam protestantismus: « reliquam permutationem tempus perficiet. Is iniquorum « scopus; inscii adlaborant proborum nonnulli. » (Nardi, tom. 1, præf., pag. x, edit. Pezzari, 1829.)

II. *Quantum hodiedum lateat periculi in superstitibus et nondum penitus eradicatis parochismi germinibus.* — Error qui vicinioribus temporibus altas radices egit, et qui, licet variis Sedis Apostolicæ damnationibus compressus, nova hodiedum hinc inde exerit evolutionum tentamina, maximi adhuc periculi censendus est. Tale porro sese exhibet parochisticum systema. « Proxime elapso sæculo, ait Nardi, paro- « chismus apud Gallos in gigantem excreverat, radicesque « alte defixerat; et cuique in rebus ecclesiasticis versato « notum est, tot fuisse in hunc sensum a novatoribus editos « libellos, ad indebitam juris sui extensionem tot inductos « parochos, capite debiles, aut ambitionis lepra morbidos, « ut non mediocris tempestatis fluctibus Galliæ Episcopi exa- « gitati fuerint. Et quidem grassanti errori confutationibus, « directisque ad ecclesias suas instructionibus, atque etiam « fortiter arrepta pastorali virga sese opposuerunt. At multo « facilus, ut mihi videtur, sedata fuisset tempestas, si pro « totius antiquitatis more, ad Sedem Apostolicam recursum « hac de re instituissent, atque inde reportassent damna- « tionis sententiam in exortas ejusmodi temeritates; atque « in erronea e quibus oriebantur placita. Declarato scilicet, « parochos non esse pastores, atque definitis paucis quibus- « dam aliis punctis, facta fuisset tranquilitas. Ast ipsimet « Galliæ Episcopi parochos pastorum nomine insigniebant; « quem titulum iisdem deberi pro certo habere videbantur; « idque numerosissima Jansenistarum secta persuadere omni « arte tentabat. Hinc non mirum res eo venisse discriminis. » (Nardi, tom. 1, pag. 197.) Errorem autem a theoria ad praxim fuisse perductum testantur nimis multa facta et scandala. In parochia diœcesis Burdigalensis, *Ambages* vulgo dicta, obstitit parochus ne quoddam matrimonium celebraretur coram sacerdote, quem ad hoc delegaverat et miserat Archiepiscopus. Parisiis parochus Sancti Rochi, do-

minus Coignet, a prædicatione prohibuit quosdam regulares, a Cardinali Archiepiscopo de Noailles approbatos, et ad id muneris in prædicta parochia obeundum designatos et missos. Quibus duobus factis a Nardo memoratis (tom. 1, pag. 204) alia addi possent quamplurima. Libri autem illo errore infecti, non destructi sunt, sed hodiedum ecclesiasticas bibliothecas, etiam seminariorum, replent. Mirum ergo potius esset, non aliquid ad nostra usque tempora dimanasse veneni.

Et revera superstitem adhuc errorem testantur non pauci variis in regionibus recens editi libri, a quibus designandis parco, ne rem polemicam cum viris viventibus aggrediar, quod me ab harum institutionum scopo nimis averteret. Id mihi persuasum, nostris adhuc temporibus parochismi sive presbyterianismi latere anguem in herba. Cavendum proin Episcopis esse, ac sedulo invigilandum, ne periculosa reviviscant superioris sæculi tentamina.

Dum autem periculum ex presbyterianismo memoramus, ex proposito ad illegitimas parochorum prætentiones fere exclusive respicimus, et tacemus de canonicis sive cathedralibus capitulis. Licet enim canonicorum capitula multoties etiam ad indebita sese erexerint, et molestiis Episcopos injuste exagitaverint (ut monumenta testantur historica), nunquam tamen serio jurium suorum ex institutione divina ullum ædificium exstruxerunt ; sed tota quæstio in variis eorum cum Episcopis disceptationibus versabatur circa jura, positive ipsis ab Ecclesia concessa ; auctoritate proin ecclesiastica revocabilia et mutabilia. Unde per minimos ad Sedem Apostolicam congregationesve romanas recursus ejusmodi controversiæ efficaciter definiri et pacari possunt. Verum quidem est, in Gallia canonicos quandoque sustinuisse jura sibi ex veteri consuetudine firmata, non posse, etiam per Sedem Apostolicam conciliumve œcumenicunum tolli; atque ideo ausi sunt concilii Tridentini receptioni (in contrarium adnitentibus Episcopis) obsistere, et recursum ad parlamenta minitari ; atvero ita arguebant ex funesto gallicanismi principio, *non posse Apostolicam Sedem œcumenicamve synodum antiquam alicujus regionis disciplinam immutare, nisi mutationem acceptantibus illius regionis Ecclesiis* ; *et*

ab abusu ecclesiasticæ potestatis legitime fieri ad principem temporalem recursum. Principium illud, quod tunc temporis tuebantur Episcopi, sibi logice applicabant cathedralia capitula. Jura autem sua ex institutione divina sibi competere, esseque a Christo immutabiliter tradita non jactabant. Hodie vero in Gallia, cum Ecclesiæ omnes recentis sint erectionis et creationis, nullam allegare possunt canonici antiquam et immemorabilem consuetudinem; et, sublato gallicanismi præfato errore, etiamsi exstent alicubi antiqua et privilegiata capitulorum jura, nunquam negabunt canonici ea posse a Sede Apostolica abrogari aut moderari. Non enim se faciunt institutionis divinæ, sed ad summum apostolicæ, quod non impedit quin eorum jura sint per legem ecclesiasticam variabilia; ita ut etiam absolute possint omnia mundi capitula de medio tolli, tota remanente essentiali Ecclesiæ integritate.

Ad curatorum autem parochisticas prætentiones si respiciamus, alio prorsus modo res se habet. Ipsorum gradus sive ordo, ut volunt, ad Ecclesiæ integritatem pertinet : sua jura a Christo ipso immediate tenent : quæ nulla proinde ecclesiastica potestate auferri aut coarctari queant; cum institutionem Christi Ecclesia mutare non possit : dum ergo hæc jura ita extendunt ut Episcoporum et Sedis etiam Apostolicæ potestatem ad nihilum fere redigant, frustra illos Ecclesiæ decretis et legibus ad saniora reducere tentabis ; in suo quippe *institutionis divinæ* propugnaculo hujusmodi remediis inaccessi consistent. Unde patet, verum hodie et quasi totum ex presbyterianismo pertimescendum periculum, sub parochismo latere.

Hæc operæ pretium visum est cursim in antecessum exponere de pestifero parochistarum systemate. Nunc ad convellendas singulas erronei illius ædificii partes, pandendamque genuinam parochorum institutionem manum admoveamus.

CAPUT II.

PAROCHI NON CONSTITUUNT TERTIUM HIERARCHIÆ DIVINITUS INSTITUTÆ ORDINEM.

Qui parochiani sive presbyterianismi historiam attente lustraverit, facile adverset eum ex errore, quem nunc confutandum aggredimur, tanquam ex præcipua arce sua, arma, et fraudes, et ad resistendum audaciam deprumere consuevisse. Id nempe ante omnia totis viribus tuentur parochistæ. Institutos a Christo fuisse curatos tanquam *hierarchas* et tanquam *tertium hierarchiæ ecclesiasticæ ordinem*. Primum videlicet hierarchiæ ordinem agnoscunt in Romano Pontifice, secundum in Episcopis; tertium in parochis. Papam et Episcopos *majores*, parochos vero *minores* hierarchas et prælatos dictitant. Subjecta quidem Episcopis parochorum divinitus accepta auctoritas: at sicut Romano antistiti subjectus quisque Episcopus. Sua jura divinitus instituta adversus Papam tueri fas est Episcopis: par autem parochorum erga Episcopum conditio. Hinc ad omnia sua erronea et schismatica consectaria facili gressu decurrunt. Summi ergo momenti est propugnaculum istud *tertii ordinis hierarchici* parochis attributi explodere, et speciali applicatione argumentorum jam supra expositorum penitus subvertere. Quod ut clariori methodo præstemus, exponemus 1° quibus formulis et quo sensu parochistæ tertium hierarchiæ ordinem in curatis collocaverint; 2° determinabimus quid sit hierarchia et quænam variæ hierarchiæ species; 3° ostendemus parochos ad nullum omnino hierarchiæ ordinem pertinere.

§ I.

Quibus formulis et quo sensu parochistæ contenderint in curatis constitere tertium hierarchiæ divinitus institutæ ordinem.

I. *Quid tenuerit Sorbona.* — Doctrinam de tertio hierar-

chiæ, parochis constante, ordine, solebat Sorbona formulis omnino apertis exprimere et propugnare, ut constat ex pluribus judiciis censoriis ab illa facultate prolatis (quæ videsis apud d'Argentre, *Collectio judicium*). Unum aut alterum in medium adducemus. Anno 1524 in Dominicanum quemdam nomine Combont, Sorbonam animadvertisse, referunt hoc modo ipsa universitatis Parisiensis regesta :

« Dum responderet de aulica frater Ludovicus Combont « Prædicator, negavit et Episcopos et curatos esse de jure « divino et immediate a Christo institutos. Qui actui præ- « sentes erant magistri, eum publice increpaverunt, et sacra « deinde facultas, re matura discussa pluribus in congre- « gationibus, jussit ut bacchalaureus ad satisfaciendum « scandalo, in sua sorbonica propugnaret doctrinam sæpius « definitam a sacro ordine, triplicem esse hierarchicum « ordinem; non modo Summum Pontificem, sed etiam Epis- « copos et parochos esse a Christo immediate institutos; « neque oppositum posse probabiliter sustineri, cum certum « sit id refragari evangelicæ veritati. » Postea occurit in iisdem regestis propositio, qualem sustinere et defendere coactus est supradictus Dominicanus, estque tenoris sequentis : *Quemadmodum Petrus a Christo Summus Pontifex ordinatus fuisse creditur, et quilibet cæterorum Apostolorum ab eodem Christo, nullo mediante, Episcopus creatus, et curatorum ordo institutus; eodemque jure divino triplicem illum hierarchicum ordinem Ecclesia tenet; nec horum opposita* (*cum certum sit evangelicæ veritati illa refragari*) *possunt probabiliter sustineri.* (Apud d'Argentré. *Collectio judiciorum*, tom. 2, parte 2, pag. 5).

Anno 1664, die 24 maii, librum Jacobi Vornant Sorbona perstrinxit censura hujusmodi : « Hæc sex propositiones (1), « quatemus asserunt vel inferunt, *potestatem jurisdictionis* « *curatorum non esse immediate a Christo, quantum ad ins-* « *titutionem primariam*, falsæ sunt, et decretis sacræ facul- « tatis contrariæ; salva semper immediata Episcoporum in « prælatos minores seu curatos et pledem subditam autho-

(1) Agitur de propositionibus e libro Jacobi Vernant excerptis.

« ritate. » (Apud d'Argentré, *Collectio judiciorum*, tom. 3, parte 1, pag. 104.) Hinc patet Sorbonam admisisse, non tantum divinam parochorum institutionem, eorumque a 72 discipulis derivationem, sed etiam triplicem ordinem hierarchicum ex divina ordinatione constitutum, in quo parochi tertium locum occuparent, Episcopi secundum, Romanis Pontificibus in primo stantibus. Est autem notatu digna restrictio hæc, *salva semper immediata Episcoporum in prælatos minores seu curatos et plebem subditam auctoritate :* probat enim Sorbonam, anno saltem 1664, immunem fuisse pestifero parochistarum errore, quo *immediatam* in parochianos jurisdictionem ita curatis adcensent, ut eamdem Episcopis abnegent. Atvero nullum ejusmodi restrictionis vestigium in antiquioribus Parisiensis academiæ documentis reperire potui ; et certum est plurimos ipsius doctores in contrariam ivisse sententiam. Hinc mihi orta suspicio, opinionem, quæ immediatam in parochianos jurisdictionem Episcopo denegat, a Sorbona nec authentice admissam, nec aperte rejectam ante mediam sæculi decimi septimi partem ; tunc vero temporis, ad extrema omnia parochistis et jansenistis ruentibus, visum academiæ præfatæ restrictionis frænum esse opponendum. Attendenda etiam notarum quibus Sorbona utitur moderatio : damnatur nempe tanquam *falsa*, *decretis facultatis contraria*, et *omni probilitate* (utpote evangelio refragans) *destituta* opinio, quæ divinam parochorum institutionem, et eorum in tertio hierarchiæ ordine collocationem denegat : at vero a notis acrioribus abstinetur. Non pauci scriptores putarunt etiam ad notam hæreseos Sorbonam processisse, decepti nempe hoc Joannis Majoris textu : « Tam « Episcopi quam curati sunt de jure divino, quemadmodum « Romanus Pontifex : nec aliquis prorsus homo potest illud « ejus, et illas potestates stollere de Ecclesia, plus quam Sum- « mum Pontificatum, licet Petrus Paludanus et Joannes de « Turrecremata teneant oppositum. Sed quod ipsi tenent *cen- « suit in fide hæresim* facultas nostra. » Major, in 4 lib. *Sententiarum*, dist. 24, q. 3.) Sed Thomassinus (tom. 1, parte 1, lib. 2, c. 26, n. 4), et ipse etiam jansenistarum patriarcha, Duverger abbas de Saint-Cyran (Petrus Aurelius, tom. 1,

pag. 155), advertunt ea verba Majoris, *censuit in fide hæresim*, referri tantum ad eos qui docerent omnem episcopatum de medio tolli posse. Et revera nullum reperitur Sorbonæ decretum, quo hæreseos notam inusserit iis qui parochorum immediatam a Christo institutionem vel triplicem prædictum hierarchiæ ordinem negarent. Quod notatum voluimus, ne quis putet nos velle Sorbonam plus æquo parochismi ream facere. Advertendum tandem declarari, a Christo parochos *quod primariam institutionem* ; quæ verba magis explicantur in censura anni 1429 adversus Joannem Sarrazin ordinis Prædicatorum, qui sequentibus propositionibus subscribere coactus est : *omnes potestates juridictionis Ecclesiæ, aliæ a Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem et collationem primariam : a Papa autem et ab Ecclesia quantum ad limitationem et dispensationem ministerialem. Hujusmodi potestates sunt de jure divino, et immediate a Deo. Ex textu evangelii et doctrina Apostolorum habetur expresse, Apostolis et discipulis a Christo missis auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam, Dicere inferiorum prælatorum postestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive sint curati, esse immediate a Deo, evangelicæ et Apotolicæ consonat veritati* (apud Thomassinum, tom. 1, part, 1, lib. 2, c. 26, n. 2).

II. *Quid tenuerit Gersonius*. — « Domini curati sunt in « Ecclesia minores prælati... Domini curati in Ecclesia mi- « nores prælati sunt *hierarchici,* hoc est principales aut do- « minantes, per primam institutionem Jesu-Christi. Hoc « fundatur in evangelio (Luc. 10)... Evangelium est bulla « curatorum. Sequitur quod de ordinatione essentiali et sta- « bili sanctæ Ecclesiæ æque bene est status curatorum, sicut « ille prælatorum Cardinalium, Archiepiscoporum : imo vero « sicut status ipsius Papæ, quamvis non sit adeo perfectus. « Sequitur Papam hunc statum destrure aut annihilare non « posse, cum status ille non ex sua proveniat positiva ordina- « tione, sed sine medio ex Dei autoritate... Sequitur cu- « ratos Ecclesiæ sponsos esse sicuti prælatos, quamvis sint « imperfectiores... Sequitur Papam, aut alium quemvis, jus « hoc (*nempe concionandi*) curatis aufere aut impedire non « debere. Et ideo nullus in Ecclesia eorum concionari debet

« absque eorum facultate... » (Opera Gersonii, tom. 2, p. 436, editio Ellies Dupin.) Sequitur prælatos et curatos subdelegare posse, veluti ordinariam habentes jurisdictionem.. (Ibid., pag, 439.) « Maneat imperturbatus hierarchicus « ordo et essentialis Ecclesiæ, prælatorum et curatorum, quo- « rum potissime Papa defensor, non destitutor esse debet. » (Ibid., pag. 446.) Ex adductis textibus, patet Gersonium curatos habuisse pro veris hierarchis, tertium ordinem essentialis hierarchiæ constituentibus, eo sensu quem modo quoad Sorbonam adnotavimus.

III. *Quid tenuerit Bossuetius.* — « Nimia illa quidem, « inquies, quæ potestatem jurisdictionis parochorum æque « ac Episcoporum et Papæ, a Christo esse docet, ut ex « eisdem monumentis atque ex novissima Vernantii censura « patet. Qui hæc objicunt, doctrinam sacræ facultatis non « intelligunt : diserte enime explicat hic agi de parochis, « non quantum ad *limitationem* sed quantum ad *institu-* « *tionem primariam ;* subditque in censura Vernantii : « *Salva semper immediata Episcoporum in prælatos minores* « *seu curatos et plebem subditam auctoritate.* Mens ergo fa- « cultatis de secundi ordinis sacerdotibus non ea est, insti- « tutum a Christo, ut sint eo ritu, quem nunc Ecclesia servat, « in parœcias distributi ; id enim pertinet ad eam limita- « tionem, quam a Papa quidem et ab Ecclesia esse ipsa fa- « cultas docuit ; sed omnino a Christo esse id, quod ad pri- « mariam hujus ordinis institutionem pertinet ; nempe ut ille « ordo sit in Ecclesia necessarius, et secundo loco sub Epis- « copis ecclesiasticam jurisdictionem exerceat ; quam cum « exercet, non ab alio quam a Christo, secundum canones « et Episcoporum juxta præscripta, exercendam accipiat : « ita ut Episcopis a quibus consecrantur et instituuntur, tan- « quam immediatis pastoribus, vicariam operam præstent : « quod est verissimum. » (*Defensio*, edit. Lebel 1817, tom. 32, pag. 614) Admisit ergo ipse etiam Bossuetius, parochos esse immediate a Christo quoad *primariam institutionem*, et a jure ecclesiastico tantum pendere talis et talis parochiæ assignationem cuilibet parocho factam. Ex quo sequitur eodem sensu institutionis divinæ esse parochos ac

Episcopos ; cum ipsi etiam Episcopi quoad diœcesis, quam regant, designationem pendeant a potestate ecclesiastica. Cæterum cum utitur Bossuetius voce *consecrari*, intelligendus est de presbyteris uti presbyteris de quibus tamen non agebatur in quæstione ; alioquin vox illa orthodoxa non esset : instituuntur quidem parochi, sed non consecrantur quatenus parochi. Si ergo erronea illa juris divini parochorum institutio, et immerito dicantur parochi tertium ordinem hierarchicum in Ecclesia constituere, concludendum erit nimis a Bossuetio fuisse parochis concessum ; si tatem libri *defensionis* verus auctor sit Bossuetius, de quo (ut notum est) disputant eruditi.

IV° *Quid tenuerint Van-Espenius et cæteri jansenistæ.* — Figmentum illud in triplicem ordinem jure divino divisæ hierarchiæ ecclesiæ essentialis, in parochos nempe, Episcopos et supremum Pontificem, totis ulnis post Sorbonam amplexati sunt quotquot fere exstiterunt presbyterianismi et jansenismi labe infecti scriptores. Ex iis autem quam plurimi in deducendis consectariis metas a Sorbona positas longe prætergressi sunt ; concludentes verbi gratia, nihil in parochiis ordinare posse Episcopum absque parochorum beneplacito, utpote cui nonnisi mediata in parochianos jurisdictio competat. Item cum Gersonio. parochis vocem definitivam in conciliis tribuerunt ; atque cum eodem tenuerunt, fas non esse Episcopo quemquam regularem aut sæcularem presbyterum ad parochiam mittere, qui invito curato prædicet, confessionesve fidelium audiat. Cæterum si injuste Episcopus depositionis, excommunicationis, aliarumve censurarum pœnis parochos exagitet, posse istos ad gubernium civile tanquam ab abusu appellare, et interea nihil curare de episcopali sententia. Quæ consectaria, et alia plurima non minus insane excogitata ex triplici supradicto hierarchico ordine, tanquam ab invicto principio, putant ejusmodi scriptores posse legitime deducta demonstrari.

Hinc facile introspiciet lector quanti momenti sit doctrinam illam de triplici hierarchiæ ordine (parochis, Episcopis et Summo Pontifice constante), ad crisim serio vocare, et inane illud commentum penitus convellere.

§ II.

Quid sit hierarchiæ, et quænam variæ hierarchia species.

I. Hierarchia idem sonat ac *sacer principatus ;* et nihil aliud est quam ipsamet superioritas, quatenus, variis gradibus distributa et ordinata, variis personarum ecclesiasticarum ordinibus competit.

II. Multiplex distingui potest : nempe, 1° quoad causam efficientem, est vel *divinæ institutionis*, seu ab ipso Christo constituta ; vel *institutionis* dumtaxat *ecclesiasticæ* seu quam sola potestas ecclesiastica, non autem ipse Christus Dominus, invexit et ordinavit.

2° Quoad objectum, est vel *ordinis*, vel *jurisdictionis*, vel *honoris* seu præeminentiæ.

Hierarchia ordinis, est superioritas quam clerici, altiori gradu sacramento ordinis donati, possident relative ad alios, qui eidem sacramento inferiori gradu initiati sunt. Illa autem ordinis hierarchia tota tribus his gradibus constat, *Episcopis*, *presbyteris* et *ministris* ; atque ejusmodi hierarchiam divinæ institutioni esse adcensendam, dogma catholicum est, a Tridentina synodo expresse definitum. Primus est in hierarchia ordinis Episcopus, quia plenum, dum consecratur, accipit sacerdotium ; ex quo major ipsi quam presbyteris cedit conficiendorum sacramentorum potestas ; siquidem Episcopis, privative ad presbyteros competit, ut alios Episcopos et presbyteros consecrare valeant, et sint ordinarii sacramenti confirmationis ministri. Secundo loco stant presbyteri, seu (ut eos tota traditio vocilat) secundi ordinis sacerdotes ; majori tatem potestate in conficiendis sacramentis pollentes quam *ministri*, id est, quam diaconi et subdiaconi.

Hierarchia jurisdictionis, potestate regendi seu gubernandi fundatur, et ex variis hujus potestatis gradibus coalescit. Primus in hierarchia jurisdictionis est Romanus Pontifex, sive solus, sive adjuncto sibi concilio æcumenico procedens ; utpote cui, ex divina ipsa institutione, competit

totam Ecclesiam pascendi regendi atque gubernandi plena potestas. Post Summum Pontificem, et generale concilium, altiori demissiorive loco stant cæteri omnes, prout eis major minorve jurisdictionis potestas, sive a Christo ips, sive ex ecclesiastica ordinatione, concessa est.

De Episcopis quæstio institui solet utrum jurisdictionem habeant ex institutione divina, an vero dumtaxat ex concessione Romani Pontificis. Ubi distinguenda venit certa quædam jurisdictio quam habet quilibet Episcopus in universalem Ecclesiam, ab alia quam habere potest in determinatam aliquam diœcesim.

Quilibet nempe Episcopus, alicui regendæ diæcesi præpositus, jus habet sedendi in concilio œcumenico, et ibi, simul cum corpore Episcoporum et Ecclesiæ capite, judicandi et decernendi de fide et universali disciplina. Et quamvis Episcopi *tanquam singuli*, nullam ejus modi unisalem jurisdictonem habeant, eam tamen vere habent quatenus *corpus* conflantes *unitum capiti*. Quæ *universalis* jurisdictio, collegialiter dumtaxat exercenda, an *immediate* a Christo singulis Episcopis conferri censenda sit, vide expensum in tractatu *de Episcopo* (parte 1, sectione 1, cap. 8).

Particularis autem jurisdictio in aliquam diœcesim, an Episcopo derivetur immediate a Christo, an vero a Romano Pontifice, est quæstio aliquatenus disputata, quam hic intactam relinquimus. Permissa autem utraque opinione, adhuc hoc sensu divinæ institutionis dici posset particularis Episcoporum in singulas suas diœceses jurisdictio, quod Christus ipse statuerit ut ad gubernandas singulas diœceses Romanus Pontifex deberet *regulariter* Episcopos deputare.

Hinc, attenta hierarchia jurisdictionis divinitus instituta, dicendum Episcupos occupare *secundum* hujus hierarchiæ gradum. Nam jurisdictiones intermediæ quæ occurrunt Papam inter et meros Episcopos (quales sunt jurisdictio congregationum Romanorum, delegatorum Papæ, necnon jurisdictio Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopisque propria) sunt omnes institutionis ecclesiasticæ.

Non ergo inficias imus, in hierarchia jurisdictionis *divinitus instituta*, merito vocari Episcopos *secundi* ordinis hierar-

chas. Dicimus autem, autem, attenta hierarchia *jurisdictionis :* nam si agatur de hierarchia *ordinis*, non secundo, sed primo loco stant Episcopi, utpote qui ipsi Papæ ordine inferiores nequaquam sunt, sed prorsus æquales. Item dicimus attenta hierarchia jurisdictionis *divinitus instituta*; quia ex dispositione ecclesiastica, potest simplex diaconus, a Papa delegatus, jurisdictionem et in ipsos Episcopos habere. Imo, sede archiepiscopali vacante, metropolitanum capitulum, ipsiusque vicarius capitularis, aliquam habet in suffraganeos Episcopos jurisdictionem.

Circa eamdem jurisdictionis hierarchiam divinitus institutam, occurrit etiam de parochis quæstio : an scilicet ipsi hierarchæ divinitus instituti sint. Affirmant parochistæ, ut supra vidimus ; et sicut ad regendam Ecclesiam Dei posuit Christus primo loco Papam, secundo vero Episcopos, ita volunt a Christo pariter institutum fuisse parochorum ordinem, qui sub Episcopis, in tertio hierarchiæ gradu, starent et populos gubernarent. Quem errorem sequenti paragrapho confutamus.

Hierarchiam honoris, seu præeminentiæ eam vocamus, quæ in jure præcedendi consistit; sive jus illud ex sacro ordine, sive ex jurisdictione, sive ex alio titulo, hunc præcedendi effectum habente, exoriatur. Unde fieri potest ut qui pares omnino sunt ordine et jurisdictione, impares tamen in hierarchia illa præeminentiæ reperiantur; sic, verbi gratia, canonicus presbyter, utpote personatum habens, præcedit presbytero non canonico, licet ambo ordine pares sint, et jurisdictione æqualiter destituti.

Hæc de hierarchiæ vocabulo et variis hierarchiæ speciebus prænotari necesse fuit, ne, dum parochistarum errorem explodemus, aliquod eis remaneat ex vocis ambiguitate effugium.

§ III.

Exploditur commentum de parochis tertium hierarchiæ divinitus institutæ ordinem conflantibus

Cum asseritur parochos de jure divino tertium hierarchiæ ordinem constituere, vel agitur de hierarchia ordinis, vel de hierarchia jurisdictionis (nam de hierarchia impropric dicta, seu meri honoris et præcedentiæ, non est hic quæstio, nec de ea curant parochistæ) : atqui in neutro sensu parochi tertium conflant hierarchiæ divinitus institutæ ordinem.

I.

Si agatur de hiærarchia ordinis, absurdum est parochos in tertio hierarchico gradu collocare.

Propositio I^a^. — *Falsum est parochum et presbyterum esse quid unum et idem,* — Toti quidem sunt parochistæ ut incautis lectoribus persuadeant, nullum antiquitus ordinatum fuisse presbyterum, nisi aliquo in loco animarum curæ præficiendum; idem proinde olim fuisse ordinare presbyterum ac constituere parochum; ex abusu autem postea introductum, ut ordinarentur presbyteri, qui non essent simul parochi. Quo præmisso historico mendacio, ubique presbyterum cum parocho subdole confundunt, ut sic melius viam sternant ad suam de divina parochorum institutione conclusionem. Unde ante omnia subvertendam duximus hanc eorum latebram, demonstrando essentiale, atque omnino admittendum discrimen, parochum inter et presbyterum.

Demonstratur autem 1° ex ipsa presbyteri et parochi essentia. Nam illæ duæ res essentialiter inter se differunt, quarum una concipitur existens quin existat altera: porro optime concipitur et existere potest presbyter, quin sit ullomodo parochus. Etenim parochum efficit ipsi commissa animarum

cura; ita ut absque ejusmodi cura nullus sit aut merito dici possit parochus. Jam vero optime concipitur quis jam ordinatus presbyter, quin ipsi committatur ulla animarum cura. Imo hodie multos existere veros presbyteros, qui parochi non sunt, ipsimet fatentur parochistæ. Et quamvis abusivum id clamitent, tamen factum ipsum non negant : quod autem fit, etiamsi minus recte fiat, a fortiori est possibile. Ergo possibilis est presbyter, qui non sit parochus : ergo presbyter essentialiter differt a parocho.

Demonstratur 2° ex historico facto, quod nequaquam negare possunt parochistæ. Nam in tota retro antiquitate constans fuit ecclesiastica lex, ut clerici quilibet, ob patrata certa crimina, ab officiis suis deponerentur. Jam vero presbyter parochus, qui sic depositus ab officio fuerat, desinebat quidem esse parochus : numquid autem simul desinebat esse presbyter ? Id sane, nisi plane desipiant, non contendent parochistæ. Ergo etiam antiquitus exstitere presbyteri, qui nullatenus erant parochi : ergo presbyter et parochus non sunt quid unum et idem.

Demonstratur 3° ex antiquitatis monumentis. Nam supra probavimus, per priora Ecclesiæ sæcula nullum in mundo exstitisse parochum, civitates autem episcopales (Roma forte et Alexandria exceptis) iis usque ad annum 1000 caruisse. Porro toto hoc tempore quam plurimos ubique exstitisse presbyteros certo certius est. Inde autem concludere est, non tantum essentialiter differre presbyterum et parochum, sed prorsus mentiri parochistas cum audacter asserunt morem hodiedum vigentem, ordinandi presbyteros qui parochi non sint, fuisse abusivum ab antiqua disciplina recessum. Recessus e contra ab antiquâ disciplina fuit (absit autem ut abusivus dicatur, cum eum Ecclesia probaverit) ipsa parochorum institutio; siquidem prioribus Ecclesiæ sæculis exstiterunt nulli.

Propositio II[a]. — *Parochi, quatenus tales, nullum constituunt hirarchiæ ordinis gradum.* — Nam de fide est hierarchiam ordinis totam constare *Episcopis*, *presbyteris* et *ministris*. Porro sicut, ex modo probatis, certum est, posse existere verum presbyterum, qui nullatenus parochus sit, ita et a fortiorti concludendum venit, posse existere verum Epis-

copum et verum diaconum absque ipsi commisso parochi officio. Ergo quilibet hierarchiæ ordinis gradus existere potest absque parochi qualitate, id est, absque eo quo quis constituitur et efficitur parochus. Ergo parochi qualitas toti hierarchiæ ordinis extrinseca est, et nullatenus ipsi essentialis : ergo parochi quatenus tales nullum constituunt hierarchiæ ordinis gradum. Unde si parochus sit presbyter, pertinet quidem ad secundum hierarchiæ ordinis gradum ; sed quatenus presbyter, nequaquam vero quatenus parochus.

Protositio III[a]. — *Etiamsi parochi idem omnino essent ac presbyteri, absurdum foret eos in tertio hierarchiæ ordinis gradu collocare.* — Nam tunc, non tertium, sed secundum hujus hierarchiæ ordinem constituerent. Cum enim, in illa hierarchia, Episcopi Papæ inferiores non sint, *primum* utique locum occupant ; unde remanet ut presbyteris, qui Episcopos proxime sequuntur, secundus tribuatur, non autem tertius locus.

Ex dictis patet, absurdum prorsus fore parochistarum systema, de parochis tertium hierarchiæ divinitus institutæ gradum conflantibus, si hoc de hierarchia ordinis intelligerent. Remanet ut idem systema, etiam de *hierarchia jurisdictionis* intellectum, falsum demonstremus.

II.

Si agatur de hierarchia jurisdictionis divinitus instituta, falsum est parochos tertium conflare hierarchicum ordinem.

Propositio I°. — *Nullius omnino valoris sunt probationes a parochistis adductæ, ut tertium hierarchicum jurisdictionis ordinem ex jure divino parochis vindicent.* — De facto parochistæ probationes suas e duplici dumtaxat fonte hauriunt : ex evangelio scilicet, et ex antiquitatis seu traditionis monumentis. Excogitari insuper possent tanquam probationis fontes ipsa parochialis officii natura, et Ecclesiæ definitiones. Atqui nullæ ex ejusmodi probationibus vim habent.

1° Non valet parochistarum probatio ex evangelio deducta. Totis quidem faucibus clamitabat cum suo Gersone Sorbona: *Evangelium esse bullam parochorum*; id est, in evangelio ipso reperiri divinitus institutos parochos, et in tertio hierarchiæ gradu collacatos. Sed prorsus hallucinati sunt qui bullam istam evangelicam sibi videre visi sunt. Eam enim contineri existimant capite 10 evangelii sancti Lucæ, ubi narratur quomodo Christus 72 discipulos elegerit et miserit in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Porro superiori sectione fuse probavimus, eos 72 discipulos nequaquam parochos fuisse, nec parochorum prædecessores; imo nec in eis adumbratos fuisse parochos; et dum in monumentis traditionis exhibentur 72 tanquam *figura presbytorum*, id intelligendum esse, et de facto olim intellectum fuisse, de presbyteris quatenus presbyteris, non quatenus parochis: invicte præterea confirmari hanc textus evangelici interpretationem ex facto, supra etiam a nobis probato, quod scilicet prioribus Ecclesiæ sæculis nullibi parochi exstiterint, et in civitatibus per decem sæcula fuerint desiderati; quibus profecto tamdiu Ecclesia non caruisset, siquidem fuissent a Christo ipso cum 72 discipulis instituti. Unde tantopere proclamata evangelica illa parochorum bulla, id est, præfatus sancti Lucæ textus, ne verbo quidem parochos attingit aut respicit. Alia autem, quæ e sacris scripturis a nonnullis parochistis adducuntur, extra quæstionem adeo palam sunt, ut confutationem non mereantur.

2° Neque valent parochistarum argumenta ex traditione, seu ex antiquitatis monumentis deprompta. Ejusmodi enim argumenta ad duplicem classem referri possunt: 1° quibus probare tentant viguisse olim persuasionem de parochis a Christo institutis per ipsammet 72 discipulorum institutionem; 2° quibus demonstrari posse existimant parochos semper ab Ecclesiæ exordiis exstitisse. Porro falsum est ullo antiquo documento exprimi persuasionem de *parochis* simul cum septuaginta duobus a Christo institutis. Exprimunt dumtaxat documenta hæc, fuisse 72 discipulos secundi sacerdotii seu *presbyterorum* typum. Quod autem in iis textibus vox *presbyteri* idem sonet ac *parochi*, affirmant quidem paro-

chistæ, sed gratis et falso, ut supra satis probavimus.

Item documenta quibus probatum volunt, exstitisse a primis Ecclesiæ exordiis parochos, minime id probant; quia intelligi possunt, et de facto ab eruditis intelliguntur, alia quidem de Episcopis, alia de presbyteris; nec ulla est vox quæ parochos proprie dictos arguat. E contra eruditi cum Mario Lupo invictis monumentis probant, initio nullos exstitisse parochos, et anno 1000 recentiores eos fuisse in civitatibus. Insuper etiamsi constaret, secundo aut etiam primo sæculo exstitisse parochos, concludi inde rigorose non posset eos institutione divina exortos; cum ab initio ex jure mere ecclesiastico induci potuerint, sicut revera ex lege ecclesiastica postea constituti reperiuntur. Factum autem a parochistis perpetuo recantatum, non solitum olim fuisse presbyteros ordinare, nisi alicui titulo seu alicui Ecclesiæ affixos, nihil eos juvat. Nam cathedralis Ecclesiæ presbyteri et diaconi, id est, canonici, nonnisi ad titulum episcopalis Ecclesiæ, et eidem Ecclesiæ addicendi ordinabantur, et tamen nequaquam erant parochi. Unde concludere parochum eum fuisse, qui legitur presbyter ordinatus et alicui titulo seu Ecclesiæ affixus, ineptissima argumentatio est.

3° Nec argui potest divina, id est juris naturalis, institutio parochorum, ex ipsa parochialis officii essentia, seu ex eo quod parochi sint in Ecclesia necessarii. Nam necesse quidem est ut in Ecclesia exerceatur spiritualis animarum cura: sed hæc cura exerceri potest, quin ullus constituatur parochus; per Episcopos nempe ipsos, et per meros vicarios ab ipsis deputatos. Et ita de facto se res habuit prioribus Ecclesiæ temporibus; imo in civitatibus ad undecimum usque sæculum disciplina hæc perseveravit, ut eruditis jam compertum est.

4° Quoad Sedis Apostolicæ aut conciliorum decreta quibus definiatur divina parochorum institutio, nulla reperire potuerunt parochistæ; et ideo confugiunt ad *bullam* evangelii; utique quia bulla omni pontificia, id est, omni ipsis favente decisione destitutos se bene norunt.

Ergo revera prorsus inanes et nullius valoris sunt probationes a parochistis adductæ, ut tertium hierarchicum jurisdictionis ordinem parochis ex divina institutione vindicent.

Propositio IIª. — *Historica parochorum origo probat eos esse institutionis ecclesiasticæ.* — Nam supra eam originem rimando, hæc duo facta probavimus : 1° nullos exstitisse prioribus sæculis parochos : 2° per annos mille civitates (Roma forte et Alexandria exceptis) ea institutione caruisse. Atque id recentiores jam eruditos pro explorato habere vidimus. Porro inde tota subvertitur parochorum divinitus institutorum hypothesis. Nam si Christus ipse parochos instituisset, qui proprio nomine sub Episcopis singulas diœceseon regiunculas gubernarent, sicut Episcopi sub Papa singulas diœceses regunt, Apostoli profecto, et proximi eorum successores, juxta hanc divini fundatoris institutionem et mentem universalem Ecclesiam ordinassent. Alioquin enim dicendum foret eos, aut fundamentalem et essentialem Ecclesiæ constitutionem a Christo ipsis revelatam, perperam intellexisse, aut noluisse eam ad exccutionem deducere : quæ utraque hypothesis non tantum repugnat, sed impia et blasphema est. Atqui neque Apostoli, neque eorum per decem sæcula successores id præstiterunt ; ergo.

Unde, si agatur de hierarchia jurisdictionis, falsum est parochos constituere tertium ex divina institutione hierarchicum ordinem. Aliunde idem falsum est, si agatur de hierarchia ordinis. Ergo rejiciendum omnino est systema, tanto tempore (in Gallia præsertim et a Sorbona) propugnatum, de parochis tertium hierarchiæ divinitus institutæ ordinem conflantibus.

Habenda scilicet parochorum institutio tanquam mere ecclesiastica, utiliter quidem suo tempore inducta, quæ tamen ad essentialem Ecclesiæ constitutionem, ipsiusque divinitus statutam hierarchiam nequaquam pertineat ; ut adeo possit disciplinaribus decretis, pro temporum et locorum ratione, immutari ; imo et de toto mundo, si et quando Ecclesiæ videbitur, auferri.

Pro quæstionis autem gravitate, et erroris quem confutamus nimium adhuc perdurante lue, operæ pretium visum est subnectere, quæ de eodem argumento, Sacræ Congregationis Concilii nomine, ad Ebredunensem Archiepiscopum scribebat clarissimus Gerdil : « Magnam cordi nostro tristitiam attulit

« quod significas, passim vulgari per tuam diœcesim infaus-
« tum libellum, parochorum Delphinatus nomine popula-
« ribus comitiis inscriptum... De hierarchia ecclesiastica fer-
« tur hæc perscripta esse libelli sententia: *Non alios esse*
« *posse veros hierarchas prœterquam Papam, Episcopos et*
« *parochos : hunc fuisse septem octove sœculis pulcherrimum*
« *Ecclesiæ statum : opus hoc divinum fuisse, deinceps hu-*
« *mano consilio perturbatum, cum videlicet contra jus fas-*
« *que prodire cœperunt titulares sine functione, ministri sine*
« *munere, pastores sine grege, prœpostere ad hierarchiœ*
« *essentiam vel integritatem pertinere se contendentes. Quo*
« *factum, ut pertubata pace, quœ suos inter prœpositos vigere*
« *debet, magnam Ecclesia gloriœ suœ partem amiserit.* Atque
« hæc quidem merito sunt a te reprehensa. Nam quod Epis-
« copi, sacerdotesve, nullo etiam administrationis ordinariæ
« munere fungentes, tardius tantum, per fraudem, nec sine
« ingenti Ecclesiæ dedecore, in ecclesiasticam hierarchiam
« irrepserint ; quod et inferiores ministri, quin et ipsimet
« diaconi ab ea rejiciantur, id cum a veritate, tum a Tri-
« dentini sanctionibus abhorret quam maxime. Noverant
« Patres Tridentini, primis etiam sæculis plures ejusmodi
« Episcopos et sacerdotes nulli peculiari administrationi
« addictos, in hierarchia ecclesiastica constitisse : plures et
« suis temporibus videbant conditionis ejusdem in Ecclesia
« consistere : nihilominus sic universe de hierarchia statuen-
« dum censuere (sess. 23, can. 6): *Si quis dixerit in Ec-*
« *clesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione*
« *institutam, quœ constat ex Episcopis, presbyteris et mi-*
« *nistris, anathema sit.* Quo dogmatico canone manifestum
« est, in hierarchia, divina ordinatione instituta, comprehen-
« di non Episcopos tantum, aut parochos (quos nec nomina-
« tim concilium memorat), verum indefinitis verbis presbyte-
« ros ; tum et ministros, quos inter primo gradu et loco dia-
« conos censeri constans ab apostolicis temporibus Ecclesiæ
« traditio confirmavit...

« Quod si primordia hierarchiæ ab apostolocis usque ducta
« temporibus recolere memoria volumus, expressam eorum
« speciem ac formam referet magnus ille Apostolorum disci-

« pulus, summæ vir in Ecclesia auctoritatis, martyr Ignatius : « *Locutus sum,* inquit, *magna voce, Dei voce*: *Episcopo at-* « *tendite, et presbyteris et diaconis* (epist. ad Philad.). Tum « in epistola ad Smyrnæos: *Omnes Episcopum sequimini, ut* « *Jesus-Christus Patrem*; *et presbyteros ut apostolos; dia-* « *conos autem revereamini ut Dei mandatum.* En hierarchiam « divina ordinatione constitutam, constantem ex Episcopo, « presbyteris et diaconis *sine quibus* (ad Trallenses) *Ecclesia* « *non vocatur.* Quæ porro sint in ea partes Episcopi, pergit « Smyrnæos docere : *Nullus sine Episcopo aliquid operetui* « *eorum quæ conveniunt in Ecclesia. Illa firma gratiarum* « *actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse con-* « *cesserit. Ubi apparet Episcopus, illic multitudo sit: quem-* « *admodum utique ubi est Christus Jesus, illic catholica Ec-* « *clesia. Non licitum est sine Episcopo neque baptizare, ne-* « *que Agapen facere: sed quod utique ille probaverit, hoc* « *est Deo beneplacitum, ut stabile sit et firmum omne quod* « *agitur. Honorans Episcopum a Deo honoratus est: qui* « *occultans ab Episcopo aliquid operatur, diabolo præstat ob-* « *sequium.* Ex his constat hunc fuisse statum presbyterorum « in Ecclesia, ut quamvis pro potestate ordini divinitus ad- « juncta, apti essent atque idonei ad sacerdotalia munera « fungenda, nulli accedere ad ea fas esset, nisi jussu ac nutu « Episcopi. Nulla erat singulis presbyteris singularis attri- « buta portio gregis quam regeret; sed in universo grege « regendo suam quisque pro loco ac tempore operam nava- « bat, prout Episcopo expedire videbatur. Si qui baptizandi « essent, si ad Agapen conveniendum erat, si quod aliud « obeundum ministerium, e presbyterorum cœtu evocabatur « ab Episcopo qui baptizaret, qui Agapi præsideret, qui « præscriptum officium expleret. In hac hierarchiæ descrip- « tione, quæ probatissimo teste Ignatio ab Apostolorum æta- « te pluribus certe in ecclesiis viguit, multi quidem presby- « teri fuisse perhibentur, nullus qui peculiari portioni gre- « gis regendæ addictus esset, nullus adeo qui parochus pro- « prie dici posset; cum potius ita comparati essent, ut per uni- « versam Ecclesiam cui adscripti erant, quæ parochorum sunt « munia, omnes indiscriminatim ac per vices obirent, prout

« hoc vel illo loco, hoc vel illud munus obire jussi erant ab « Episcopo.

« Quo patet quam imperite primum dictum sit, per septem « octove priora sæcula non alios hierarchiæ compotes fuisse « præterquam Papam, Episcopos et parochos, ipsismet præ- « teritis diaconis, quos Dei mandato in ea fuisse diserte tra- « dit Ignatius; quam inconsulto dein subjunctum, nonnisi « præter jus fasque, nec sine immani Ecclesiæ dedecore in- « vectos esse in hierarchiam qui, tametsi sacerdotii honore « insigniti, nulla pollent peculiari præfectura in Ecclesia.... « Non ignorat amplitudo tua, quam multa præterea synodi « et Patres monumenta in eam rem suppeditent ; ex quibus « magna ex parte collatis, clarus inter vestros theologus Lu- « dovicus Thomassinus (parte 1, lib. 2, c. 21, n. 8) hanc ve- « luti summam colligit : *Primis illis initiis solus vulgo bap- « tizabat Episcopus, solus altaribus pœnitentes reconciliabat, « solus offerebat, nisi quem ex presbyteris suum substitueret « in locum, et offerre juberet. Quare et in maximis quibusque « urbibus una erat tantum ecclesia ; fons unus baptismatis.* » (Gerdilii opera, tom. 15, pag. 340, edit. Romæ, 1809.)

CAPUT III.

FALSUM EST PAROCHUM ESSE JUDICEM FIDEI ET HABERE VOCEM DEFINITIVAM IN CONCILIIS.

In eum errorem lapsus olim est Gerson, prout probant hæc ipsius verba : *De voce definitiva quales eam habeant* (nempe in conciliis œcumenicis) *non est dubium de Episcopis et superioribus prælatis, sicut juxta prædicta practicatum sæpius invenitur in prioribus conciliis. Sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus prælatis, qui sunt curati et hierarchæ; neque de illis qui ad hunc duplicem prælatorum ordinem reducuntur, quibus non ex privilegio solo, sed ex statu et ordinario jure competit animarum cura, quemadmodum sunt multi abbates, decani, præpositi, cum similibus.* Illud erroris

monstrum, quo præter Episcopos parochi etiam et cæteri curam animarum ex officio habentes constituuntur judices fidei in conciliis œcumenicis, nulla alia ratione fundat quam *nuper edita* Sorbonæ decisione; id est decisione ab ipsomet Gersone confecta, cum constet totam Sorbonam tunc temporis in ipsius manu fuisse. *Facit ad hoc*, ait, *determinatio sacræ facultatis theologiæ Parisiensis nuper edita..., ubi sic dicitur: Domini curati sunt in Ecclesia minores prælati et hierarchæ ex primaria institutione Christi.* (In opusculo *de Potestate ecclesiastica*, tomo 2, pag. 250, editionis Ellies Dupin.)

Excepto tamen Gersone, et nonnullis forte obscuris aliis, sequaces postea error ille non habuit; siquidem a gallicanis ipsis, imo et a jansenistis (ut mox patebit) solebat rejici. At vero iterum, proxime elapso sæculo, eo vesaniæ processit parochismus, seu presbyterianismus, ut inter judices fidei et legislatores quoad disciplinam parochos introducere serio tentaverit.

Eos ut tales in sua synodo sedere voluit Pistoriensis Episcopus Ricci, atque judicandi de fide prærogativam expresse ipsis attribuit: *Judices etiam ipsi*, inquit, *et doctores fidei, debebant parochi præcepta evangelica docere.* (*Instructio pastoralis,* pag. 81, quam vide in opere cui titulus *Annotazioni al Vescovo di Pistoja,* pag. 62, quarta editio.) In actis vero Pistoriensis synodi, § 17, eriguntur in legislatores circa disciplinam.

Quod erroris monstrum sic breviter profligari potest:

Ex bulla *Auctorem fidei*, in qua ejusmodi aberratio reperitur expresse condemnata: « 9° Doctrina quæ statuit, re« formationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam, in « synodis diœcesanis, ab Episcopo et parochis æqualiter pen« dere ac stabiliri debere; ac sine libertate decisionis inde« bitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Epis« coporum, — *falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis lœsiva « regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianæ a « Culvino innovatæ.* — 10° Item doctrina qua parochi, aliive « sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum « Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis « fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per or-

« dinationem accepto, — *falsa, temeria, ordinis hierarchici*
« *subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve*
« *dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.* — 11° Senten-
« tia enuntians veteri majorum instituto ab apostolicis usque
« temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato,
« receptum fuisse, ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ
« etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ
« fuissent et approbatæ a synodo diœcesana, — *falsa, teme-*
« *raria, derogans pro sua generalite obedientiæ debitæ cons-*
« *titutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica*
« *superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et*
« *hæresim.* »

II. Ex tota Patrum traditione et Ecclesiæ praxi. — Argumentum illud fuse evolutum reperire est apud multos auctores catholicos (1) : apud Gerdilium autem, breviori licet forma, majori tamen auctoritate; tum ob præclaram viri in ecclesiasticis tractationibus gravitatem, tum quia nomine totius Sacræ Congregationis Concilii, quid in hac re sentiendum sit, in sua ad Ebredunensem Archiepiscopum responsione exponit. Certiorem nempe fecerat Sedem Apostolicam Ebredunensis Archipræsul, parochorum Delphinatus nomine publicatum fuisse et ad popularia comitia directum infaustum libellum, in quo parochos tertium hierarchiæ ecclesiasticæ gradum constituere, esseque in causis fidei judices asserebatur; simulque ad potestatem civilem transferebantur, quæ sunt ecclesiasticæ potestatis propria. Commissum est rei examen Sacræ Congregationi Concilii, cujus nomine hæc inter alia rescripsit Cardinalis Gerdil prælaudato Galliæ Præsuli :

« Quod si, non sine gravi ordinis hierarchici pertubatione,
« studuit auctor libelli parochorum jurisdictionem adversus
« justam Episcoporum auctoritatem amplificare, quanto im-
« moderatior elatio in eo se prodit, quod eos in fidei judiciis
« Episcopis coæquare non vereatur. Quæ erroris pravitas ex
« his abunde jam refellitur, quæ pro tua prudentia breviter

(1) Videri patest, inter alios, auctor operis cui titulus l'*Autorité des deux puissances*, a pagina 24; qui tamen in cæteris, ob gallicanismi offendicula, caute legendus est.

« æque ac sapienter attigisti ; scilicet in conciliis communiter « servatum esse, ut Episcopi definientes subscriberent, non « item secundi ordinis clerici ; quibus tamen non id juris Pa- « tres invidissent, siquidem divina institutione niteretur : « deinde refragari Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, quæ hanc « in parochis judicii auctoritatem non agnoscit ; quo uno su- « blata videri debet omnis dubitatio. Demum istiusmodi auc- « toritatem nullo titulo niti, defendive posse ; non sacerdotii, « secus esset presbyteris omnibus communis ; non paro- « chialis institutionis, qua non aliæ facultates parochis tri- « buuntur, quam quæ ad suas regendas plobes necessariæ « sunt.

« Quibus ut et nonnulla confirmationis gratia subjungamus, « certe si vel a remotiori vetustate synodorum quæ habitæ « sunt rationem attendimus, soli ut plurimum Episcopi expo- « sitionibus fidei subscripti comperientur ; rarius inter Epis- « copos pauci presbyteri, aut etiam diaconi ; nec suo, sed « Episcoporum suorum nomine : velut in Ephesina unus Be- « sula diaconus pro Carthaginensi : plures in septima gene- « rali synodo sub hac formula : *Leo presbyter sanctæ magnæ « Dei Ecclesiæ, et Vicarius sedis Sidendis metropoleos, pa- « terna dogmata sequens, et traditionem catholicæ Ecclesiæ, « definiens subcripsi : Epiphanius peccator, diaconus sanctis- « simæ ecclesiæ Catanæ Siculorum pvovinciæ, et locum reti- « nens Thomæ sanctissimi Archiepiscopi Sardiniæ, paterna « dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, defi- « niens subscripsi.* Itaque sive ubi exstant, sive ubi non exs- « tant subscriptores istiusmodi, perinde sane faciunt contra « sententiam libelli. Namque ubi non exstant, manifesto indi- « cio est, Patres non illos æstimasse judices fidei, quos nec « adscriptores habere curaverint : sin adsunt, dum ipsimet « Episcoporum nomine, non suo, subscribunt, palam loquun- « tur non penes se, sed penes Episcopos, id juris residere. « Quamquam si quid juris ex istiusmodi subscriptionibus elici « posse videatur, id necesse est, non parochis tantum, quos « nec vetera illa concilia memorant, sed omnibus indiscri- « minatim presbyteris nec presbyteris tantum, sed et diaco- « nis tribuendum videri : quo nil fingi potest absurdius.

« Atque et istud etiam considerandum est, ad legitimum « constituendum generale concilium hoc inter alia omnino « requiri, ut generalis fiat eorum convocatio qui sunt jure di- « vino judices fidei. Hoc nomine solos convocatos Episcopos « esse acta imprimis testantur synodorum Ephesinæ et Chal- « cedonensis. Et quidem quod ad Chalcedonensem attinet, « cum Marciani Augusti pia vota non satis temporis ad uni- « versalem convocationem relinquerent, non aliter supple- « tum est quam apostolica Leonis auctoritate. Cæterum ge- « neralis est regula, communi doctorum assensu firmata, ut « ad œcumenicam synodum universus ordo judicum fidei « ex omni parte convocetur. Jam vero cum ad vetustas « illas synodos nulla ejusmodi appareat presbyterorum « secundi ordinis facta convocatio, nec illæ profecto velut « œcumenicæ synodi haberi potuissent, a quibus nempe « multo maxima pars eorum abfuisset, qui jure suo judices « essent fidei. Sic uno ictu concideret venerabilium earum « quatuor synodorum auctoritas, quas omni fide, omni de- « votione suscipere Gregorius Magnus (lib. 3, epist. 10), ac « sicut quatuor libros sancti evangelii recipere profitebatur. « Perempti earum decretis errores continuo reviviscerent, « aut e latibulis in quibus profligati delitescunt, rursum « erumpentes, clades instaurarent, quas primum prodeuntes « misere fœdeque in ecclesiis ediderant.

« Hæc tam vetusta, tam constans habendarum synodorum « ratio persuadet omnino hujusce hierarchicæ ordinationis, « quæ judicii auctoritatem in causis fidei Episcopis detulit, « initia non aliunde ducenda esse, quam ex institutione « Christi et apostolica traditione. Revera Christus, ut ex « Marco discimus (cap. 3), *ascendens in montem vocavit ad se* « *quos voluit ipse... et fecit ut essent duodecim cum illo, et* « *ut mitteret eos prædicare.* Quo semper intellectum est, « prædicandi ac docendi munus et officium, simul cum fidei « deposito, Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, *pe-* « *culiari quadam ratione* sic demandatum esse, ut ab ipsis « tanquam *præcipuis* verbi præconibus evangelica doctrina, « cum sana verborum forma, in universum orbem et in omne « tempus propagaretur. Hinc Apostolus (I Cor. v, 17) mis-

« sum se ait, non baptizare, sed prædicare : hinc Episcopum « *doctorem* ab Apostolo nominari observat Hieronymus. Quod « sancte adeo ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio servatum « est, ut non alii quam Episcopi concionarentur in ecclesiis, « nec nisi Episcopi jussu ac mandato presbyteris postmodum « facultas permissa sit hujus muneris obeundi ; sic, ut plane « constaret non aliam ab ipsis doctrinam plebi trademdam « fuisse, quam quæ ab Episcopo tradita, aut certe probata « esset. Hinc Cœlestinus I (epist. 21 ad Episcopos Galliarum, « apud Coustant), cum non sine magno mœrore a sanctis « viris Prospero et Hilario intellexisset, presbyteris quibus- « dam illic tantum impune licere, ut dissensioni ecclesiarum « studentes, atque indisciplinatas quæstiones vocantes in « medium, pertinaciter prædicarent adversantia veritati, « nonnullam in eo negligentiæ culpam in Episcopis reprehen- « dit : *Sed vestræ,* inquit, *dilectioni justius imputamus,* « *quando illi supra vos copiam habent disputandi. Legimus* « *supra magistrum non esse discipulum ; hoc est, non sibi de-* « *bere quemquam in injuriam doctorum vindicare doctrinam,* « *Nam et hos ipsos a Deo nostro positos novimus ad docen-* « *dum... Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus, ii lo-* « *quuntur, qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt?* Qua « ratione igitur fieri potest, ut cum Episcopis judices se- « deant, qui Episcoporum se discipulos agnoscere debent ; « quibus non licet doctrinam sibi vindicare, sed eam cum « facultate docendi ab Episcopis accipere, velut magistris a « Deo nostro positis ad docendum ? Quo intelligitur munus « hoc docendi, quo, cum potestate judicii, Verbum Dei a « verbis hominum secernitur, utpote quod in prædicationis « officio præcipuum est ac maximum, sic etiam fuisse a « Christo in summo gradu sacerdotii collocatum...

« Haud mirum proinde in gallivanis istis ecclesiis, quæ « perpetua planeque insigni pietatis ac doctrinæ laude flo- « ruerunt, hanc mentem ac sententiam insedisse, ut in con- « ciliis judicum loco nonnisi Episcopi adessent, aut quibus « vel mandato vel privilegio concessum esset. In *tractoria,* « qua præclarum illud ecclesiarum vestrarum lumen ac decus « Avitus Viennensis Episcopos convocat ad concilium Epao-

« nense, cavet ut si quem forte adversa valetudo detinet, « *duos presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati ins-* « *tructione firmatos, frutribus pro se præsentare procuret...* « *Nempe ad definitiones pro Episcopo suo sanciendas subscri-* « *bendasque*; *sed istud non extorqueat nisi summa necessitas.* « Sanctus item Viventiolus Lugdunensis conventum Episco- « porum denuntians : *Clericos* inquit, *prout expedit conve-* « *nire compellimus*; *laicos permittimus interesse, ut quæ a* « SOLIS PONTIFICIBUS *ordinanda sunt, et populus possit ag-* « *noscere.* Tam nempe certi erant Pontifices illi gravissimi, « nullam in talibus causis penes laicos, clericosve secundi « ordinis, judicii auctoritatem residere, ut scirent, prout lau- « datus Avitus (epist. 36) testatur, *synodalium legum esse, ut* « *in rebus quæ ad ecclesiæ statum pertinent, si quid dubita-* « *tionis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ Maximum* « *Sacerdotem, quasi ad caput nostrum membra sequentia re-* « *curramus.* Quid opus cemmemorare concilium Lugdunense « œcumenicum, in quo (sess. 2), ubi post allocutionem Pon- « tificis *latæ sunt constitutiones pro zelo fidei*, dimissi le- « guntur inferiores prælati, exceptis illis qui fuerunt nomi- « natim evocati? Ad sese nos revocat laudatum Rothoma- « gense concilium, cujus in actis responsum refertur, quod « Summus Pontifex Gregorius XIII, audita relatione sacræ « hujusce congregationis reddendum, dari censuit ad plura « dubitationum capita, quæ ab illis Patribus ad Sedis Apos- « tolicæ judicium relata fuerant. Erat caput 5 : *Quam vocem* « *abbates, præcipue commendatarii, capitulorum deputati,* « *et Episcoporum procuratores habere deceret? Constabat,* « inquiunt, *ex formula conciliorum provincialum et actis* « *omnium habitorum post concilium Tridentinum, tantum* « *illis fuisse concessam deliberativam vocem seu consulti-* « *vam, non auten decisivam. Quoniam tamen videbantur illi* « *paratiores ad impediendum concilium, et lites coram se-* « *natu movendas, ad ipsum retardandum, nihil quoque de* « *hoc judicatum fuit.* Tum subjungunt : *Nisi legitima forma* « *conciliorum provincialium restituatur, futurum est ut jam* « *non dicantur concilia Episcoporum, sed inferiorum eccle-* « *siasticorum contra Episcopos. Ideo dignetur Sua Sancti-*

« *tas unicuique suos limites ponere.* En responsum : *Abbates,* « *commendatarios, capitulorum deputatos vocem dumtaxat* « *consultativam habere : Episcoporum procuratores posse, si* « *concilio provinciali placuerit, et decisivam habere.*

« In Burdigalensi anni 1624... decretum edendum (Patres) « præformarunt his verbis : *Sacro approbante concilio, de-* « *cretis ultimi concilii Burdigalensis inhærentes, opinionem* « *quorumdam qui ausi sunt asserere, præter Episcopos,* « *quosdam etiam alios habere vocem decisivam in concilio* « *provinciali ut erroneam judicamus.* » Hæc clarissimus « Gerdil (Opera Gerdilii, tom. 15, page 347, editio Romæ « 1809) cui addemus dumtaxat postulationem Episcoporum Ægypti in œcumenica Ephesina synodo *Petimus* inquint, *superfluos foras mittite : synodus Episcoporum est, non clericorum* (Labbe, tom. 4, page 3).

III. In tradenda eadem doctrina tanquam certa unanimes sunt probati doctores scholæ, quos supervacaneum esset adducere, cum nulla de hoc exstet controversia.

IV. Neque in hac re dissentiunt gallicani. Imo et ipsi præfatum errorem totis viribus profligarunt. « Le Saint- « Siége principalement, et le corps de l'épiscopat uni à son « chef, c'est où il faut chercher le dépôt de la doctrine ecclé- « siastique, confiée aux Evêques par les Apôtres. » (Bossuet *Discours sur l'unité de l'Eglise.*) « Episcopus eorum omnium, « quæ ad religionem pertinent, unicus verus et ordinarius « judex est. » (Fleury, *Instit. juris eccles.*, l. 1, cap. 13, n. 2.)

In comitiis cleri gallicani anni 1755 (*Procès-verbaux* ; pag. 703), parochi Parisienses coacti sunt subscribere hujuscemodi declarationi : « Nobis est plene compertum, ad « solum in sua diœcesi Episcopum jus pertinere, de bona « aut prava doctrina judicandi, atque eum solum (1) a pa- « rochis esse hac de causa adeundum. »

Item in comitiis anni 1770 (ibid., pag. 430), cum de doctrina agendum esset, diserte fuit decretum *deputatos secundi or-*

(1) Quod quidem non intelligendum est exclusive quoad Sedem Apostolicam : alioquin ortodoxa non esset illa doctrina.

dinis (id est alios præter Episcopos) *vocem deliberativam non habituros, sed consultativam tantum*. Idem videre est in declaratione (la remontrance) comitiorum anni 1717, ad Aurelianensem ducem directa.

V. Baianismi etiam et jansenismi sequaces olim in hac re a doctrina catholica non recesserunt. *Sperabam eos* (inquit Baius loquens de contrariis sibi sacerdotibus secundi ordinis)... *suam sententiam mutaturos.... præsertim quia non ignorant se in his quæ ad fidem pertinent, proprie censores non esse (Opera Baii* part 2, p. 8).

Quatuor Episcopi jansenistæ appellantes : « Le pouvoir de « décider des matières de la foi, n'a-t-il pas été spéciale- « ment confié par Jésus-Christ aux Apôtres et à leurs suc- « cesseurs, qui sont les Évêques ? Comment donc se serait- « il pu faire qu'il eût passé, au préjudice des mêmes Évê- « ques, à des ministres inférieurs et de simples prêtres ? » (Acte d'appel de 1719.)

Cardinalis de Noailles in instructione pastorali ejusdem anni ita affirmat quoad quæstiones fidei : « La décision est « réservée aux premiers pasteurs. »

Consonat verum jansenismi caput abbas de Saint-Cyran (*Adv. spong.*, page. 91). Itemque Jueninus : *Catholici e contra omnes,* inquit, *docent solos Episcopos habere jus ferendi judicium decisivum idque institutione divina* (dissert, 4 quæst. 3 cap. 1, art. 2, tom. 1).

Ex quo documentorum conspectu palam fit, quomodo presbyterianismus seu parochismus, ultimis temporibus, non tantum catholicæ doctrinæ limites, sed et ipsam veteris jansenismi audaciam prætergressus sit. Et Pistoriensi quidem synodo qui interfuerunt parochi, minus vituperandi videntur, cum constet multos ad subscribendum vi et fraudibus ab hæterodoxo Episcopo Ricci fuisse adactos (vide opus citatum *Annotazioni al Vescovo di Pistoja.*) Ast æterno vituperio prorsus digni ii parochi Galliæ, qui sponte, quassante hujus regionis ecclesias rerum politicarum procella, in id deliramenti processerunt, ut se judices in causis fide contenderint.

« Qui consensum secundi ordinis presbyterorum requi- « runt, ut Ecclesiæ judicium ratum firmumque sit, ii revo-

« cant errorem Aerii, de quo loquitur sanctus Epiphanius « (hær. 75, tom 1, pag. 906 et seq., edit. Coloniæ 1682), « quem antea revocarunt Valdenses, Wiclefitæ, Calviniani, « Angli presbyteriani, Richerius, quemque inter cæteros late « refutarunt Bellarminus (*de Ecclesia milit.*, l. 3, pag. c. 16, « pag. 75, operum tom. 2, edit, Venet. 1721), Petavius « (*de Hierarchia Eccles.*, l. 4, c. 2, n. 5, t. 6, pag. 178, « edit. Venet. 1757), Natalis Alexander (*Historia Eccles. ad « sæcul.* IV, dissert. 44, t. 4, pag. 618, edit. Venet. 1776), « Veith (*Richerii systema confut.*, sect. 2. § 54, n. 46), Bol- « genius (*Esame della vera idea della Santa Sede*, n. 1 et « seq., et in citato libro *Riposta al quæsito, cosa è un appel- « lante,* n. 279 et 427. Sane docendi, pascendi, regendi po- « testas non presbyteris, sed Apostolis, eorumque succes- « soribus a Christo data est. Semper ecclesiarum regimini « et administration Episcopi sunt præpositi, non presbyteri. « In conciliis œcumenicis ab Episcopis editum est judicium, « quod christianis omnibus veritatis loco esse deberet. Atque « id adeo verum est, ut semper Ecclesia generalia concilia « designaverit tantum expresso numero Episcoporum, qui iis « interfuerant. Ita cum memorat Episcopos 318, aut Epis- « copos 600, intelligit concilium Nicœnum aut Chalcedonense, « quoniam a totidem Episcopis duo illa concilia constituuntur. « Quod si aliquibus conciliis etiam presbyteros interfuisse « constat, id factum est, vel ex consens Episcoporum, quibus « certos presbyteros vocare placuit, qui sapientia præstarent, « vel ut absentium Episcoporum vices agerent (*Ut ostendi « in prolegomenis*, c. 3, § 40, p. 36, tomi 1). Hinc Episcopi « subscribebant hac formula *N. Episcopus judicans subs- « cripsi ;* sed a subscriptionibus presbyterorum aberat τὸ *ju- « dicans* ; ut pateret in conciliis Episcopos proprie judices « esse. Et in concilio Chalcedonensi (act. 1, col. 886, « tom. 4, collectionis Labbæi) habentur hæc: *foras mit- « tite superfluos, concilium Episcoporum est.* Rem concludam « egregiis verbis cleri gallicani (*Actes du clergé de France*, « tom. 12, pag. 1760, édit. Paris. 1740). *Le calme après le- « quel nous soupirons ne saurait se trouver que dans la sou- « mission aux décrets de la foi, et dans l'obéissance à ceux*

« *qui en sont les juges: ce sont les Évêques et les Évêques seuls:*
« *c'est à eux qu'il appartient d'en décider les dogmes, de les*
« *enseigner, de les expliquer, de les garantir, d'en établir*
« *également la certitude et l'écuménicité, et d'y soumettre les*
« *peuples.* Et pagina 1674 : *Nous le disons avec douleur, la*
« *subordination s'affaiblit. Le simple prêtre se met au rang*
« *des premiers pasteurs et prend la place des juges de la foi.*
« *Des curés de la capitale de votre royaume osent dans un*
« *mémoire imprimé attaquer ouvertement une ordonnance et*
« *une instruction pastorale de leur Archevêque, qui sont*
« *hors de toute atteinte*: Paucis ab hinc annis Bergomi pro-
« diit egregius liber Marii Lupi *de Parochiis ante annum*
« *Christi millesimum*, quo in libro evidenter ostenditur
« quam sero parochi instituti in Ecclesia fuerint; ut proinde
« audiri nequeant qui divinam eorum institutionem jactant. »
(Devoti, *Institut. canonicæ*, lib. 4, tit. 4, n. 2, tom. 4 pag, 46 et seq., edit. Romæ 1794.)

CAPUT IV

PAROCHI NON HABENT EX OFFICIO SUO, NEC HABUERUNT UNQUAM PROPRIE DICTAM EXCOMMUNICANDI POTESTATEM.

Prænotanda. — 1° Proprie dictam excommunicandi facultatem non vocamus eam quam quis haberet ex commissione speciali Episcopi. Eo enim modo, non tantum parochi sed quilibet clericus excommunicare potest: cum autem tunc excommunicatio feratur, non jure proprio, sed ex delegatione et commissione, minime dici possunt hujusmodi delegati sive commissi potestatem excommunicandi ordinariam ex proprio suo officio exercere.

2° Neque excommunicandi potestatem proprie dictam constituit facultas a lege data alicui clericorum classi verbi gratia parochis, excommunicandi *in quibusdam determinatis casibus*. Tunc enim poterit parochus, hoc ipso quod sit parochus, sententiam excommunicationis ferre in personas quas

repererit determinatorum a lege flagitiorum reas; sed illa excommunicatio, non a potestate parochi et ex officio parochi proprio vim habebit, sed ex potestate legislatoris, qui pro talibus casibus excommunicationem (licet per parochos exequendam) ipse sancivit. Qui nisi ita prius excommunicationem constituisset et parochis commissionem applicandi et exequendi dedisset, inanis prorsus esset parochi sententia.

3° Proprie dictam autem excommunicandi potestatem ille habet, qui absque speciali delegatione, et vi officii sui, potest subditum excommunicare, etiam pro delicto quod nulli legis censuræ subjacet; item ille qui potest jure proprio legem ferre excommunicationis pro tota aliqua specie delictorum; item ille qui excommunicationes a lege latas potest exequi et urgere, non ex commissione speciali sibi ad hunc finem a lege facta, sed vi proprii officii, et proprio atque ordinario jure huic officio alligato.

4° Jansenistæ et parochistæ totis viribus potestatem excommunicandi, et quidem proprie dictam de qua agimus, penes parochos olim stetisse, adstruere conati sunt; id sibi prodesse existimantes, ut facilius dein iisdem fori externi jurisdictionem vindicent.

5° Præter auctores præsbyteriana aut jansenistica labe infectos, aliquos etiam olim docuisse *quod sacerdotes parochiales possunt excommunicare*, testatur Divus Thomas loco infra citando. Et revera aliqui veteres canonistæ, antiquitatis inscii et quibusdam decretalium textibus decepti, eam tenuerunt opinionem; quos citatos vide apud Gonzalez (in caput *Cum ab ecclesiarum*, tituli 31, libri 1 decretalium). Ii autem pauci fuerunt; ita ut sententia contraria semper multo communior apud doctores catholicos exstiterit; nuc autem communissima dicenda sit, et sola in praxi recepta.

6° Quæstionem expediemus duplici paragrapho. 1° Nempe explodemus argumenta ex monumentis historicis desumpta, quibus parochistæ probare nituntur olim penes curatos stetisse excommunicandi potestatem; 2° probabimus falsam omnino esse opinionem quæ hujusmodi prærogativam parochis hodiedum tribueret.

§ I.

Documenta a parochistis allegari solita, non probant ad parochos olim pertinuisse proprie dictam excommunicandi potestatem.

I[a] ALLEGATIO. — Textus sancti Hieronymi : *Mihi ante presbyterum sedere non licet : illi, si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis* (epist. 1 ad Eliodorum). Volunt parochistæ ibi potestatem excommunicandi, ac proinde jurisdictionem externam a sancto doctore tribui presbyteris ; verisimile autem satis esse aiunt, presbyteros de quibus loquitur fuisse parochos. — Respondetur primo, sanctum Hieronymum forte ibi loqui, non de potestate proprie dicta excommunicandi, sed de potestate negandi absolutionem in foro pœnitentiali, quam denegationem modo oratorio exprimit his vocibus, *tradere Satanæ in interitum carnis*. Secundo, eum loqui de presbyteris civitatum seu de presbyterio Episcopi ; nam paulo antea dixerat : *An de his aliquid audeam dicere qui certe in suis urbibus commorantur ?* Presbyteros autem et diaconos, qui antiquum presbyterium conflabant, externam cum Episcopo et sub Episcopo exercuisse jurisdictionem, sicut hodie exercent vicarii generales, pro explorato habent eruditi. Tertio, quocumque modo intelligendus videatur ille textus, certum remanet sanctum Hieronymum ne minima quidem voce de parochis sermonem fecisse; atque eum ibi considerare totum presbyterorum ordinem, seu secundi ordinis sacerdotium, nullatenus vero peculiare officium parochi, ex toto contextu patet. Unde vix concipitur audacia Juvenini, qui (*de Sacramentis in genere et specie*, dissert. 9, q. 3, art. 3, § 3) fidenter illum textum ad vindicandam parochis excommunicandi potestatem et fori externi jurisdictionem adducit. Thomassinus vero, qui rationes ad vindicandam parochis excommunicandi facultatem afferri solitas diligenter collegit, a citando Hieronymi textu abstinet. Bene viderat emunctæ naris vir, nimis absonum fore tale documentum in probationem velle adstruere. Ipse vero, nihil in tota remotiori antiqui-

tate reperiens quod systemati faveret, ad duodecimum sæculum transilit, et inde primum suum documentum expiscatur, quod nunc expendendum est.

II[a] ALLEGATIO. — Decretalis Alexandri III ad Florentinum Episcopum directa, tenoris sequentis : *Cum ab ecclesiarum prælatis ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet et firma consistere, et usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari. Quapropter mandamus, quatenus si quando plebanus sancti Pancratii in clericos vel laicos parochianos suos interdicti vel excommunationis sententiam rationabiliter tulerit, ipsam facias inviolabiliter observari, et eam sine congrua satisfactione et absque ejusdem plebani conscientia non relaxes.* Hanc decretalem reperies, tum in corpore juris (capite 3, tituli 31, libri 1 decretalium), tum inter acta concilii Lateranensis III anni 1179 (parte 31, capite 7). Ex qua decretali sic arguere solent parochistæ ; ibi expresse agitur de parocho, de *plebano* nempe sancti Pancratii, qui excommunicandi potestatem habebat ; et iste plebanus a Romano Pontifice tanquam *prælatus* agnoscitur ; et nedum in dubium vocetur ejus excommunicandi potestas, ac proinde ejus fori externi jurisdictio, decernit Alexander III excommunicationes ab eo parocho fulminatas debere ratas et firmas consistere, nec ab Episcopo esse solvendas. Ergo causam evidenter habemus. Hunc nempe textum Juveninus et cæteri parochistæ, quasi certum triumphum agentes, perpetuo recantant. Quam autem immerito, ne dicam ridicule, facilis negotii est demonstrare. — Respondetur scilicet *primo*, ratione quam communiter tradunt canonistæ, dum illius decretalis commentarium adoriuntur : plebanum nempe sancti Pancratii non habuisse potestatem excommunicandi ex eo quod esset plebanus sive parochus, sed vel ex privilegio, vel ex speciali consuetudine, vel ex aliquo alio particulari titulo ; ita ut, non ex jure communi quatenus parochus, sed ex jure extraordinario aliunde ipsi acquisito, potestatem hanc legitime exercuerit Ita inter alios, Gonzalez, Fagnanus, Suarez (*de Censuris*, disp. 2, sect. 2, n. 10), Vasquez (Opusc. *de Excomm.*, dub. 17, n. 1), Larius (in sua *Dissertatione* edita Pisæ anno 1733), Bene-

dictus XIV (*de Synodo diœcesana*, I. 5, c. 4, n. 2). Et hac responsione (quæ etiam applicari potest titulo prælati, per decretalem dicto plebano implicite attributo), in nihilum abit achilleum illud parochistarum argumentum. *Secundo*, aliam reperimus hypothesim apud eruditum Nardi (*dei Parochi*, tom. 1, pag. 410), a parochistis ante evertendam, quam quidquam possint ex præfata decretali concludere : eum nempe plebanum de quo in decretali agitur, fuisse verum prælatum et capituli collegialis caput ; plebanum autem simul, eo quod huic collegiatæ, ut frequens erat, annexa foret animarum cura. Eos porro qui hujusmodi canonicorum collegiis præerant, et veram prælaturam, et jurisdictionem consequenter fori externi, sæpe sæpius obtinuisse esse notissimum. *Tertio*, solitum etiam fuit quosdam plebanos seu parochos ab Episcopo constitui *vicarios foraneos* : vicarii autem foranei ordinariam fori externi jurisdictionem habent, et sunt aliquo sensu prælati. Si ergo plebanus sancti Pancratii de Lucar fuit unus ex illis vicariis foraneis (et certe possibile fuit eum ut talem ab Episcopo constitui), potuit excommunicare et pro prælato haberi, quin hujusmodi prærogativæ ullatenus ad parochos quatenus tales pertineant. En quot modis ruat præcipuum parochistarum argumentum. Ea tamen decretalis, non satis (ut par erat) perpensa et discussa, veteres quosdam canonistas induxit ad asserendam parochis excommunicandi potestatem, ac consequenter aliqualem prælaturam et fori externi jurisdictionem. Ad primam responsionem, quæ est multorum canonistarum, sic reponit Thomassinus (parte 1, lib. 2, cap. 26, n. 7) : « Quam facile « est divinare, tam pronum est quæ quis divinando dixerit « repellere. Multo expeditius est sinceriusque fateri, et ali- « quandiu eos (nempe parochos) contentiosam jurisdictionem « obtinuisse, et ab ea demum excidisse ; quo tamen factum « est ut in primævam suam conditionem revocarentur, dum « prima florerent Ecclesiæ sæcula. Illud enim invictissimis « præsidiis confirmavimus supra, administrationem pœni- « tentiæ publicæ et jurisdictionem exteriorem penes Episco- « pos fuisse. » Pace tanti viri dixerim, prædicta canonistarum responsio nec vi nec sinceritate caret ; atque eam certe

minus justo perpenderat Thomassinus quando tam prompte existimavit eam nullo negotio repelli posse. Tota nempe quæstio in hoc versatur, utrum plebanus sancti Pancratii potestatem excommunicandi habuerit *tanquam parochus*, an vero ex diverso alio titulo : nisi parochistæ probent eum egisse quatenus curatum tantum, nihil probant. Ut ergo evertatur eorum argumentatio ex decretali desumpta, sufficit probari *possibilitatem* diversi tituli, ex quo dictam potestatem exercuerit. Porro ista possibilitas non *divinatur*, sed solide adstruitur, dum respondetur possibile omnino fuisse ut ille plebanus *ex privilegio* hanc potestatem obtinuerit, sicut possibile est eum simul fuisse vicarium foraneum, aut capituli collegialis prælatum. Ista nempe possibilitas evidens est, nec quisquam eam negare tentavit ; et eadem possibilitas omnino sufficit ut parochistæ causa cadant, nisi probent dictum plebanum de facto fuisse simplicem parochum, et ex solo jure parochiali excommunicasse ; quod certe nec probare possunt. Ast alibi ostendemus quomodo in tota generatim materia parochos respiciente, Thomassinus Gersoni et Sorbonæ et parochis palpaverit, et multo nimium ad presbyterianismi partes inclinaverit. Hic tantum dicemus errasse eum omnino, dum adducta Alexandri III decretali ita subjunxit : « Ægre « ferebat, ut suspicor, hic Episcopus censuras a parochis in- « tentatas servari. At Pontifex non novum jus condit, sed « quod in usu erat confirmat, labantemque firmat paroche- « rum authoritatem. » Jus parochiale excommunicandi nec in usu erat, nec illud firmavit Alexander III, ut vult Thomassinus.

III[a] ALLEGATIO. — Decretalis Honorii III *His quæ* (caput 11, tituli 23, libri 1 decretalium). Eam citat Thomassinus in serie documentorum, quibus probare nititur, excommunicandi potestatem aliquando penes parochos stetisse. Ast ibi agitur de Prælato, etiam Episcopis superiore ; de Cardinali nempe tituli sancti Laurentii in Damaso : porro Cardinales in suis titulis ordinariam fori externi jurisdictionem ab antiquo habuisse, imo (ipsis defunctis) capitula eis in hac jurisdictione successisse, omnibus notum est. Quid vero id probat quoad parochos? Permissa etiam pro nunc opinione Tho-

massini, Romanos Cardinales veros fuisse suorum titulorum parochos, quomodo non vidit aliud esse quod possunt tanquam Prælati et Cardinales, et aliud quod eis liceret si forent simplices parochi ? Sint in exemplum diœceses Hispaniæ in quibus unicus erat totius diœcesis parochus, nempe Episcopus : quis non derideret hunc ratiocinandi modum : *Toletanus Archiepiscopus erat simul parochus; atqui præsul ille ordines sacros conferebat ; ergo parochi aliquando sacras ordinationes peragere potuerunt.* Porro non minus alogice procedit Thomassinus, dum excommunicandi potestate prædituni memorat Cardinalem sancti Laurentii, ut probet eamdem potestatem aliquando stetisse penes parochos. En dictæ decretalis textum : *His quæ pro Ecclesia sancti Laurentii in damaso ex parte una, et capellis sibi subjectis ex altera, super scrutinio aliisque articulisque fuere proposita diligenter auditis, sententiando decrevimus ut earumdem capellarum presbyteri et clerici, Cardinali qui nunc est in ipsa Ecclesia, et qui fuerit per tempora, manualem obdientiam et reverentiam et honorificentiam omnem exhibeant ; et ad Ecclesiam ipsam, pro scrutinio, baptismo et capitulo celebrandis, conveniant temporibus consuetis : correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter : et excommunicationis, interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos et ecclesias eorumdem, inviolabiliter. Quando autem Ecclesia ipsa Cardinali vacabit, capellani et clerici memorati eidem Ecclesiæ reverenter exhibeant omnia supra dicta; excepto quod de correctione, excommunicatione et suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostræ providentiæ reservamus.* Ego satis mirari non possum textum hujusmodi a parochistis et præsertim a Thomassino adduci in probationem.

IV^a^ ALLEGATIO. — Excerptum concilii Lemovicensis anno 1031. Sic nempe legere est in actis præfati concilii (apud Labbe, tom. 9, pag. 902, editio Parisiensis): *Presbyteri autem de ignotis causis ; Episcopi de notis excommunicare est, ne Episcopi vilescat potestas.* Hunc textum in gratiam parochistici systematis contorquet Thomassinus hoc modo : « Jam « olim autem Lemovicense concilium anni 1031 eidem suffra- « gabatur parochorum potestati (nempe excommunicandi) ;

« sed ita tamen ut eorum excommunicationes restringeret « ad occulta crimina, iis quæ publica sunt episcopali judicio « servatis. Id vero non aliud erat, quam ad forum interius « et ad pœnitentiæ tribunal parochorum jurisdictionem revo- « care: presbyteri de ignotis causis, Episcopi de notis ex- « communicare est. Idem habet Ratherius Veronensis Epis- « copus in epistola synodali. Et sane ordinario antiquoque « jure pœnitentias publicas soli dispensabant Episcopi » (par- « te 1, lib. 2, cap. 26, n. 6). Faveat lector attente perpendere Thomassini verba. Quid affirmat synodus Lemovicensis? *Jurisdictionem presbyterorum restringi ad forum conscientiæ;* id enim significari his verbis, *Presbyteri de ignotis causis,* ipse Thomassinus expresse fatetur. Si ergo dicta synodus docet presbyteros non habere nisi fori interni jurisdictionem, et potestatem excommunicandi ad Episcopos pertinere, quo mentis acumine perspexit Thomassinus synodum hac ipsa declaratione *suffragari parochorum potestati* excommunicationes fulminandi? Aliis verbis, si concilium declarat presbyteros non habere potestatem excommunicandi, quomodo patrocinatur opinioni quæ hanc potestatem eis tribuit? Ast videte Thomassini ingeniosam subtilitatem: non dicit synodum *declarasse* restrictam ad forum internum presbyteri jurisdictionem, sed *revocasse;* quo verbo, prudenter interjecto, insinuat antea fori etiam externi jurisdictionem penes parochos stetisse. At, quæso, quodnam in tota hac synodo verbulum reperitur, indicans tunc immutatam hoc modo fuisse disciplinam, et a presbyteris sublatam externi fori jurisdictionem? Non abstulit tunc synodus a presbyteris excommunicandi potestatem, sed simpliciter declaravit eam ad presbyteros non pertinere; nec contrarium insinuare debuit Thomassinus, nullis adjectis probationibus. Cur autem presbyteris ejusmodi potestatem Ecclesia nunquam commiserit, sed voluerit Prælatis propriam, aperit synodus his verbis a Thomassino præter missis, *ne Episcopi vilescat potestas.* Gravissima sane ratio; quia revera in nihilum abiret episcopalis regiminis auctoritas, si utramque jurisdictionem parochorum quisque in sua parochia, ut volunt presbyteriani, possideret. Præterea, non ex iis erat Thomassinus qui *presbyteri* et *parochi* voca-

bula pro synonymis in antiquitatis promptuario stolide accipiant. Quomodo ergo non advertit, in citato textu non agi de *presbyteris parochialibus*, qua voce tunc designabantur curati, sed indiscriminatim de *presbyteris*? Textus ergo ille aperte probat thesim oppositam, potestatem scilicet excommunicandi ad presbyteros non pertinuisse, sed Episcopis fuisse propriam.

V^a^ ALLEGATIO. — Ratherii Veronensis Episcopi synodica: *De occultis peccatis pœnitentiam vos dare posse scitote; de publicis ad nos referendum agnoscite.* (1) Inscribitur autem illa epistola: *Ratherii Veronensis Episcopi synodica, ad presbyteros et ordines cœteros forinsecus, id est, per universam diœcesim constitutos.* Ad citatum textum provocat Thomassinus (loco supra transcripto), ut videamus potestatem excommunicandi olim ad parochos pertinuisse. Ego vero provoco tanquam ad documentum contrariam doctrinam attestans. Judex sit lector: adeo enim apertus est textus, ut supervacaneum videatur illi excutiendo immorari.

VI^a^ ALLEGATIO. — Epistola Alexandri III, in qua refertur quomodo *presbyter de Burgo sancti Remigii* excommunicationem quamdam fulminaverit. De quo sic Thomassinus: « Ea enim (excommunicandi potestate) utebantur (parochi) « in Gallia, ut liquidum fit ex epistola Alexandri III, cui an- « sam præbuit excommunicatio inconsiderate et temere in- « torta a parocho suburbani Remensis in studentes, qui ip- « sum pia libertate objurgaverant, nefarie et non sine scan- « dalo lascivientem: *Absque conscientia Remensis Archiepis- « copi et officialium suorum, in ipsos non citatos nec con- « fessos, excommunicationis sententiam promulgavit, quam « idem Archiepiscopus fecit, prout debuit, relaxari.* » (Thomassinus, parte 1, lib. 2, cap. 26, n. 6.)

Ex illa epistola (quam per extensum vide apud Labbe, tomo 10, pag. 1283) minime *liquidum fit* parochos olim in Gallia potestatem excommunicandi habuisse; quod sic probatur: 1° liquidum non est illum presbyterum, a quo excommunicatio promulgata est in scholares Burgi Remensis, qui

(1) Apud Labbe, tomo 9, pagina ultima, editionis Parisiensis (1671.)

eum objurgaverant, fuisse parochum. Nullibi enim in hoc documento vocatur *presbyter parochialis*, sed dumtaxat *presbyter de Burgo sancti Remigii*. Imo in quæstionem vocabimus (donec probetur) an ullus tunc temporis in civitate Remensi et in ipsius Burgo exstiterit parochus, licet ea ætate, sæculo nempe duodecimo, cœperint in aliquibus civitatibus parochi constitui. Nec impossibile dicatur eum non fuisse parochum; quia bene possibile fuit eumf uisse, verbi gratia, capellanum alicujus oratorii in Burgo constituti, cujusmodi capellani ea ætate exstabant plurimi. 2° Supposito præterea eum revera fuisse parochum, probandum esset ex jure dumtaxat parochiali, et non ex jure sibi ex alio titulo pertinente, dictam excommunicationem fuisse ab ipso attentatam. Si enim fuerit simul vicarius foraneus, si alicujus collegiatæ prælatus, jurisdictionem fori externi habere potuit, licet ea quatenus parochus caruisset. 3° In Alexandri III epistola non dicitur præfatum presbyterum *excommunicasse*, sed excommunicationem *promulgasse*, quod valde diversum est. Ex jure enim tunc passim vigente, quidam erant determinati casus, in quibus incurri excommunicationem decreverant concilia provincialia; et presbyteris parochialibus commissio data fuerat excommunicationem publicandi in eos, qui prædictorum casuum rei evasissent. Quod aperte innuit sanctus Thomas (qui hujus temporis disciplinam, utpote fere synchronus, bene noscere debuit, cum docet, ad presbyteros parochiales non pertinere excommunicandi potestatem, nisi *ex commissione*, *vel in certis casibus*, *sicut in furto*, etc. (suppl. 3 partis, q. 22, art. 1). Jam vero si presbyter Burgi Remensis animadverterit in scholares, prætendendo eos in aliquem ex prædictis casibus incidisse, et ex prædicta commisione a lege facta excommunicationis sententiam promulgaverit, non dici potest proprie dictam excommunicandi facultatem sibi usurpasse; nec ex ipsius agendi ratione concludi potest eam prærogativam penes parochos stetisse. Atque hanc interpretationem non parum juvat caput 28 *Constitutionum* (ut vocantur) *apostolicarum*, ubi dicitur presbyterum non posse quemquam deponere, et dein subjungitur : *excommunicat autem eos quos habet infra se, si hujusmodi*

pœna teneantur... : *diaconus excommunicat hypodiaconum, lectorem et cantorem.* (Vide citatum apud Nardi, tom. 1, pag. 105.) Notentur hæc verba *si hujusmodi pœna teneantur :* id est, excommunicat, si sint jam excommunicati, seu excommunicationem exequitur. 4° Tandem absolute dici posset, eas voces *fecit relaxari*, idem sonare ac *nullam declaravit*, eo sensu nempe quod sibi insane usurpasset potestatem, quæ nullo modo ad eum pertineret; quod insinuant illæ voces *absque conscientia Archiepiscopi et officialium suorum ;* quasi diceretur *non accepta commissione et potestate :* si enim proprio jure potuisset excommunicare, non adeo videretur objurgandus, quod assensum Præsulis et officialium ejus in antecessum non obtinuisset. Quod autem addit Pontifex *non citatos non confessos*, ideo tantum appositum fuisset, ut magis ac magis irregularitas ipsius tentaminis pateret. Hæc perpendat lector, et ipsius judicio sit, an ex illa epistola *liquidum fiat*, ut asserit Thomassinus, excommunicandi potestate olim in Gallia donatos fuisse parochos.

VII[a] ALLEGATIO. — « Nec dubitasse videtur Nemausensis « synodus anni 1264, quin parochus et subsidiarii ejus pres- « byteri aditu ecclesiæ interdicere possint, nec petita Episcopi « licentia : *Quia diximus, quod sacerdotes et rectores ec-* « *clesiarum possunt proferre sententiam interdicti, atten-* « *dant, quod sive mandato nostro, sive authoritate propria* « *sententiam interdicti proferre voluerint, ipsam in scriptis* « *proferant in hunc modum : cum ego rector vel capellanus* « *talis ecclesiæ.*, etc. » Ita Thomassinus (parte 1, l. 2, c. 26, n. 6, tom. 1, pag. 307, editio Parisiensis 1688). Cur Nemausensis synodus non dubitavit quin parochi possent interdicti pœnam decernere absque speciali commissione ab Episcopo accepta ? Qui Thomassinum tantum legerit, respondebit : quia profecto putavit id ad jus parochiale pertinere. Toto cœlo errabit. Ideo nempe non dubitat illa synodus de potestate rectorum et capellanorum, interdicendi *asbque speciali commissione Episcopi*, quia in eo ipso decreto et lineis præcedentibus ipsis dabat *generalem* ad id commissionem. En verba decreti : *Quia periculosum est, maxime prælatis et Ecclesiarum rectoribus, in subditos majoris excommunicationis*

sententiam promulgare : prohibemus ne aliquis prior, seu rector, capellanus alicujus ecclesiæ Nemausensis diœcesis, aliquem majori excommunicatione præsumat generaliter vel specialiter excommunicare, etiamsi alicui per litteras nostras mandemus quod aliquem per censuram ecclesiasticam coerceat: quia tale mandatum (cum ipsum aliquando facimus), extendi volumus tantummodo ad sententiam interdicti : quam sententiam interdicti rectores et sacerdotes ecclesiarum parochialium curam animarum habentes proferre poterunt auctoritate sua, justa de causa, cum viderint expedire (apud Labbe, t. 11, pag. 1224). His ultimis verbis fit facultas generalis parochis interdicendi *auctoritate sua*, id est (ut patet ex contextu) absque speciali commissione Episcopi pro singulis casibus, et vi commissionis generalis quam Episcopus hoc ipso decreto eis confert. Et ideo postea idem Episcopus dicit : *Sive auctoritate propria, sive mandato nostro sententiam interdicti proferre voluerint.* Ergo agnovit quidem Nemausensis synodus posse parochos interdicti pœnam pronuntiare, sed ex commissione ipsis per decretum synodale collata; non vero ex ullo jure, parochiali officio inhærente, aut ex aliqua lege universali Ecclesiæ, quæ prærogativam illam parochorum muneri permanenter, et independenter a singulis Episcopis alligaverit. Ex eo quod hodie, verbi gratia, unus aut alter Episcopus similem interdicendi facultatem omnibus suis presbyteris et diaconibus tribueret, quis sanus concludat, ex jure divino vel ex jure ecclesiastico, presbyterali et diaconali caracteri facultatem hanc esse alligatam?

VIII[a] ALLEGATIO. — « Synodus Excestrensis anni 1287 con-
« cessit id juris, non parochis tantum, sed et eorum vicariis
« omnibus, ut non interdicere tantum, sed excommunica-
« tione innodare possent eos omnes, qui interciperent vel
« decimas, vel oblationes, vel ea demum omnia quorum pe-
« nes Ecclesiam erat legitima et notorie præscripta possessio :
« *Licebit ecclesiarum rectoribus, vicariis et parochiarum ca-*
« *pellanis, pro mortuariis, decimis.., trina tamen monitione*
« *præmissa, nominatim suspendere et excommunicare de-*
« *tentores.* » (Thomassinus, part. 1, l. 2, c. 26, n. 6 ad finem.) Ea verba synodi Exoniensis (Excestrensem eam vocat

Thomassinus), quæ reperiuntur capite 44 actorum ejusdem synodi (*Concilia Angliæ*, tom. 2, pag. 154, edit, Londini 1737), non tantum parochos respiciunt, fatente ipso Thomassino, sed cæteros etiam sacerdotes non parochos; ergo non magis probarent parochorum quam cæterorum clericorum excommunicandi potestatem. At præterea hic applicandum venit, quod supra adnotavimus, id moris fuisse ut concilia provincialia certos quosdam casus determinarent, pro quibus possent parochi aut alii sacerdotes excommunicationem promulgare. Unde jam quasi *a jure* lata erat censura, et prædictis fiebat tantum facultas legem in particulari applicandi. Id autem proprie dictam potestatem excommunicandi non arguere in parochis, censuram hoc modo promulgantibus et applicantibus, nemo non videt.

Præcipua recensuimus documenta quæ a parochistis in medium adduci solent, nec putet lector aliquod forsan adhuc superesse magni valoris et ponderis, quod nos fugerit: illud enim non ignorasset nec prætermisisset Thomassinus, qui, licet utriusque opinionis momenta videatur æqua lance ponderare diligenter tamen quidquid potuit in gratiam parochorum congessit, et aperte admisit eos, per aliquod saltem priscorum sæculorum tractum, vera excommunicandi potestate fuisse potitos. Nec cæteroquin aliud nobis occurrit notatu dignum a Juvenino, Van-Espenio et hujusmodi aliis auctoribus objectum. Unde sic concludere liceat : dum parochistæ fidenter asserunt, penes curatos olim fuisse excommunicandi potestatem, idque extra omne dubium fieri ex monumentis ecclesiasticis, pro falsa omnino habenda est eorum perpetuo recurrens affirmatio.

§ II.

Falsum est excommunicandi potestatem ad parochos pertinere.

Ea enim potestas parochis competeret, vel ex jure divino, vel ex jure ecclesiastico : atqui neutrum dici potest.

I. Non possunt parochi hanc prærogativam sibi ex jure di-

vino vindicare. Duplici enim duntaxat sensu contendi posset prædictam potestatem parochis e juris divini fonte derivasse : vel nempe quia eam Christus ipse parochiali muneri alligasset ; vel quia, licet nihil hac de re statuerit Christus Dominus, officium tamen parochi talis conditionis esset, quæ postularet ex jure naturali (quod et ipsum divinum est) sibi annecti excommunicandi potestatem. Porro utraque hypothesis prorsus est rejicienda. Et quidem a Christo ipso non potuit parochis conferri præfata facultas, si Christus ne ipsos etiam parochos instituit ; prius est enim a Christo institui parochos, quam eos institui cum talibus prærogativis, ut patet ; in superiori autem sectione probatum fuit parochorum institutionem minime ad Christum Dominum esse referendam ; immo nec ab Ecclesia institutos fuisse parochos prioribus sæculis, sed tantum sæculo quarto per pagos, et sæculo dumtaxat undecimo in civitatibus episcopalibus : ergo absurde diceretur a Christo immediate parochis collata excommunicandi potestas. Præterea non potest unquam accidere, ut Ecclesia jus divinum, a Christo immediate institutum, neget aut immutet ; alioquin enim actum esset de infallibilitatis prærogativa, quo divinitus posito fundamento tota Ecclesiæ solidatur auctoritas : Ecclesia vero hodierna, saltem praxi sua, nullam agnoscit parochorum excommunicandi potestatem : si ergo illa potestas fuisset a Christo instituente parochiali officio alligata, jus divinum hodie negaret Ecclesia et impugnaret ; infallibilis proinde jam non esset, quod dicere hæreticum est et impium. Quod autem hodie ecclesia non agnoscat prædictam parochorum potestatem, nec negant parochistæ ; et inde palam fit, quod si quis parochus suspensionis pœnam in clericum parochianum suum, aut excommunicationem in aliquem laicum vel clericum parochiæ suæ hodie pronuntiaret, non tantum pro nulla haberetur istiusmodi sententia sive apud Episcopum, sive apud Sedem Apostolicam, sed et nisi ex aliquo capitis morbo constaret id ab eo fuisse attentatum, pœnas certe ipse lueret. Ergo juris divini præfata parochorum potestas dici nequit, eo sensu, quod Chistus ipse parochiali officio eam alligaverit. Sed neque eo sensu, quod ex natura sua parochiale munus exigat, sibi ta-

lem annecti facultatem : possibile enim, et etiam utilissimum concipitur officium parochi, ad hoc tantum instituti, ut certo populo sacramenta ministret, eumque doctrina christiana informet ; et nullum necessario Ecclesiæ malum exoritur, ex eo quod parochus non simul polleat excommunicationis sententias pronuntiandi potestate. Non enim deest qui id peragat, Episcopus nempe, cui totius gubernandæ diœceseos cura commissa est ; ad quod explendum munus, si opus sit, a vicario generali aliisve delegatis judicibus adjuvatur. Imo cum, tota testante traditione, res gravissima sit excommunicationis spiritualem gladium exerere, nemo non videt multo prudentius episcopali judicio ejusmodi causas definiendas reservari. Unde spectato jure naturali, non tantum non exigit parochiale officium, ut sibi excommunicandi potestas annectatur, sed potius postulat fidelium utilitas, ut tali prærogativa careant parochi. Et præterea huc redit argumentum ex hodierna Ecclesiæ praxi : non enim magis potest ecclesia errare circa jus divinum naturale, quam circa jus divinum positivum ; porro Ecclesia hodie non agnoscit in parochis excommunicandi potestatem ; ergo ea potestas eis ex jure naturali non competit. Ergo nullo sensu ex jure divino possunt parochi excommunicandi facultatem sibi vindicare.

II. Nec possunt eam sibi tribuere ex lege ecclesiastica ; quod sic multiplici modo probari potest :

1° Ex eo quod non possint probare se ab Ecclesia ea prærogativa donatos fuisse. Nam ut quis possit legitime jus aliquod, tanquam ab ecclesiastica lege sibi concessum, vindicare, debet certa probari hujusmodi concessio. Si non constet de concessione, illegitime hoc jure utetur, seu, quod idem est, jus illud ad ipsum non pertinet. Jam vero parochistæ nullum canonem, nullam Pontificiam legem, nullum generale decretum allegare possunt, quibus certo constet excommunicandi potestatem curatis fuisse concessam. Summo quidem labore traditionis et antiquitatis monumenta excusserunt : ast incassum eos laborasse in superiori paragrapho demonstravimus. Inania sunt quœ in probationem expiscarunt ; et verum remanet ex nulla eorum allegatione concludi posse, præ manibus parochorum aliquando stetisse excom-

municationis spiritualem gladium. Atvero etiamsi concederemus aliquo tempore olim viguisse morem ut parochi ordinario jure excommunicare potuerint, nihil proficiunt : nam certum est hodie, et a sæculo decimo tertio, ut fatetur Juveninus, potestatem illam parochorum ab ecclesia non agnosci ; si ergo ecclesia olim id juris parochis concessit, procul dubio retraxit. Fateri ergo debetis parochos hodie ea prærogativa carere ; nisi ad id dementiæ deveneritis, ut contendatis non posse Ecclesiam quod concessit retrahere. Verum enimvero neque hoc concedimus, viguisse unquam Ecclesiæ disciplinam, quæ parochos dicta potestate exornaverit. Nam non probatur (ut in superiori paragrapho ostendimus), sed positivis documentis singula percurrendo sæcula contrarium illustrari posset. (Videatur apud Nardi, tom. 1, a pagina 405, dictum Augustini, excommunicationem esse *quam facit episcopale judicium ;* et sancti Nicolai I, *ne temere excommunicationes fiant, ne auctoritas episcopalis vilescat ;* et alia hujusmodi.) Omissis autem brevitatis causa hisce documentis, id tantum urgebimus : si decimo tertio sæculo, ut dicitis, a potestate excommunicandi dejecti sint parochi, cur nulla reperiuntur hujus tantæ circa disciplinam immutationis monumenta, nulla ad eas compescendas Sedis Apostolicæ aut conciliorum judicia suppeditare valetis? Illam parochorum exauctorationem procul dubio somniastis : potestate excommunicandi non exciderunt parochi decimo tertio sæculo, siquidem illam nunquam habuerunt.

2° Eam potestatem parochis non competere probatur insuper ex communi doctorum sententia. « Excommunicatio, « ait sanctus Thomas, ad forum exterius pertinet. Et ideo « illi soli possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem « in foro judiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auc- « toritate, et majores Prælati secundum communiorem opi- « nionem possunt excommunicare ; sed presbyteri parochia- « les nonnisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, « sicut in furto et rapina et hujusmodi, in quibus est eis a « jure concessum quod excommunicare possint. Ad secundum « dicendum, quod sacerdotes parochiales habent quidem ju- « risdictionem in subditos suos quantum ad forum conscien-

« tiæ, sed non quantum ad forum judiciale : quia non possunt « conveniri coram eis in causis contentiosis. Et ideo excommu- « nicare non possunt, sed absolvere in foro pœnitentiali. Et « quamvis forum pœnitentiale sit dignius, tamen in foro judi- « ciali major solemnitas requiritur ; quia in eo oportet « quod non solum Deo, sed etiam homini satisfiat. » (Sup- « plementum ad 3 partem, quæst. 22, art. 1.) Approbatio « (nempe ad audiendas confessiones) est quid jurisdictionis, « quam non habent simplices parochi. » (Barbosa, *de Parochis*, parte 2, cap. 19, n. 27.) Benedictus XIV, nullam in foro externo parochis jurisdictionem competere, vocat sententiam communiorem *atque in praxi receptam* (*de Synodo diœces.*, lib. 5, cap. 4.) De doctoribus qui sustinent parochos non posse excommunicare sic habet Gonzalez (in caput *Cum ab ecclesiarum*, tituli 31, libri primi decretalium) : « Unico sed validissimo nituntur fundamento ; videli- « cet, censuras proferri non posse nisi ab eo qui jurisdictio- « nem habet in foro exteriori, et potest cum strepitu judiciali « de causis cognoscere ; sed parochi nullam habent jurisdic- « tionem in foro exteriori contentioso, sed solum in interno ; « igitur parochus ut judex ordinarius non potest jure pro- « prio sententiam proferre. » Eodem modo jurisdictionem fori externi parochis denegant Suarez *de Censuris* disput. 2, sect. 2, n. 10), Vasquez (in Opusculo *de Excomm.*, dubio 17, n. 1), Sanchez (lib. 3, diss. 7, n. 47), Castropalao (parte 13, § 4, n. 3), Pontas (lib. 5, cap 1, n. 2), Larius (qui confutavit opinionem oppositam, quam sustinuerat quidam Mengonius in opere suo *de Eminentiori dignitate parochorum supra canonicos*, Florentiæ 1732). Quam communem doctrinam sequens sanctus Ligorius sic affirmat : *parochus nullam habet jurisdictionem in foro externo* (libr. 7. n. 107). Exstant in eumdem sensum Rotæ Romanæ decisiones quamplurimæ.

Nec objiciatur sanctus Thomas (loco citato) adnotans a doctoribus quibusdam dici, *quod etiam sacerdotes possunt excommunicare, et addens tantum, sed prædicta opinio* (nempe quod non possint) *est rationibilior*. Id enim non impedit quin ipse diserte affirmaverit et docuerit, eam potestatem paro-

chis non competere, et satis indicat suam sententiam multo communius suo tempore fuisse receptam.

Item non objiciendi pauci veteres canonistæ, qui textu decretalis *Cum ab ecclesiarum* (supra discussæ) decepti, parochis pariter prædictam potestatem asseruerunt. Quia pauci quidam veteres doctores non impediunt, quin aliquid postea in sententiam communem transeat.

Nec objiciatur Gerson et ipsum secuta sorbonica et jansenistica longa progenies, in quæstione circa parochos. Auctores enim qui in apertos errores inciderunt, tanquam auctoritatem appellare fas non est, pro ipsa eadem materia, in qua constat eos errasse. Remanet communem probatorum doctorum sententiam parochis excommunicandi potestatem abnuere.

3° Argumentum peremptorium ex hodierna Ecclesiæ praxi. Non possunt parochi excommunicandi potestatem sibi ex jure ecclesiastico vindicare, si Ecclesia eam parochorum potestatem in praxi non agnoscat: atqui neque Episcopi, neque Romanæ Cardinalium congregationes, neque Sedes Apostolica ullam hujusmodi parochialem potestatem agnoscit, ut jam a nullo negari potest ; ergo revera certum est, dictam prærogativam inter jura parochorum non esse annumerandam. Ergo parochi id juris non habent hodie ex lege ecclesiastica : aliunde nec ex ullo jure diviuo : erge nullo titulo eam potestatem habent aut habuerunt unquam.

CAPUT V.

PAROCHUS NULLAM HABET FORI EXTERNI JURISDICTIONEM.

Prænotanda. — 1. Jurisdictionis fori externi vocabulo intelligi solet potestas legitima subditos præceptis et legibus gubernandi, eosque puniendi, atque tribunal ad causas processu publico excutiendas et definiendas erigendi. Opponitur jurisdictioni fori interni seu pœnitentialis ; in quo quidem sacramentum pœnitentiæ per formam judicii ministratur, ita tamen ut sententia feratur in eos qui seipsos reos per spon-

taneam confessionem, et sub sacramentalis secreti sigillo constituunt. Quando autem ponitur absolute vox jurisdictio, intelligitur externi fori.

2. Multum adlaborarunt jansenistæ, ut curatis aliquam vindicarent fori externi jurisdictionem, atque ita parochos in hierarchas, ut eos vocavit Gerson, erigerent, eisque tertium gradum in ecclesiastica hierarchia assignare possent. Hinc eos esse proprie dictos pastores, et in conciliis fidei et disciplinæ constituendæ judices, penes ipsos olim excommunicandi potestatem stetisse, nec posse absque eorumdem consensu quidquam in parochiis Episcopum ordinare aut peragere, vehementer propugnarunt.

3. Quomodo aliqui veteres doctores parochis excommunicandi facultatem, ac proinde aliqualem fori externi jurisdictionem attribuerint, superiori capite dictum, est. His prænotatis, ad thesis probationem accedimus.

I. Parochi fori externi jurisdictionem non obtinent ex jure naturali. Eo sensu excogitari posset de jure naturali curatis competere fori externi jurisdictionem, quod officium eorum ex natura sua postularet sibi annecti ejusmodi potestatem, ita scilicet ut nocivum sit et malum constitui parochos ea potestate destitutos. Atqui officium parochi, sicut absque excommunicandi potestate, ut supra ostendimus, ita et absque omni jurisdictione externi fori bonum et utilissimum concipitur. Imo multo utilius parochos deputari tantum ad sacramenta ministranda et tradendum populo commisso christianæ doctrinæ pabulum facile perspicitur ; causas vero externi fori melius episcopali curiæ reservari. Præterea, ut infra dicetur, Ecclesia parochos externa jurisdictione pollere, hodierna sua praxi non agnoscit. Agnosceret autem, si ea jure naturali ipsis competeret. Ergo absone omnino ad jus naturale in hac quæstione provocaretur. Fori tantum pœnitentialis jurisdictio aliquo sensu dici posset de jure naturali officio parochorum adnexa : cum nempe ad hunc præcise finem in aliqua plebe constituatur parochus, ut tum alia sacramenta, tum præsertim pœnitentiæ sacramentum ministret, repugnat sacerdotem ad id officii deputari, quin simul absolvendi fideles in foro conscientiæ ei facultas tribuatur. Repugnat nempe aliquem de-

putari tanquam parochum et hac potestate non donari atque ideo, etiamsi lex ipsa ecclesiastica jurisdictionem fori pœnitentialis officio parochorum non alligasset, alligata nihilominus esset ex sola deputatione ab Episcopo facta ; cum repugnet Episcopum velle simul et nolle aliquem sacerdotem sacramenta certo fidelium cœtui ministrare: Unde eo sensu jurisdictio fori pœnitentialis de jure naturali dici potest, quod essentialiter contineatur in deputatione alicujus sacerdotis tanquam parochi ; seu eo sensu quod sit *per se* de essentia officii parochialis. Dicimus *per se*, quia absolute deputari potest tanquam parochus aliquis clericus nondum sacerdos, qui tunc per accidens et donec presbyteratui initietur absolvere quidem ipse pœnitentes non poterit, sed per alios id fieri procurare tenebitur.

II. Parochi fori externi jurisdictionem non habent ex jure divino positivo. Huc redeunt probationes superiori capite adductæ ad probandum, eos excommunicandi potestatem ex Christi Domini institutione non accepisse: nam neque ullam fori externi potestatem ex Christi institutione potuerunt accipere, si Christus parochos non instituit, et eorum institutio sit mere ecclesiastica. Si enim Christus parochos non instituit, dicendum est, nec a Christo institutas fuisse parochorum prærogativas. Porro, sectione prima, demonstravimus figmentum esse excogitatam illam a Sorbona et Gersone divinam parochorum institutionem. Præterea si divinæ institutionis foret parochorum in foro externo jurisdictio, eam Ecclesia agnosceret ; atqui hodierna sua praxi eam Ecclesia non admittit. Adde illam a communi doctorum sententia rejici.

III. Parochi jurisdictionem fori externi olim non exercuerunt. Contrarium quidem totis viribus obtrudere conati sunt parochistæ et jansenistæ ; ast eorum argumenta excutiamus. Præcipuum et perpetuo recantatum est, parochos olim excommunicationes fulminasse : hoc autem assertum in superiori paragrapho explosimus. Allegant etiam *pastoris* titulum, quem volunt a remotissima antiquitate parochis fuisse concessum ; pastorem porro proprie eum tantum dici posse, qui gregem cum potestate regit, oves etiam invitas quo vult de-

ducendo, easque externe si opus sit coercendo, quæ procul dubio jurisdictionem externam indicant. Respondetur primo: in remotissima antiquitate nulli exstiterunt parochi, ut supra probatum est; ergo non potuerunt pastorum nomine vocitari. Secundo, ut inferius ostendemus, ea vox per plura sæcula designandis Episcopis fuit exclusive propria: atque toto cœlo errant parochistæ, qui statim in parochum occurrisse existimant, quando apud antiqua monumenta vocem pastoris reperiunt. Tertio, recentiori quidem ævo ea vox ad prædicatores aliosque Episcopum in cura animarum juvantes extensa est; at tunc non posse interpretari in lato quodam et improprio sensu, non probant nec probare possunt parochistæ. Si enim in rigoroso sensu accipienda sit, quum hoc nomine designati fuerint per plura sæcula Episcopi, et quidem exclusive, dicendum erit parochos esse veros Episcopos, eo quod et ipsi hoc nomine aliquando vocari cœperint. Item ex eo quod olim Episcopus *Papæ* vocabulo appellatus fuerit, dicendum erit in unoquoque Episcopo agnoscendum esse summum totius Ecclesiæ Pontificem, aut hodie in Romano Pontifice esse agnoscendam eam solam potestatem, quæ cuilibet in sua diœcesi Episcopo competit. Quis nesciat eamdem vocem posse in proprio et rigoroso, vel in quodam lato et improprio sensu usurpari, et hoc esse ex adjunctis discernendum? Fatemur Pastoris titutum, stricto sensu usurpatum, potestatem externi regiminis, seu externæ simul et internæ jurisdictionis sonare; at quando ad alios præter Episcopos extenditur, negamus eam vocem esse stricto sensu accipiendam. Jurisdictionem fori externi repetunt etiam parochistæ, ex eo quod penes antiquum Episcopi presbyterium jurisdictio hæc ordinarie steterit, et presbyterium nihil aliud fuerit quam parochorum cœtus, diœcesim cum Episcopo et sub Episcopo gubernans. Quæ prætensa identitas parochorum cum antiquo presbyterio jamdudum ab eruditis explosa, non aliud hodie probat quam crassam antiquitatis ignorantiam; atque eam supra (sectione 1. cap. 7) confutavimus. Solent tandem parochistæ fingere, idem sonare in antiquis monumentis *presbyterum* ac *parochum*: quo in antecessum veluti extra controversiam

asserto, quosdam in medium adducunt textus, in quibus mentio fit de *presbyteris* fori externi jurisdictionem exercentibus. Quæ argumentorum fabrica, ob mendax fundamentum suum inaniter exstruitur. Falsum nempe pro parochis habendos esse eos omnes quos presbyteros appellavit antiquitas: plurimi exstabant in episcopali presbyterio, per civitates plurimi, qui nullo modo parochi erant. Ex iis vero non negamus aliquos jurisdictionem fori externi exercuisse; atvero non quia parochi, non quia tantum presbyteri, sed quia vel vicarii erant foranei, vel chorepiscopi, vel archipresbyteri, vel aliqua prælatura fungebantur, vel tandem quia membra episcopalis presbyterii, quod cum Episcopo et sub Episcopo, ordinario jure, judicialis fori causas expediebat: Unde nulla solida ratione unquam probatum fuit externi fori jurisdictionem parochorum officio fuisse olim, etiam mera Ecclesiæ institutione et concessione, alligatam.

IV. Parochi non possunt fori externi jurisdictionem sibi vindicare ex lege ecclesiastica. Nam primo, ex modo dictis, non possunt probare sibi unquam ab Ecclesia concessam fuisse eam potestatem. Secundo de jure communi ecclesiastico illam ipsis non competere, fuit semper apud doctores sententia communior, nunc vero communissima et sola in praxi recepta, ut vidimus superiori capite, agendo de potestate excommunicandi. Tertio, negari non potest, eam esse praxim Romanæ curiæ et omnium generatim Episcoporum, ut nullam agnoscant in parochis externi fori jurisdictionem. Unde etiamsi olim lata fuisset generalis aliqua lex ecclesiastica, aut introducta generalis consuetudo præfatam potestatem parochorum officio annectens, ea jam pro abrogata foret certo habenda. Quod cæteroquin non negant etiam ardentiores ex presbyterianis; sed deficiente jure ecclesiastico, ad jus divinum et immediatam a Christo parochorum in prælatos et hierarchas institutionem recurrunt.

V. Argumentum desumptum ex praxi Ecclesiæ, nullam hodie agnoscentis in parochis fori externi jurisdictionem, totum evertit parochistarum systema. Nam primo probat jurisdictionem fori externi nunquam penes parochos fuisse ex institutionem divina: quod enim juris divini est, Ecclesia nunquam

negat, et nunquam mutat: alioquin ipsa tanquam vera Christi Ecclesia deficeret et neganda esset. Quem Ecclesiæ defectum admittere hæreticum esset et impium. Secundo, idem hodiernum factum probat prædictam prærogativam parochis de jure ecclesiastico non competere: cum enim eam prærogativam nolit jam Ecclesia agnoscere, hoc ipso eam sublatam vult: unde si quando forte illam ex concessione Ecclesiæ habuerint parochi, jam sublata censeri debet. Tertio, Ecclesia non evertit aliquam magni momenti disciplinam ab ipsa prius constitutam, quin plurima remaneant mutationis documenta: si ergo parochi prius habuissent ex lege ecclesiastica fori externi jurisdictionem, multa remanerent indicia de modo et tempore quo disciplina tanti momenti fuisset immutata: porro ne vestigium quidem documentorum hujusmodi indicare possunt parochistæ; ergo ex eo quod Ecclesia, hodierna sua praxi, nullam agnoscat fori externi in parochis jurisdictionem, recte concluditur, eam jurisdictionem nullo tempore penes parochos fuisse.

Sit ergo conclusio generalis, ad parochos nec pertinere, nec unquam pertinuisse ullam fori externi jurisdictionem.

CAPUT VI.

PAROCHUS NON EST STRICTO SENSU PASTOR, ETIAM SECUNDI ORDINIS: NEC DECET HODIE EUM VOCARI PASTOREM, ETIAM LATO ET IMPROPRIO SENSU.

Propositio 1ª. — *Vox pastor in sacris scripturis significat potestatem gubernandi cum jurisdictione proprie dicta et legislativa.*—Voci latinæ *pascere* correspondet in textu græco sacrarum paginarum vocabulum ποιμαίνειν, et in hebraico RAHAH. Atqui hujusmodi locutionibus exprimi in sacris scripturis, non tantum officium nutriendi gregem, sed et potestatem regendi seu gubernandi cum imperio et jurisdictione externa atque legislativa, tanquam certum tradunt doctores et interpretes catholici. De quo sic Cornelius a Lapide (in versiculum 15, capitis 21 sancti Joannis): « *Pascere* in scripturis significat « regere: et principes vocantur *pastores*, quia si recte subdi-

« tos suos regere velint, debent facere id quod faciunt pas-
« tores, dum suas oves pascunt. Unde psalmo 22, versiculo
« 1, ubi noster (1) vertit, *Dominus regit me*, hebraice est,
« JEHOVAH ROHI, id est, Dominus est pastor meus, sive pascit
« me. Sic David ex pastore ovium factus est a Deo rex ho-
« minum, *pascere* (id est regere) *Jacob populum suum, et*
« *Israel hæreditatem suam* (psal. 77. 71). Sic Cyrus vocatur
« pastor, id est, princeps et rex a Deo constitutus, Isaiæ 44.
« 28 : *Qui dico Cyro, pastor meus es*, Et psalmo 2. 9 : *Reges*
« *eos in virga ferrea*, hebraice THEROHEM id est, *pasces eos.*
« Et passim alibi hebraicum RAHAH, græcum ποιμαίνω, et la-
« tinum *pasco*, significat regere, ut videre est Michææ, 5. 2;
« Matthæi, 2. 6; actorum, 20. 28; Apocalypsis, 2. 7, 12. 5,
« et 19. 15. Sic Homerus Agamemnonem regem Græcorum
« vocat ποίμενα λαῶν, id est, pastorem populorum. »

« Ex hoc ergo loco (nempe ex verbis a Christo ad Petrum
« directis, *pasce agnos*, *pasce oves*) patet sanctum Petrum et
« ejus successorem Romanum Pontificem esse caput et prin-
« cipem Ecclesiæ, omnesque fideles, etiam Episcopos, pa-
« triarchas et Apostolos illi subjici, et ab eo pasci regique
« debere. Id primo colligitur ex eo quod Christus hic solum
« Petrum interrogat..... Secundo id patet ex verbo *pasce*, id
« est, *rege*, ut dixi; ac ex voce agnos et oves : hac enim voce
« Christus significat omnes fideles Ecclesiæ... Qui ergo sunt
« oves Christi, hi sunt et oves Petri. Illi enim eos pascendos et
« regendos committit hic Christus... Vide et Bellarminum (lib.
« 1 *de Pontifice* cap. 14, 15 et 16) ubi docet Christum hoc præ-
« cepto quod dedit Petro dicens, *pasce oves meas*, hoc ipso si-
« mul instituisse pontificatum quasi principatum ecclesiasti-
« cum, illumque tradidisse sancto Petro ejusque succesoribus
« Romanis Pontificibus; ac cap. 15, per verbum *pasce* signi-
« ficari regimen et potestatem regendi; per *oves* significari
« omnes fideles, etiam Apostolos totamque Ecclesiam... Ex
« hoc loco theologi et Suarez (tract. *de Indulgentiis*) docent
« Petro et Pontificibus ei succedentibus a Christo datam
« esse potestatem dandi indulgentias. Idque probant : nam

(1) id est vulgata interpretatio.

« sub illo verbo *pasce* includitur omnis actus jurisdictionis « qui ad claudendum vel aperiendum regnum cœlorum « conferre potest... » (Cornelius a Lapide, loco citato.)

« Per τὸ *pascere*, Christus intellexit præesse et regere..., « Pastoris est non solum ovibus pabula præbere, sed etiam « eas ducere et reducere, eas tueri, et baculo castigare. Brevi, « qui pastorem agit, ovibus præest, easque regit. Unde « evangelista usus est hac voce, quæ græca lingua significat « pascere præsidendo. » (Simonet, *Instit. theologicæ*, tom. 2. tract. 2, disput. 8, art. 1.)

Ex citatis auctoribus satis patet vocem illam *pascere* in sacris paginis, imo et in tota prophana antiquitate, idem semper significasse ac *regere*, id est, cum imperio, jurisdictione, et legislativa potestate gubernare ; neque apud eruditos ullam moveri hac de re disceptationem.

Communem autem illam doctorum sententiam probavit et confirmavit Tridentina synodus, dum sensum declaravit versiculi 28 capitis 20 actuum Apostolorum, qui sic habet : *Attendite ergo vobis ipsis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos pascere* (ποιμαίνειν) *Ecclesiam Dei.* Decernendo enim Episcopos a Spiritu Sancto positos fuisse ad gubernandam Ecclesiam Dei, præfati versiculi auctoritatem memorat synodus hoc modo : *Sacrosancta synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere; et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei* (sess. 23, cap. 4). Ubi videtur Tridentinis Patribus minime dubium fuisse vocem ποιμαίνειν, qua usus est sanctus Paulus, idem prorsus significare ac *regere,* et hanc regendi potestatem esse Episcopis propriam, atque ipsis *a Spiritu Sancto*, id est, institutione divina traditam (1).

Et tandem prædicto sensu a tota traditione intellectos fuisse sacræ scripturæ textus in quibus occurrit vox *pastor*, erudite probat Nardi (*dei Parochi*, tom. 1. cap. 1).

(1) Quomodo tamen jurisdictio cujuslibet Episcopi in propriam diœcesim non sit *immediate* a Deo, sed a Summo Pontifice, expendetur in tractatu *de Episcopo*.

Ergo revera in sacris paginis pastoris denominatio in sua significatione includit veram et proprie dictam jurisdictionem in foro externo, veram scilicet gubernandi et regendi potestatem.

Propositio II.ª — *Tota antiquitas et traditio pastoris denominatione Episcopos designavit.* — Sanctus Ignatius martyr in epistola sua ad Philadelphenses : *Ubi autem pastor* (ποίμην), *eodem ut oves sequamini.* Ex contextu autem patet eum ibi loqui de Episcopo. Item in sua ad Romanos epistola : *Memores estote in vestris precibus Ecclesiæ Syriæ, quæ mei loco Deo pastore* (ποιμένι) *utitur. Solus Jesus-Christus illam vice Episcopi reget, atque vestra caritas.* Addit *atque vestra cavitas*, quia Ecclesia Romana, utpote omnium mater, supremam in omnes jurisdictionem habet.

Epistolæ quæ sancti Clementis nuncupantur, licet ipsi falso fuerint attributæ, fatentibus tamen eruditis omnibus remotissimæ antiquitatis sunt : porro in tertia hujusmodi epistola, postquam de Episcopis sub *patrum et pastorum* nomine sermo inductus est, iterum de iisdem mentio fit his verbis : *Doctoribus suis, qui Episcopi recte intelliguntur.* Item in recognitionibus, quæ sancti Clementis dicuntur, narratur sanctum Petrum antequam a Cæsarea discederet fidelium cœtum ita fuisse allocutum : *Cogitavi Zachæum vobis ordinare pastorem.* Et in sequenti paragrapho adnotatur Zachæum in Episcopum ordinatum fuisse cum impositione manuum, et postea ab eodem sancto Petro ordinatos fuisse duodecim presbyteros et quatuor diaconos. Item in tertia ex homiliis eidem sancto Clementi tributis memoratur oratio habita in ordinatione prædicti Zachæi : in ea autem precatione dicitur : *Tu* (Deus) *pastorem cum grege custodi.*

Eruditis exploratum est constitutiones quæ dicuntur Apostolorum non esse anno 315 posteriores. In eis porro ita reperimus : *De Episcopis vero ex Domino nostro audivimus, pastorem constitutum Episcopum in ecclesiis totius paræciæ,.* (Vide textum græcum apud Mansi, *Concil.*, tom. 1, pag. 285, edit. Florentiæ 1759.) In iisdem constitutionibus libro 2, 6 : *Non sit Episcopus turpiter quæstuosus ..cum enim extra omnem reprehensionem pastor erit, exemplo vitæ suos dis*

cipulos ad facta sua et actiones imitandas impellet. Et ibidem capite 10: *Sin vero is qui peccavit, Episcopum et diaconos ejus videat crimine liberos..., primum quidem non audebit ingredi per contemptum in Ecclesiam..; aut a pastore monitus ad pœnitentiam adducetur,* Ibidem caput 19 sic inscribitur: *Quod pastor qui se negligenter gerit, cum ovibus pœnas solvit; et ovis quæ non paret pastori, punitur.* Dein vero ita orditur citatum caput: *Audite Episcopi, et Audite laici quod Dominus ait...*; et in decursu agitur tantum de Episcopis et ipsorum ovibus. Et in capite 20 ejusdem libri: *At vero bonum pastorem laicus honoret, diligat, metuat, ut patrem, ut dominum, ut herum, ut Dei Pontificem, ut magistrum pietatis... similiter Episcopus tanquam filios diligat laicos.* Ibidem capite 28: *Seponant vero in convivio pastori quod consuetum est, primitias dico illius epuli, tanquam Sacerdoti, quamvis non adsit in convivio; idque in honorem Dei, qui ei sacerdotium mandavit... Presbyteris autem... seponatur dupla etiam portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tanquam consiliarii Episcopi et ecclesiæ corona: sunt enim consilium et senatus ecclesiæ.* Indubium est ibi per pastorem et sacerdotem intelligi Episcopum, et per presbyteros eos quibus constabat presbyterium seu capitulum cathedrale.

In quadam epistola synodica Patriarcharum Occidentalium, quæ circa sæculi secundi exitum composita fertur, sed quam critici versus annum circiter 560 confictam existimant, sic habetur: *Fratribus et membris nostris christianis, qui in Oriente sunt, fratres vestri in Christo, cœtus Pastorum, qui persecutionem patiuntur: in Jesu Salvatore nostro pax iis multiplicetur... Nos itaque Pastores.* . (Apud Mansi, tom. 1, pag. 705, edit. Florentiæ 1759.) Mortuo sancto Fabiano Papa, Ecclesiæ Romanæ presbyteri et diaconi ad sanctum Cyprianum rescribunt: *Cum incumbat nobis... vice pastoris custodire gregem.* (Apud Mansi, t. 1, pag. 794, editio Florentiæ 1759.) Solet Prudentius, quarti sæculi auctor, sub nomibus *Sacerdotis*, *Doctoris* et *Pastoris* Episcopum designare. Idem Eusebio stylus: *Unam quidem scripsit epistolam* (nempe Ignatius martyr) *ad Ecclesiam Ephesiorum, in*

qua Onesimi ipsorum pastoris mentionem facit. (Libro 3, cap. 36.)— Vide etiam libro 4, cap. 24, et libro 6, cap. 35.) Sanctus Cyprianus Ecclesiam definit: *Plebs Sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens* (epist. 69). Et in sua ad Lucium Papam ab exilio reversum sic habet : *Nuper quidem tibi, frater carissime, gratulati sumus, cum te honore geminato in ecclesiæ suæ administratione confessorem pariter et sacerdotem constituit divina dignatio: sed et nunc non minus tibi et comitibus tuis gratulamur, quod... vos denuo ad suos fecerit benigna Domini et larga protectio, ut pascendo gregi Pastor, et gubernandæ navi gubernator, et plebi regendæ rector redderetur.* (Apud Mansi, tom. 1, pag. 881, edit. Florentiæ 1759.) Multos hujusmodi textus ex sancto Basilio, ex sancto Hilario ex sancto Augustino indicatos vide apud Nardi (*dei Parochi*, tom. 1,pag. 30et seq.). Sanctus Chrysostomus (homilia 34, in epist. ad Hebr) . *Si a grege Pastorem sejungas, evertes et perdes omnia.* Ex contextu autem certum est ibi sanctum doctorem loqui de Episcopo. Sanctus Ephrem Syrus: *Interrogabuntur Pastores, Episcopi scilicet* (pag. 380, edit. Romana). In concilio primo generali Nicæno, canone 57 versionis arabicæ, de Episcopo dicitur : *Ut qui sit Pastor et gubernator.* In concilio Sardicensi anni 340, aut ad summum anni 347, canone 6, mentio fit de quodam populo qui Episcopum sibi præfici postulat ; quod exprimitur his verbis *sibi Pastorem dari.* (Apud Nardi, tom. 1, pag. 31.) Sanctus Gregorius Nazianzenus 150 Episcopos in concilio œcumenico Constantinopolitano anni 381 adunatos sic alloquitur : *O chari Pastores et collegæ* (apud Nardi, loco citato). Sanctus Cœlestinus Papa in epistola, relata sub cap. 19 concilii œcumenici Ephesini anni 451, Episcopos Nestorii prædecessores memorat sub nomine *superiorum Pastorum,* (Nardi, loco citato, pag. 32.) Theodoretus loquens de sancto Cyrillo Episcopo : *Dolui autem quod ri. pascendi sortitus officium, et cui grex tantus est creditus.* Sanctus Leo Magnus loquens de sede vacante Ecclesiæ Constantinopolitanæ, utitur his verbis : *Ecclesia orbàta Pastore* (apud Nardi, loco citato). In concilio Ephesino anni 431, actione 8: *Ecclesia Pastorem recipiat : orthodoxum doctorem*

ecclesia recipiat: Theodoretus dignus est sede. Sanctus Hilarus Papa, in epistola octava ad Galliæ Episcopos, dicit eos habere *sollicitudinem pastoralis curæ in suis sedibus partitam Nobiscum* (apud Nardi, loco cit.). Cum in quadam diœcesi duo Episcopi fuissent occisi, constitutum est in decreto seu canone, sancto Gelasio attributo, *ut paræciæ vices ab extrinsecus positis Sacerdotibus gubernentur, quia ibidem commanentes ferro didicerunt necare Pastores...: curandum est igitur ut illic funesta pernicies cessatione propriorum sanetur Antistitum... Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde depensis, quæ sacram in suo gremio collatam fuso crudeliter macularet sanguine dignitatem.* Titulus autem hujus canonis sic habet: *De his qui duos Episcopos suos occiderunt, ut amplius Episcopo careant.* (Mansi, tom. 8, pag. 125, editio Florentiæ.) Symmachus Papa in concilio Romano anni 504, Episcopos ibi congregatos alloquens sic habet: *Ut de Pastoris nomine quod habemus, non supplicium sed præmium consequamur.* Versus mediam sexti sæculi partem, in epistola Leonis Senonensis Episcopi, relata apud Mansi (tom. 9, pag. 107, editio Florentiæ): *Plebs non permittatur a Pastoris proprii custodia per novam et illicitam ordinationem divelli,.. Non patiamini.., ad petitionem ejus plebis, superstite proprio Sacerdote, alterum Episcopum ordinari.* (Apud Mansi, tom. 9, pag. 107, editio Florentiæ.)

« Vertente medio sæculo sexto, in vita cujusdam sancti « Episcopi, ad exprimendum Andegavensis præsulis obitum, « dicitur : *Contigit Andegavum civitatem Pastoris gubernatione nudari.* » (Nardi *dei Parochi*, tom. 1, pag. 34.)

« Pelagius II Papa, anno 578, Episcopos vocat *Pastores* « et *Prædicatores*...Concilium Rotomagense circa idem tem- « pus celebratum, jubet archidiaconum et archipresbyterum, « uno aut altero die præire Episcopo diœcesim visitanti, ut « populo *proprii Pastoris adventum* significent; et ut omnes, « exceptis infirmis, *proprio Pastori* sistant. » (Nardi, tom. 1, pag. 43). In capitularibus regum, a Childeberto usque ad Clotarium, solent Episcopi sub *Pastorum* denominatione designari, In capitularibus autem anni 810, cap. 9, expresse di-

citur : *De vita et moribus Pastorum nostrorum, id est, Episcoporum, qui populo Dei non solum docendo*, etc. (Apud Mansi, tom. 11, p. 329, edit. Florentiæ.)

« Quando sanctus Lambertus circa annum 670 episcopa-
« tum refugiebat, clamabat populus : *Pastor noster eris...*
« *velis nolis Episcopus noster eris... pro certo noris te etiam*
« *invitum fore Episcopum nostrum et Pastorem Trajectensium.* » (Apud Nardi, tom. 1, pag. 44.) In Marculphi formulis (I. 1, cap. 5) ad exprimendam sedis episcopalis vacationem usurpatur hæc locutio : *Cum pastorali paululum plebs destituta est præsidio.* In epistola sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, ad Cutbertum Cantium præsulem, pro convocatione synodi Cloveshosensis, in Anglia, anno 747 celebratæ, sic recensentur nomina Episcopis propria : *Nam Apostolus Episcopum, propheta Speculatorem, salvator mundi Pastorem, Ecclesia Sacerdotem appellat.* (Apud Nardi, t. 1, p. 45.) Florus Diaconus Lugdunensis ad quemdam Episcoporum concessum scribens : *Dominis beatissimis reverendissimis et piissimis Pastoribus gregis Chisti, rectoribus Ecclesiæ Dei, prædicatoribus.* (Mansi, tom. 14, col. 663, edit Florentiæ.) Concilium Aquisgranense anni 836 (lib. 3, caput 23) de Episcopis loquens : *Quatiter denique Ecclesia Christi per successores Apostolorum, Pastores videlicet.* (Apud Nardi, tom. 1, pag. 18.) Sanctus Raterius Veronensis Episcopus, qui scripsit decimo sæculo (*De contemptu canonum*, n. 3) : *Qui Pastor est dominici gregis, eumdem Episcopum esse noveris.* In quodam diplomate anno 1015, sic narratur quomodo vir nobilis de quo ibi agitur, Bellovacensem Episcopum adierit : *Præfatus itaque comes... sanctam Belvacensem adiit ecclesiam : eamque in conspectu reverendissimi Pastoris, sub testimonio totius cleri et populi...* (Vide illud diploma in *Gallia christiana*, historia Bellovacensium Episcoporum, appendix, n. 4.) Undecimo pariter sæculo, Sigifridus Moguntinus Episcopus, sic de quodam Episcopo, a sede sua expulso, Romanum Pontificem alloquitur : *Porro ecclesia illa jam multis diebus pastorali caret administratione : et unico Pastore vidua, episcopali caret benedictione*, Mansi, tom. 20 col. 1092.)

Fulbertus epistola 2 : *Episcopus, qui vices Christi tenet, sacerdotales viros in plebem subjectam missurus... quos sane suæ pastoralis curæ vicarios adjutores ad erudiendam plebem sibi commissam constituit.* (Apud Nardi, tom. 1, pag. 99.)

Posset in immensum protrahi ejusmodi monumentorum indicatio. At ex paucis allegatis textibus facile concludet lector *Pastoris* denominationem, ab Ecclesiæ exordiis ad recentiora usque tempora, adhibitam fuisse tanquam vocis *Episcopi* synonymam.

Propositio IIIª. — *Ante recentiora tempora, aut nunquam aut rarissime parochi reperiuntur pastorum nomine insigniti.* — Cum jansenistici et presbyteriani systematis fautores totis viribus pastoris titulum parochis vindicare conati sint, atque in hunc scopum ecclesiastica monumenta graviter volverint, et quidquid sibi faverearbitrabantur adnotaverint, satis erit ad propositionis nostræ probationem ostendere, textus ab ipsis objectos nihil probare, ultra id quod in thesi asserimus.

1° Allegatur canon 19 concilii 2 Turonensis anni 567 : « Archipresbyteri vicani, et diaconi et subdiaconi, non quidem omnes, sed plures in hac suspicione tenentur a populo « quod cum conjugibus suis maneant. Pro qua re hoc placuit observare, ut quotiescumque archipresbyter, seu in « vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus « lector canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero clericorum cum illo ambulet : et in cella, ubi ille « jacet, lectum habeat pro testimonio. Septem tamen « inter subdiaconos et lectores vel laicos habeat concessos, qui vicissim septimanas cum illo facere omnino « procurent ; et qui distulerit fustigetur. Et si in hoc presbyter negligens inventus fuerit, quod non hoc sic implere « contendat, triginta diebus communione privetur, donec « pœnitentiam agat et sic revertatur ad gratiam. Reliqui « presbyteri et diaconi et subdiaconi vicani hoc studio se « custodiant, ut mancipiola sua ibi maneant ubi uxores « suæ : illi tamen segregatim solitarii in cella jaceant et orent « et dormiant. Nam qui uxores non habent, in parte de mancipiolis suis habent cellulas segregatim, ubi et ipsi itidem « et orent segregati et dormiant.... Et quia hæresis Nicolai-

« tarum per Nicolai facilitatem surrexit, ubi legitur ista « hæresis presbyterorum a quo presbytero primum sur- « rexit? Etiam quod nullus potuit æstimare quod au- « deret ille qui corpus Domini consecrat talia perpetrare, « nisi tempore novissimo pro peccatis nostris illa surrexe- « runt. Si illi diaconi sententia Episcoporum damnati sunt et « hæretici reputati; ac si tales diaconi illi subjacent maledic- « tioni quos patrum statuta pro hac causa damnarunt; « quid illi infelices presbyteri, qui toti sunt peccato subjecti, « ut alios trahant in præceps secum, qui eos tali ordine vivere « cernunt; et qui deberent esse forma præcepti, ipsi inveniantur norma peccati? Rectius ut caput morbidum, si curari « non potest, amputetur, quam grex per eumdem inficiatur. « Talis ergo sacerdos et pastor non debet a populo venerari, « sed renui, qui non formam disciplinæ sed vitii docet, dum seip- « sum non corrigit. » (Apud Mansi, tom. 9, pag. 797, editio Florentiæ).

Ibi quidem adhibetur vox pastor (*talis ergo sacerdos et pastor*..); et in principio et decursu canonis agitur de archipresbyteris, presbyteris, diaconibus et subdiaconibus ruri degentibus; ac proinde etiam de eo qui ruri munus parochi obibat. Sed.

Primo ad summum sequeretur locum illum habendum esse tanquam rarissimam exceptionem, cum, ut ait Nardi (tom. 1, pag. 35), prioribus et sequentibus sæculis videamus, *pastoris* vocem constanter a conciliis generalibus et particularibus, a Patribus et scriptoribus ecclesiasticis, ad designandum Episcopum adhiberi. Unde a Turonensibus patribus per similitudinem quamdam ac improprio omnino sensu usurpatam fuisse censendum foret.

Secundo, dici potest textum esse lacerum, interpolatum atque ex pluribus consutum; ita ut concludi nequeat singulas sententias, ad ea que immediate præcedunt referri. Id indicat totius contextus obscuritas, et incohærens ab una ad aliam rem transitus. In antiqua conciliorum editione (anni 1585, Venetiæ, tom. 2, pag. 820) notabatur in margine, *locus obscurus* : obscurus profecto, in tantum ut vix admitti queat canonem cum hac forma fuisse confectum. Præterea idem concilium canone 22 utitur hac formula *tam Pastores quam pres-*

byteros: ubi juxta constantem ecclesiasticum stylum, Episcopos voce *pastorum* designat; et iterum eodem loquendi modo utitur in epistola synodica, ubi Episcopos memorat sub *pastoris et sacerdotis* nomine. Probabile ergo est ultimam phrasim citati canonis 19, *talis ergo et pastor*, etc., depromptam fuisse ex aliquo alio textu, in quo de Episcopis agebatur et ibi fuisse incohærenter assutam.

Tertio. Certum est a Labeo, Severino Binio, Mario Lupo et aliis eruditis viris tanquam spurium rejectum fuisse quemdam textum, licet præcitato posteriorem, ex eo quod in eo reperiretur vox *pastor* ita usurpata, ut videretur etiam ad presbyteros referri; de quo statim in sequenti objectione agimus. A fortiori ergo id dicendum de citato Turonensi canone.

2° Allegatur appendix quædam, ad concilium Rhemense anno circiter 630 posita, sub titulo: *Statuta synodalia ecclesiæ Rhemensis per dominum Sonnatium.* Porro in primo ex iis statutis sic legitur: *Et quicumque pastores sunt, quæ ad instruendum populum et gregem pertinent discant et sciant:* Et statuto 7: *Curet pastor ovem suam et non negligat: ei injungat interesse missæ sacrificio diebus solemnibus et dominicis, agnoscat ejus faciem.* (Apud Mansi, tom. 10, pag. 598, editio Florentiæ.)

Esto ibi vox pastor referenda sit ad parochos; responderemus hujus modi statuta multo recentiori ævo esse tribuenda « Videntur enim, ait Labbe (in margine loco citato), sapere « ævum posterius. » Item Severinus Binius sic adnotat: « Hæc « statuta, accepta ex Majori Monasterio (gallice Marmoustier).. « visum est appendicis loco adjicere. Etsi enim sint in his « quœdam, quæ non videntur redolere tantam antiquitatem; « ut quod titulum pastoris tribuat parochis, qui ætate Son- « natii et multo post, presbyteri tantum aut sacerdotes solent « appellari... Verum facile potuit fieri, ut loco presbyteri a « recentiori aliquo positum sit nomen pastoris. » (Apud Mansi, loco cit., pag. 600). Item Christianus Lupus (*Opusc. posth.* in fine operum) non admittit prædicta statuta esse Sonnatii, ob datam presbyteris *Pastoris* denominationem. Cum vero Morinus (exercit. 16) supponat parochos in antiquitate jam vocatos fuisse, *parochorum, rectorum, curionum et pasto-*

rum nomine, eum carpit præclarus Marius Lupus (*de Parochis ante annum Christ millesimum*, dissert. 1, cap. 8), de hujusmodi vocabulis ita affirmans : « Ad inferiora procul dubio referenda sunt sæcula... Quod tamen advertere omnino « debuerat (Morinus). Quippe hæc ipsa nomina, illo rectoris excepto, cum ante annum millesimum, quin et per aliquot deinceps sæcula, inaudita fuerint, demonstrant a Morino tradita, ad recentiora tempora spectare. »

3° Allegatur caput 20 distinctionis 63, quod in collectione Gratiani positum est tanquam *ex sancti Isidori libro officiorum* excerptum. Ubi dicitur, mortuo archipresbytero rurali, debere archidiaconum eo se ad electionem successoris transferre, *quatenus dignus pastor domui Dei constituatur*. Unde concludendum venit pastoris titulum fuisse parochis a sancto Isidoro concessum.

Respondetur hunc locum non esse sancti Isidori, nec in ejus libro de *Ecclesiasticis officiis* reperiri. Estque annumerandus ille textus quampluribus aliis, qui in collectione gratianea tali et tali auctori falso tribuuntur. Adde non patere utrum archipresbyter, de quo ibi agitur, fuerit parochus, an potius vicarius Episcopi foraneus.

4° Allegatur formula exhortationis episcopalis in synodo a multis jam sæculis haberi solitæ, in qua Episcopus sic presbyteros alloquitur : *Nos pastores vestri sumus* ; *vos autem pastores animarum vobis commissarum*, Quæ exhortationis formula sancto Leoni Papæ IV tribuitur. (Vide eam cum variantibus apud Mansi, tom. 14, pag. 890, editio Florentiæ). Cui formulæ auctoritatem addit *Pontificale romanum*, in quo reperitur parte 2, sub rubrica *Ordo ad synodum*.

Respondetur *primo* : etiamsi hæc formula tribuenda foret Leoni Papæ IV, sat recens esset, nempe noni sæculi ; et dici posset tunc adhibitum fuisse novum hunc loquendi modum improprio sensu, per similitudinem quamdam, eo quod non prævideretur abusus, aliquando ex tali vocabulo parochis attributo oriturus.

Secundo, probant eruditi formulam illam esse multo recentioris ævi, ut videri potest apud Nardi (*dei Parochi*, t. 1, p. 41).

Tertio, ibi sermo dirigitur ad omnes presbyteros in synodo

adunatos, quorum multi certe parochi non sunt. Unde ex textu illo vix quidquam concludi potest in gratiam systematis parochistarum.

5° Objicitur *Pastoris* titulum reperiri concessum monasteriorum abbatibus et abbatissis, jam ab octavo saltem sæculo, ut patet ex canone 5 concilii Calchutensis anni 787. In concilio autem Aquisgranensi canone 7 (apud Mansi, tom 14, pag. 246, editio Florentiæ) abbatissa vocatur pastor; et canone 13 prælati nomine eadem decoratur. Et in testamento imperatricis cujusdam anni 877, abbatissæ regimen vocatur *pastorale ministerium* (apud Nardi, tom. 1, pag. 54). Inde inferri posse videtur *Pastoris* titulum non fuisse antiquitus Episcopis proprium.

Respondetur : Quonam tempore abbates et abbatissæ cœperint ex Ecclesiæ concessione et legibus acquirere in monasteria sua aliquid jurisdictionis episcopalis, ac proinde pastoratus antea Episcopis exclusive proprii, hic non expendimus. Id tantum adnotamus, mirum non esse ipsis pastoris titulum, in quodam restricto et improprio sensu, concessum fuisse, quando eis aliqualis pastoratus in subditos suos collatus est. Unde etiam et baculum pastorale receperunt; velatum tamen ut pastoratus restrictionem et subordinationem indicaret. Pastoratus autem plenus seu proprie dictus remansit Episcopis proprius. Plenus enim non est pastoratus, nisi possit gregi providere de omnibus ad salutem necessariis; ac proinde nisi possit sacerdotes et pastores, in locum defunctorum ordinare ; quæ vis et potestas sacerdotium procreandi et perpetuandi episcopali caracteri propria est. At vero parochis, sicut data non est jurisdictio in foro externo, nec legislativa et coactiva in fideles parochiæ potestas, ita nec eis debuit concedi nec de facto antiquitus concessus fuit pastoris, etiam in restricto sensu, titulus.

6° Objicitur, ultimis saltem sæculis non deesse auctoritates, easque gravissimas, quibus pastoris titulus parochis tribuitur ; id porro satis esse, ut hujusmodi denominatio merito eis vindicetur.

Concedimus, a decimo quarto et decimo quinto sæculo, et etiam aliquoties forsan antea, sed rarissime, reperiri parochos

hoc nomine decoratos ; at negamus inde concludi posse talem eis deberi denominationem, ita ut haberi debeant tanquam veri pastores, etiam secundi ordinis. Est nempe in his casibus interpretenda ejusmodi denominatio in lato quodam atque omnino improprio seneu ; eo modo, verbi gratia, quo, interpretanda est vox *Episcopus* quando sanctus Augustinus nomen illud patribus familias, attribuit, ob quamdam similitudinem eorum circa familiam suam officii, cum episcopali munere. Ratio est, quia parochi revera pastores proprie non sunt, cum in fideles parochiæ potestatem legislativam et jurisdictionem coactivam non habeant,

In hoc ergo accommodatitio sensu interpretandus erit textus Tridentinus capitis 12 *de Reformatione*, sessionis 25 : *Hortatur dehinc* (sancta synodus) *omnes et singulos pro christiana charitate, debitoque erga pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, Episcopis et parochis qui tenuioribus præsunt ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum qui pro eis invigilant dignitatem tuendam, non graventur.* Ibi quidem videntur Tridentini Patres pastoris denominationem aliquomodo ad parochos extendisse; at tunc nonduum voce illa abusi fuerant jansenistæ et presbyteriani. Unde applicandum venit quod de Riminensi concilio Hieronymus : *Non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in titulo,*

Idem dicatur de loco catechismi Tridentini, in quo generatim et in globo Episcopi, parochi et prædicatores, pastorum nomine donatur.

Propositio. IV[a] — *Genuinus sensus vocis pastor includit potestatem legislativam et jurisdictionem externi fori ; ita scilicet ut prædicta jurisdictio sit de essentia pastoratus.* — Qui pastor est, non tantum oves nutrit, sed et illas regit, deviantes reducit, totumque gregem gubernat, atque ad hujusmodi regimen vim adhibet coactivam. Nec verus pastor esset qui posset tantum ovibus pabulum ferre, sed quo invito oves pro libitu excurrere valerent. Hinc translata hac voce ad eos homines qui cæteris præsunt, de iis tantum in tota retro antiquitate fuit intellecta, qui potestatem habent subditos regendi, et jurisdictione coactiva et legislativa gubernandi.

Unde in hæbraica et græca lingua pastores vocantur reges aliive populorum duces. Attento ergo vocabuli illius genuino et proprio sensu, dicendum est jurisdictionem fori externi, seu potestatem coactive regendi et gubernandi esse ipsammet pastoratus essentiam. Ita scilicet, ut qui exhortandi tantum facultatem et officium habet, non autem subditos auctoritative regendi, sicut rex dici nequit, ita pastor immerito nuncupetur.

Propositio V^a^.— *Merito concluditur denominationem pastoris etiam secundi ordinis, parochis non competere.* — Ex superius probatis pastor non est, nisi qui vera potestate pollet populum auctoritative regendi et coactive gubernandi; atqui parochi jurisdictionem illam fori externi non habent, nec possunt leges ferre quibus eorum parochiani ligentur et gubernentur, aut pœnas ecclesiasticas in delinquentes statuere: ergo pastores proprie dicti non sunt, Et cum prædictam potestatem nec in primo, nec in secundo, nec in millesimo ordine habeant, sequitur eos nec secundi ordinis pastores dici posse. Hinc merito Henricus Kalteisen, in notissima sua ad Basileensis concilii Patres concione: *Veri Pastores sunt tantum Episcopi.* (Apud Nardi, tom. 1, pag. 69.)

Propositio VI^a^. — *Quamvis ante ortos, aut ad extrema perductos jansenianismi et parochismi errores, innocue potuerint parochi pastores in quodam lato et improprio sensu vocitari, hodie tamen resecanda potius videtur hujusmodi eorum denominatio.* — Nam prædictæ sectæ, ea voce parochis tributa lugendum in modum abusæ sunt. Vide apud Nardi (tom. 1. page 11) citatum auctorem, qui ita arguebat: Parochus est pastor, ergo est doctor, ergo est judex fidei. Item alii ex eo quod parochus sit parochiæ suæ *immediatus* et *proprius*, ut aiunt, pastor, audacter intulerunt Episcopum non habere in parochianos nisi jurisdictionem *mediatam*, id est, eum nihil posse in parochia statuere, nisi mediante et consentiente parocho. Quo solo errore fere in larvas inutiles transmutantur Episcopi, et parochi in veros Episcopos eriguntur. Qui error in quodam articulo additionali ad constitutionem civilem cleri Gallicani sic exprimebatur: *Ecclesia cathedralis solum Episcopum pro pastore immediato habebit;*

unde ibi Episcopus erit simul parochus (apud Nardi, tom. 1, pag. 16). Nec defuere qui parochos dixerunt ecclesiarum suarum sponsos. Van-Espen (part. 2, sec, 1, tit. 2. c. 2) docet parochos dici pastores *antonomastice*; ex quo sequitur Episcopos non esse pastores nisi improprio sensu. Atque idem auctor vicarios parochorum seu capellanos vocat *vicepastores*. Hinc, Parisiis præcipue, parochos non pauca episcopalia jura sibi olim usurpasse, satis notum est.

Jam vero quando vox aliqua, licet prius a catholicis auctoribus, et in sensu, improprio quidem sed tamen catholico, adhibita, ob hæreticorum fallacias in pravam interpretationem cœpit distrahi, et pro errorum propugnaculo constitui, solet Ecclesia eam repellere et profligare. Et etiam ante expressam Ecclesiæ definitionem, prudenter qui catholice sentiunt ejusmodi locutionem solent devitare (1); nec objici tunc debent exempla eorum qui catholice eadem formula prius usi sunt. Id Julianus hæreticus sancto Augustino objiciebat, vocem quamdam, utpote a sancto Chrysostomo adhibitam, legitimam defendens. Cui Augustinus: *Disputans* (*Joannes Chrysostomus*) *in Ecclesia catholica, non se aliter intelligi arbitrabatur: tali quæstione nullus pulsabatur*: *vobis nondum litigantibus securius loquebatur* (contra Julianum, cap. 2). Id nos presbyterianismi sequacibus, qui, pastoris titulum parochis vindicare conantes nonnullas auctoritates objiciunt, respondemus. *Vobis nondum litigantibus securius loquebantur* qui aliquo accommodatitio sensu parochos pastorum nomine designarunt, At nunc vox illa sedulo parochis deneganda et veris pastoribus id est Episcopis, *a Spiritu Sancto* positis *pascere* (ποιμαίνειν) *Ecclesiam Dei*, exclusive reservanda.

Hinc nuper, cum in cujusdam concilii provincialis Galliæ statutis, de parochis sub *pastorum* nomine sermo esset, a Romanis revisoribus vox illa expuncta est.

(1) Post Anthropomorphytarum hæresim, quis audeat uti voce *corpus* ad designandam divinam substantiam? Qua tamen voce usus olim Tertullianus a sancto Augustino defenditur (*de Hæresibus*, cap. 86). Tertullianus scilicet per vocem corpus nihil materiale intelligebat Idem dicatur de voce *gnosticus*, quæ olim idem sonabat ac illuminatus seu spiritualis.

Nota 1. — Diximus in thesi, *quamvis ante ortos, aut ad extrema perductos, jansenismis errores, innocue potuerint parochi pastorum nomine in quodam lato sensu donari*: nam cæteroquin probatissimos etiam scholæ doctores, ante excitatam recentioribus temporibus dictam parochismi procellam a tribuenda parochis *pastorum* denominatione non refugisse, omnino certum est; in cujus testimonium sat erit indicasse Suarezium, qui (tomo 3, *de Religione*, l. 1, c. 17, n. 20 et seq.) veluti ex professo *pastoratum* quemdam parochis vindicat. Simul tamen ab eo pastoratu quamlibet fori externi jurisdictionem diligenter resecat; ita ut non nisi lato eo, quem diximus, sensu, parochos propastoribus habeat; nec, quoad rem, contradicat recentioribus doctoribus, qui ob grassantem postea parochismi luem, studiosius quæstionem rimati, abnuendum parochis pastorum nomen omnino censuerunt.

Nota 2. — In confirmationem præsentis conclusionis nostræ, quod nempe satius sit pastorum nomen hodie parochis abnuere, juvat nonnulla subjungere, quæ in eumdem scopum scripsit Christianus Lupus: in quibus præcipue advertenda, quam ipse testatur, hodierna Romanæ Ecclesiæ praxis:

« Certum est, ait, pastoris titulum parochis non quadrare. « Unde et ipsum hodie nunquam illis impertit Romana Ec- « clesia. » (Christianus Lupus, *Operum* tom. 11, pag. 314, edit. Venetiis 1729.)

« Ili enim (nempe parochi) ab aliquo tempore cæperunt « apud vulgum vocari pastores. Hinc existimant sibi jure « competentem titulum. » Ibi variis documentis probat Christianus Lupus immerito hoc nomine condecorari parochos: tum ita prosequitur: « Ad noni sæculi finem Walterus Au- « relianensis Episcopus edidit capitulare, in quo inter varia « suæ diœceseos parochianis presbyteris mandat et hoc: *je- « junia a pastoribus injuncta diligenter observent.* Qui locus « alte clamat solum Episcopum tunc habuisse titulum pasto- « ris. Rationem habes in vulgari canone Apostolico: *Presby- « teri et diaconi præter Episcopum nihil agere prætentent. « Nam Domini populus illi commissus est, et pro animabus « eorum hic redditurus est rationem.* Canon asserit omnem

« animarum curam esse solum penes Episcopum ; ideoque « ipsum solum esse pastorem... Et est omnino constitutum « apostolicum : etenim sanctus Paulus per pastores et docto- « res palam intellexit solos Episcopos... Certum est per pas- « tores ab Apostolo intelligi solos Episcopos, et hinc paro- « chiales olim presbyteri nil sacri poterant agere sine man- « dato ac beneplacito Episcopi. Erant ejus dumtaxat vicarii. » (Christianus Lupus, tom. 11, pag. 282, editio Venet. 1729.)

Idem auctor, pagina 302, dum confutat locum quemdam Jacobi Boileau, ita asserentis : *Magnam in oves sibi a Christo traditas habent autoritatem porochi ; veri quippe earum sunt pastores*, etc.; inter varios errores ibi expressos sequentes retegit et profligat : « Tertius error, est, quod Christus Do- « minus oves suas tradiderit presbyteris parochialibus. Ete- « nim ad solos Episcopos dictum est : *Attendite vobis et uni- « verso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos « regere Ecclesiam Dei*. Emphasim habent verba *et universo « gregi*. Alte clamant omnem animarum curam esse a Chris- « to Domino datam solis Episcopis. Ipse enim posuit in Ec- « clesia *pastores* et *doctores*. Per pastores palam intelliguntur « soli Episcopi. Presbyteros Christus Dominus noluit po- « nere in præfectura ; ponendos permisit ac tradidit Epis- « copis. Et hinc sine Episcopo non potest esse Ecclesia. Ec- « clesiam martyr Ignatius, sanctus Cyprianus, atque alii « Ecclesiæ Patres affirmant esse populum Episcopo aduna- « tum. Et hinc parochiales presbyteri nequaquam a Christo « Domino authoritatem habent in suam plebem, sed ab Epis- « copis. Hinc sequitur quartus error, quod parochiales pres- « byteri sint dominicarum ovium pastores. Quod hic eminens « titulus solis Episcopis debeatur et quadret, est supra de- « monstratum... Etiamnum hodie Romana Ecclesia paro- « chiales presbyteros non appellat nisi *parochialium eccle- « siarum rectores*. »

Unde revera laudandus sæpe citatus Nardi (etsi quando- que in conciudendo nimius), qui titulum illum *Pastoris* fuse impugnat, et in Gallia præsertim de medio tollendum suadet. Et certe notatu digna sunt hæc ejus verba : « L'autore dell' « acre scritto, *l'Etat politique et religieux de la France* (à

« Londres 1806, *cox*, a pag. 359, in nota), parlando di mon-
« signore Ricci, e pestilente synodo di Pistoja, dice, che Ricci
« non facceva che *soulever, comme on a fait en France, les*
« *curés contre les Evêques, et flatter leur vanité pour les*
« *faire tomber plus sûrement dans le piége*. Dice che aveva
« ordinato que portassero el fiocco al capello, el qual fiocco
« *leur avait fait tourner la tête; déjà on parlait de presbytère,*
« etc. Finche la Francia, aggiungo io, adoprera la parola *pas-*
« *tore*, per dir parocho, il male non finira. Vedremo che e
« sconcia anche la parola *di pastore di second' ordine,* per-
« che il pastorato e uno, cio e l'*episcopato*. » (Nardi, tom. 1, præf., pag. 9, edit. Pezzari 1829.)

CAPUT VII.

PAROCHI NON SUNT PROPRIE PRÆLATI, MINORES, NEC MINIMI.

Si improprio tantum et largo sensu parochis tribueretur prælatorum minorum seu secundi ordinis denominatio, ab ea redarguenda et confutanda abstineremus. Atvero jansenistæ et parochistæ toti fuerunt, ut *prælaturam* curatorum ex divina institutione adstruerent: eam ita perpetuo in scriptis suis memorant atque extollunt, ut plene pateat eorum scopus: volunt nempe parochos tanquam veros et proprie dictos prælatos (licet secundi ordinis) haberi, Quod cum falsum omnino sit, et viam gravibus erroribus subdole sternat, repellendum atque convellendum omnino est ab orthodoxis scriptoribus.

Quid rei sit prælatura proprie dicta, ex communi doctorum sententia primum inquiremus: tum ostendemus eam parochis nullatenus adscribi posse.

I. Est doctrina communis canonistarum, prælatum proprie dictum illum dumtaxat vocari, qui jurisdictionem fori externi habet in subditos. Eam doctorum consensionem adnotat Ferraris ad vocem *Prælatus*; et extra controversiam est. Unum aut alterum ex præcipuis doctoribus adducamus: « So-
« lus Episcopus (ait sanctus Thomas) proprie prælatus Eccle-
« siæ dicitur: et ideo ipse solus, quasi sponsus, annulum

« Quod ab eo eis committitur... Sed sacerdotes qui plebibus « præficiuntur non sunt simpliciter prælati, sed quasi coad- « jutores. » (Suppl. ad 3 part., q. 26, art. 1.) Eadem est « celeberrimi Fagnani doctrina : « Stricte illi tantum dicuntur « prælati qui habent jurisdictionem aliquam fori contentiosi. » (Ad caput *Cum ab ecclesiarum, de Officio ordinarii*.) Porro in capite *Cum ab ecclesiarum*, quod ibi explanat Fagnanus, agitur de quodam plebano sancti P..., qui habebat jurisdictionem contentiosam. Ex quo potuissent incauti concludere, proprie dictos prælatos esse plebanos. seu parochos. Ad quem præcavendum errorem sic, loco citato, disserit Fagnanus : « Sed tu adverte, quia iste plebanus sancti P... habebat juris- « dictionem contentiosam de jure speciali, videlicet ex privi- « legio vel præscriptione; et ideo poterat excommunicare et « interdicere. At secus est de jure communi; quia plebani « et presbyteri parochiales, quamvis habeant curam et juris- « dictionem ordinariam fori pœnitentialis, tam in clericos « quam in laicos habitantes ipsorum parochiam, tamen nul- « lam habent jurisdictionem fori contentiosi; et ideo potes- « tatem non habent excommunicandi nec in genere nec in « specie. Nec prælati proprie appellari possunt ; nam stricte « illi tantum dicuntur prælati qui habent jurisdictionem ali- « quam fori contentiosi. Et propterea prælati a parochialium « ecclesiarum rectoribus distinguuntur; licet, late sumpto « vocabulo, etiam plebani et alii presbyteri parochiales dici « possint prælati, hoc respectu, quia præsunt parochianis « suis in foro animæ; et ita intelligas textum in capite *Tua*, « *de Clericis ægrotantibus*. » (Fagnanus in secundam par- « tem primi libri decretalium, ad caput *Cum ab ecclesiarum* « *da Officio ordinarii*.)

Ex hac communiter recepta notione, facile deducitur quinam sint veri prælati, tum majores, tum minores : « Prælati « *majores* sunt Episcopi, et præcipue Cardinales in quantum « universali Ecclesiæ regimini adlaborant. *Minores* vero sunt « ii omnes, qui, prædictis inferiores, distinctum honoris « gradum cum aliqua externa jurisdictione obtinent. Sunt « autem numero plures : principaliores nempe, ordinarii « *nullius* et exempti, qui usum pontificalium cum jurisdic-

« tione fori externi habent; item generales et provinciales « religiosorum superiores; item vicarii generales Episcopo- « rum et antiqui archidiaconi : inferioris vero classis, superio- « res conventuum et abbatissæ, quibus prælatura ideo competit « quia jurisd ictionem externam (etsi valde limitatam) veram « tamen habent in subditos, quos possunt præceptis ligare « et punire. Unde in Clementinis (lib. 3, tit. 8, cap. *Dudum*, « *de Sepulturis*, glossa 6) dicitur nomine prælatorum non « venire rectores ecclesiarum, id est, parochos. Ergo præ- « latus minor est quidem abbatissa et minimus Capuccinorum « Guardianus: atvero parochus minime. Nec putet quis hoc « abbatissis tributum prælati nomen, ex hodiernis canonistis, « aut etiam ex Hildebrandi temporibus fuisse expiscatum : « faveant parochistæ legere caput undecimum capitularis « anni 802, et ibi reperient prælatos vocari Episcopos ab- « bates et abbatissas: *Episcopi, abbates atque abbatissæ, « qui cæteris prælati sunt.* Item in concilio Aquisgranensi « secundo anni 830, canone 13 et 14 : *Admonendæ sunt præ- « latæ monasteriorum, ut subditas moribus probis atque « exemplis præcedant.* » (Nardi, *dei Parochi*, tom. 1, pag. 394, editio Pezzari 1829.)

Quæri posset utrum curiæ Romanæ prælati, cardinalibus et Episcopis inferiores, potiantur omnes aliqua fori externi jurisdictione, ita ut pro veris prælatis minoribus haberi possint. Affirmative respondet Nardi (loco citato, pag. 395): « Quia præter præcedentiam, iis incumbunt aliqua jurisdic- « tionalia, quæ Cathedram Apostolicam, et sic aliquo modo « regimen universale, respiciunt. »

Ex dictis, potest quoad parochos sic tota res concludi : ii soli sunt proprie prælati majores aut minores, qui aliquam in foro externo jurisdictionem obtinent ; atqui parochis nulla competit hujusmodi jurisdictio ; ergo parochi non sunt proprie prælati, nec majores, nec minores, nec minimi ; et nec primi, nec secundi, nec millesimi ordinis.

Objicies 1° anctoritatem Gersonis, qui sic habet (*de Potest. Eccles.*, consid. 12) : De statu hierarchico non sunt proprie « nisi duo status, prælatorum majorum videlicet, qui succe- « dunt Apostolis, et sunt Episcopi, Archiepiscopi, et ita sur-

« sum ; et minorum, qui successores sunt 72 discipulorum, « et dicuntur prælati secundi ordinis, dignitatis vel honoris, « quales sunt curati... Fundatur hæc sententia Matthæi 18, « ubi postquam Christus dixerat, *dic Ecclesiæ,* subjunxit de « quibus loquebatur dum ait, *quodcumque solveritis*... Cons- « tat autem quod nedum Apostolis, sed et discipulis loqueba- « tur, juxta glossas doctorum in hoc loco. » — Respondetur 1° nullius auctoritatis esse Gersonem et Sorbonam, utpote qui crassissimos errores in hac materia propugnaverint, ut supra ostendimus. 2° Dum ibi innuit Gerson ex institutione divina fundatam hierarchiam constare Episcopis et parochis, omnino gratuita est ejus assertio, et contraria toti traditioni, quæ juxta Tridentinæ synodi definitionem, hierarchiam divinitus institutam docet constare *Episcopis, presbyteris et ministris* : presbyteris, inquam : qui sive sint parochi, sive non, ad divinam hierarchiam pertinere de fide est, ipsiusque secundum gradum constituere. Alia autem excogitata hierarchia divinitus instituta, quæ jurisdictionis diceretur, et quæ constaret *Episcopis et parochis,* e cerebro sorbonistarum egressa est. 3° Ratio a Gersone allegata, Christum nempe ad discipulos sermonem direxisse dum dixit, *quodcumque solveritis*, nullius momenti est, quia probandum esset per discipulos repræsentatos fuisse *solos parochos*, non autem totum ordinem presbyterorum, sicut tota intellexit traditio.

Objicies 2°. Auctoritatem sancti Thomæ a Juvenino allegatam. Juveninus scilicet (in magno opere, *de Sacramentis,* dissert. 9 ; *de Ordinibus in specie*, q. 3, art. 3) sic habet : *Sanctus Thomas curatos reveretur tanquam secundi ordinis principes et prælatos Ecclesiæ, atque tenere eos locum 72 discipulorum Christi.* Item in parvo suo opere (*Instit. theolog.*, part. 8, dissert. 7, *de Ordine,* q. 9, tom. 7) : *Parochos, quos jus canonicum et sanctus Thomas vocant prælatos minores. De divina parochorum institutione legi possunt Petrus Aurelius* (nempe abbas de Saint-Cyran jansenismi patriarcha) *et variæ facultates theologicæ, Parisiensis,* etc...— Respondetur 1° Juveninum esse auctorem damnatum, ac nullius proinde auctoritatis. 2° Allegando sanctum Thomam quasi admiserit curatos esse prælatos et 72 discipulorum succes-

sores, dupliciter mentitus est Juveninus. En textum divi Thomæ a Juvenino indicatum : *Baptizare pertinet ad minores principes Ecclesiæ, id est ad presbyteros, qui tenent locum 72 Apostolorum Christi, ut dicit glossa, Lucæ 10.* (Addit. ad 3 part., quæst. 26, art. 1.) Ibi sanctus Thomas nullatenus dicit parochos esse prælatos : en primum Juvenini mendacium. Ibi sanctus Thomas non dicit *parochos*, sed *presbyteros* locum tenere 72 discipulorum : en secundum Juvenini mendacium. Imo sanctus Thomas hoc eodem articulo, quem supra citavimus, expresse dicit : *Solus Episcopus proprie prælatus ecclesiæ dicitur.., Sacerdotes qui plebibus præficiuntur non sunt simpliciter prælati, sed quasi coadjutores,*

CAPUT VIII.

PAROCHIALE MUNUS NEC TANQUAM DIGNITAS, NEC TANQUAM PERSONATUS HABENDUM EST.

Dignitas est, *præcedentia eum jurisdictione, vel saltem cum titulo dignitatis canonice possesso.* Primitus scilicet ad constituendam dignitatem non sufficiebat jus aliquod cæteros præcedendi, sed requirebatur insuper officium perpetuum, aliquam in foro externo sibi habens alligatam jurisdictionem. Et hoc sensu, id est, cum hujusmodi jurisdictione, dignitates olim erant, verbi gratia, archidiaconus et archipresbyter. Dein vero, immutata disciplina, jurisdictionem fori externi amiserunt archipresbyter et archidiaconus, servato tantum præcedendi jure ; nihilominus dignitates remanserunt et remanent, quia fuit illis a lege ecclesiastica servatus ille titulus, cum variis ex eo fluentibus juris consectariis. Et pariter in jus ecclesiasticum transiit, ut veræ dignitates essent decanatus, primiceriatus, aliive hujusmodi tituli (quamvis omni externa jurisdictione destituti), modo quatenus tales ab auctoritate ecclesiastica constituerentur, vel pro talibus ex regionali consuetudine haberentur, et in actibus publicis agnosci solerent. Unde, ut quis dici possit dignitas, debet gerere officium, cui annectatur jurisdictio externa, aut sal-

tem quod pro dignitate habeatur, sive a lege ecclesiastica, sive ex speciali auctoritatis constitutione, sive ex publice recognita regionis consuetudine.

Jam vero parochi, nec jurisdictionem fori externi habent, nec pro dignitatibus a lege ecclesiastica agnoscuntur aut unquam agniti sunt, nec in parochiarum erectione speciali statuto hac prærogativa donantur, neque illam ex ecclesiarum consuetudine obtinuerunt. Ergo parochi nullatenus sunt dignitates in sensu juris.

Expositam autem doctrinam, certam omnino facit doctorum communis sententia et tribunalium romanorum auctoritas. « Asseram, inquit Nardi (tom. 1, pag. 401), cum canonistis, « cum sacra Rota, cum theologis *parochos nullam habere digni-* « *tatem.* » Idem tenet Sanchez : « Officium parochi, ait, nec « est prælatio, nec dignitas. » (Apud Nardi, loco citato.) Imo laudatus Sanchez disserendo de voto quod emittunt Jesuitæ de non ambiendis dignitatibus et prælationibus, concludit contra hujusmodi votum non fore, si Jesuitæ optarent et procurarent sese constitui parochos ; eo quod nec prælatura nec dignitas sed simplex officium sit parochiale munus ; unde et in Indiis prædicti religiosi parochias habuerunt. *Plebanum dignitatem non habere* docet Barbosa *de Officio et potestate parochi*, part. 1, c. 1, n. 7 et 8). Idem sic concludit Macri in suo *Hierolexico*, ad vocem *Curatus : Ex quo patet, nomen esse officii non dignitatis.* Consonat doctrina Pignatelli : « Cum pleba- « nus, ait, nuncupetur officium, non autem dignitas. » pro quo allegat caput *quod Dei timorem, de Statu monach.*, et varios canonistas.

Non tantum parochus non est dignitas, sed, attento jure communi, et abstrahendo a particularibus locorum consuetudinibus, ne *personatus* quidem est. Nam personatus est *merum jus præcedendi*, nullam scilicet sibi habens adjunctam fori externi jurisdictionem. Qui nempe beneficium vel officium habet, cui de jure personatus adnexus est, cæteros, etiam antiquiores, præcedit in ecclesia, choro et processionibus. Sic, verbi gratia, præpositura in iis capitulis et collegiatis ubi non est dignitas, est saltem personatus. Item quilibet cathedralis canonicus, cum vi ipsiusmet sui canoni-

catus præcedentiam relative ad simplices presbyteros non canonicos de jure habeat, personatum seu quasi-dignitatem obtinere censendus est. At vero jura nullam ejusmodi præcedentiam parocho (extra propriam ipsius ecclesiam) in cæteros attribuunt. Cum tamen ex mera locorum consuetudine alicui officio accedere possit jus illud alios præcedendi, reperiri possunt parochi personatus honore condecorati : et revera multis in locis quodlibet beneficium curatum pro personatu haberi adnotat cum Pirrhing Leurenius (*Forum benef.*, tom. 1, q. 32, n. 3).

Concludendum ergo parochiatum, per se solum, et attento jure communi, merum esse officium, et nihil aliud.

Hinc est quod causæ ad Sedem Apostolicam perlatæ, et quarum processum eadem Sedes Apostolica vult fieri in regionibus ipsis, in quibus sunt ortæ, cum ex decretis Pontificiis non debeant committi nisi personis in *dignitate* aut *personatu* seu quasi-dignitate existentibus, nunquam committuntur parochis; sed vel prælatis, vel dignitatibus capitulorum, vel canonicis.

CAPUT IX.

IN QUO STET PAROCHIATUS ESSENTIA, ET QUOMODO RECTE DEFINIRI POSSIT PAROCHUS.

Dicemus 1° undenam desumenda sit vera norma ad determinandam parochiatus essentiam. 2° Quænam juxta hanc normam requirantur et sufficiant conditiones, ad essentiam parochiatus, seu ut quis vere sit parochus. 3° Ad definitionem parochiatus, parochi et parochiæ deveniemus.

§ I.

Undenam desumenda sit vera norma, ad dignoscendam et determinandam parochiatus essentiam.

1° Quænam sit parochiatus essentia, id est, quænam essentialiter requirantur ut quis vere sit parochus, deduci nequit

ex jure naturali. Ratio est quia parochorum institutio nullatenus ad legem naturalem pertinet. Nam eo dumtaxat sensu excogitari posset parochos esse de jure naturali, quod posita Ecclesia prout illam Christus constituit, necessario sequeretur exercendam esse curam animarum, et hanc curam exerceri non posse nisi adhibitis parochis; porro, etsi ex essentiali Ecclesiæ constitutione revera sequatur exercendam esse spiritualem animarum curam, nequaquam tamen sequitur eam per parochos esse excercendam; sed possibile concipitur illud curæ exercitium per ipsosmet Episcopos, adhibito sibi presbyterorum tanquam vicariorum auxilio, quin ullus instituatur parochus. Et non tantum id possibile concipitur, sed de facto ita priorîbus Ecclesiæ sæculis fuit actitatum, ut supra probatum est. Unde cum jus naturale nequaquam determinet necessarios esse parochos, a fortiori non determinat quales esse debeant, seu quænam sint ad constituendum parochum necessaria.

2° Neque determinari potest essentia parochiatus ex evangelio, seu ex jure divino positivo. Nam figmentum de parochis a Christo ipso institutis, et de bulla parochorum in evangelio contenta, supra explosimus; et probavimus parochos esse institutionis mere ecclesiasticæ, et ad mutabilem Ecclesiæ disciplinam pertinentis.

3° Ergo norma ad determinandam parochiatus essentiam desumi nequit nisi ex mero jure ecclesiastico. Jus autem ecclesiasticum non tantum constat legibus scriptis, sed etiam legitima et recepta harum legum interpretatione (si forte ambiguæ sint), et consuetudinibus vim juris communis obtinentibus. Ergo quid requiratur et sufficiat ad essentiam parochiatus, seu ut quis sit vere parochus, eruendum est, tum ex Ecclesiæ decretis, tum ex consuetudinibus vim juris communis habentibus, tum ex harum legum et consuetudinum interpretatione per decisiones tribunalium ecclesiasticorum; romanarum præsertim congregationum, et per communem doctorum sententiam.

§ II.

Quænam conditiones requirantur et sufficiant ad parochiatus essentiam, seu ut quis verus sit parochus.

Prænotanda, — Glossa in clementinam *Dudum* (2, tituli 7, libri 3, ad verbum *Impendant*), loquendo de fratribus minoribus per diœceses ad confessiones fidelium audiendas legitime deputatis, adnotat eos non esse curatos; de quo hanc rationem affert : *Quia nec ipsi adstricti sunt ad executionem vel exercitium istorum actuum, nec fideles sunt adstricti ut in his ad eos recurrant : et sic licet ex privilegio hujus perpetuæ constitutionis hoc possint, non per hoc sunt censendi curati.* Unde juxta hanc glossam, ut quis verus sit parochus duplex ea requiritur conditio, nempe, ut ex obligatione ministret, et ut parochiani ex obligatione ad eum recurrant. Porro glossa hæc unanimiter a doctoribus recepta est, et instar regulæ evasit apud Rotam et alias Romanas Cardinalium congregationes.

Concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 13, *de Ref.*) sic decernit : « In iis civitatibus ac locis, ubi parochiales Ecclesiæ « certos non habent fines, nec earum rectores proprium « populum quem regant, sed promiscue petentibus sacra- « menta administrant, mandat sancta synodus Episcopis, pro « tutiori animarum commissarum salute, ut distincto populo « in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum « peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere va- « leat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant; aut alio uti- « liori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Item- « que in iis civitatibus ac locis, ubi nullæ sunt parochiales, « quamprimum fieri curent. » Ex hoc textu, nisi accessissent Romanarum congregationum et doctorum interpretationes, vix quidquam concludi posset de essentia parochiatus, seu de conditionibus requisitis, ut quis vere sit parochus. Nam mandat quidem sancta synodus, ut cuilibet parochiæ distinctus assignetur populus; sed non dicit hoc absolute requiri ut aliqua Ecclesia vere parochialis sit : imo *parochiales* vocat eas quæ

tunc temporis nullum peculiarem et distinctum populum habebant. Item mandat unicuique parochiæ præfici *perpetuum* peculiaremque parochum, cum ea lege, ut ab isto *solo* parochiani sacramenta licite recipere valeant: sed simul Episcopis liberum facit ut alio modo rem componant, si utilius ipsis videatur; et insuper non exprimit *perpetuitatem* parochi, et parochianorum ad eum recurrendi *obligationem* absolute requiri, ut quis verus sit parochus. Unde ad dirimendam præsentem quæstionem textus ille Tridentinus per se solum parum juvare videtur. Idem dicendum de initio capitis 1, sessionis 23, ubi eorum describitur officium, *quibus animarum cura commissa est;* quia ibi agitur de cura animarum *Episcopis propria*, ut satis contextus indicat.

In causa *Egitaniensi*, 27 junii 1789 (*Thesauri* tomo 58, p. 137), essentialia ad parochiatum requisita sic recensentur : « Hæc vero requiruntur ut verus quis dicatur parochus : « quod potestatem nempe habeat fori pœnitentialis : quod « certam suo nomine administret parochiam : quodque de « necessitate ministret, ab eoque parochiani necessario re- « cipiant sacramenta. »

Ad quæstionem, *quænam requirantur essentialiter ut ecclesia sit et dicatur parochialis*, respondet Leurenius requiri sequentia : « Primo, ut in ea sit potestas fori pœniten- « tialis, sive solvendi et ligandi in foro pœnitentiali. Se- « cundo, ut hæc potestas exerceatur de necessitate, hoc est, « ut non tantum rector in ea possit administrare sacramenta « circum habitantibus, et hi illa ab eo recipere, sed et is et « hi ad hoc teneantur ; cum in ista reciproca et vicissitudi- « naria necessitate administrandi et recipiendi sacramenta « potissimum consistat ratio curati. Tertio, ut ei præpositus « in illa exerceat curam nomine suo, et non alieno. Quarto, « ut solus et non cum aliis eam administret ; quod ipsum « ad rationem curati requiret Corradus; ita ut si eidem « ecclesiæ præficiantur duo qui confessionnes audiant, ba- « ptizent, etc., non dicantur curati. » (*Forum beneficiale* Leurenii, tomo 1, quæstione 146.) Citatusautem auctor nullum in probationem adducit juris textum ; sed remittit dumtaxat ad alios canonistas et ad Rotæ decisiones.

Barbosa pariter plurimos indicat auctores, necnon et plures Rotæ decisiones, in eamdem convenientes doctrinam, quam summarie refert hoc modo : « Ex quorum dictis, et præ- « cipue Rotæ, constat, quod probare volens ecclesiam esse « parochialem debet justificare quatuor requisita : primum est « potestas fori pœnitentialis, hoc est potestas ligandi atque « solvendi : secundum est certa parochia, hoc est locus certis « finibus constitutus, in quo populus alicui ecclesiæ depu- « tatus degit : tertium ut parochus curam exerceat nomine « suo ; quod requisitum convenit personæ, non autem ec- « clesiæ : quartum (quod etiam respicit personam et non « ecclesiam), quod sacerdos tanquam rector suo nomine sin- « gulariter, et non cum aliis, ad regimen parochialis ecclesiæ « admittatur, ut declarat Rota (decisione 52, partis 2, « *Diversorum*, a numero 1 usque ad numerum 19) ; et prop- « terea eadem Rota considerans statum ecclesiæ breviter « dixit, ad ostendendum ecclesiam esse parochialem, non « sufficere quod rector administret sacramenta, nisi etiam « ostendat quod de necessitate administret, et populus ab « eodem de necessitate recipiat. » (Barbosa, de *Parochis*, « parte 1, cap. 1, n. 27.)

Expositam Leurenii et Barbosæ doctrinam, eamdem fere reperies a cæteris probatis doctoribus traditam.

Notandum autem, nullibi exstare juris textum clare exprimentem, in quo essentialiter consistat parochiale officium. Nullus in toto *corpore juris* occurrit specialis titulus *de Officio parochi*. Unde canonistæ in tradenda de parocho præcisa notione, communi doctorum æstimatione, necnon Rotæ et congregationum Romanarum variis decisionibus niti solent. Nec mirum, cum parochorum institutio nonnisi paulatim inducta sit, et recentioribus dumtaxat temporibus universalis evaserit, Essentialem nempe formam suam ex praxi et consuetudine, potiusquam ex ullis de hac re generalibus Ecclesiæ decretis sensim induit. His prænotatis sit.

Propositio I[a]. — *Ad essentiam parochiatus pertinet ut sit officium procurandi bonum spirituale animarum, per verbi Dei et sacramentorum ministrationem.* — Probatur ex communi omnium æstimatione. Nam 1° parochis incumbere *ali-*

quod explendum *officium*, extra controversiam est: neque vocatur aut intelligitur parochus, qui nullum habet explendum officium; 2° Quod autem officium parochi versetur *circa bonum spirituale animarum* aliquo modo procurandum, non minus indubitatum est. Imo officium *curæ animarum* vocari solet ; quæ locutio, etsi propriam parochialis officii naturam non omnino determinet (cum plures existant curæ animarum species), prorsus tamen supponit pro parocho non haberi nisi illum, cui incumbit bonum animarum, seu (quod idem est), *bonum spirituale* aliquo modo curare et promovere. 3° Sed et proprium esse parochialis officii, ut bonum animarum curare debeat saltem *per verbi Dei et sacramentorum ministrationem*, est pariter unanimi omnium consensu admissum. Parochus enim nequaquam intelligeretur, qui ex officio non teneretur *verbum Dei* ministrare, id est, instructione religiosa et opportunis commonitionibus (id enim hic per *verbum Dei* intelligitur) parochianos suos informare, eorumque spirituale bonum promovere. Item qui non tenetur ex officio sacramenta parochianis ministrare, nequaquam parochus dicitur.

Confirmari autem posset conclusio, tum ex nonnullis documentis, tum præcipue ex variis Romanarum congregationum resolutionibus, et canonistarum dictis. Ubicumque enim agitur de parochorum officio, vel exprimitur, vel innuitur, vel supponitur, parochiatum esse *officium aliquod, ad curam animarum, per verbi Dei et sacramentorum ministrationem exercendam institutum*. A quibus adducendis documentis, cum de re nullatenus controversa agatur, abstinendum duximus. Dum vero dicimus ad parochiale officium essentialiter pertinere *verbi Dei et sacramentorum ministrationem*, intactam relinquimus quæstionem infra excutiendam, an alia etiam ad idem officium pertineant ; sed asserimus dumtaxat id saltem ad ejus essentiam requiri.

Corollarium 1. — Ergo parochiatus secum infert fori pœnitentialis jurisdictionem. Nam cum sit essentialiter officium ministrandi sacramenta, est hoc ipso, et præcipue, officium ministrandi sacramentalem absolutionem ; quæ ministratio jurisdictionem fori interni necessario exigit. Unde consti-

tuere aliquem parochum est simul et hoc ipso ipsi conferre fori pœnitentialis jurisdictionem : alioquin enim simul deputaretur et non deputaretur ad ministranda sacramenta seu simul constitueretur et non constitueretur parochus. Hinc certum est et ab omnibus admissum, parochis ex ipso eorum officio fori pœnitentialis jurisdictionemcompetere.

Corollarium 2. — Ergo de officio parochiali est aliquo modo in parochianos invigilare. Nam ad illud officium pertinet, ex dictis, instructione religiosa et opportunis commonitionibus parochianos curare. Sed opportune parochianos commonere nequibit parochus, nisi eos noscat, et quo se modo gerant observet ; ad quod, ut patet, aliqua requiritur vigilandi seu attendendi et inspiciendi impensa opera.

Propositio II[a]. — *Est de essentia parochiatus, ut sit officium proprio nomine exercendum.* — Ut quis nempe vere sit parochus, non sufficit eum deputatum fuisse ad officium curandi animas per verbi Dei et sacramentorum ministrationem : nam deputari quis potest ad ejusmodi officium *vice et nomine alterius* explendum : et revera presbyteri, verbi gratia, qui sub cappellanorum, aut vicariorum, aliove nomine, parochos adjuvant, officium animas curandi per prædicationis et sacramentorum ministrationem vere et ipsi exercent. Nihilominus quia id præstant, non proprio nomine, sed tanquam aliorum vicarii, nequaquam pro parochis esse habendos, est constans Rotæ, congregationumque Romanarum, et canonistarum doctrina; prout satis patet ex prænotatis initio hujus paragraphi, et plenissime compertum haberi potest percurrendo causas, in quibus resolvenda venit quæstio an quis verus parochus, vel aliqua ecclesia vera parochialis sit, in indicibus sive decisionum Rotæ, sive *Thesauri resolutionum Sacræ Congregationis Concilii*, indicatas. In regulam nempe juris communis transiit, pro vero parocho non esse habendum illum, qui curam animarum non exercet proprio nomine. Hæc autem regula, non ex aliquo generali Ecclesiæ decreto, sed potius ex praxi et communi æstimatione inducta primitus videtur. Unde intelligendo parochum in sensu juris, omnino ad ipsius essentiam requiritur, ut curam proprio nomine non autem vice alterius exerceat.

Propositio III[a]. — *Est de essentia parochiatus, ut sit officium exercendum quoad determinatum diœcesanorum portionem.* — Nam id etiam in regulam certam transiit apud Rotam, Romanasque congregationes, et doctores canonum interpretes. Unde pro parocho in stricto juris sensu non habetur Episcopus, quamvis et ipse curam animarum, et quidem principaliter, in tota diœcesi habeat. Item regionum illarum parochiales ecclesiæ, quas memorat Tridentina synodus, quæ nullum certum populum sibi addictum habebant, et in quibus sacramenta promiscue omnibus ministrabantur, quamvis in juris antiqui sensu parochiæ fuerint, pro veris tamen parochiis hodie haberi non possent. Ita nempe jamdudum determinatus in jure fuit vocis *parochi* sensus, ut certæ diœcesanorum portionis assignatio requiratur, tanquam necessaria ad verum parochiatum conditio. Quod etiam in regulam transisse videtnr non ex aliquo expresso Ecclesiæ decreto, sed potius ex invalescente praxi et communi æstimatione, necnon ex tribunalium ecclesiasticorum in hunc sensum decisionibus.

Proeoritio IV[a]. — *Est de essentia parochiatus, ut sit officium exercendum ex obligatione.* — Si enim ita deputetur aliquis presbyter, ut possit quidem, sed non teneatur prædictam animarum curam exercere, nullatenus is parochis, prout in jure intelliguntur, adnumerandus erit. Atque id pariter in regulam transiisse, ex communi doctorum æstimatione, et Rotæ, Romanarumque congregationum praxi et decisionibus constat.

Proposisio V[a]. — *Est de essentia parochiatus, ut certus populus parocho assignatus aliquatenus saltem teneatur sacramenta ab ipso recipere.* — Requiri etiam illam conditionem ut quis verus sit parochus, eodem modo constat ac de præcedentibus. Id nempe pro certa regula habetur a Rota, a Romanis congregationibus, et communiter a canonistis. Unde in dubio an aliqua ecclesia vere parochialis sit, si probetur circumjacenti populo liberum semper fuisse sacramenta omnia ex alia parochia alioque rectore recipere, concluditur immerito prætendi illius Ecclesiæ parochialitatem, quantumvis ejus rector parochi nomine donetur, et parochiales functiones exercere videatur.

Nota. — Mirabitur forte lector essentiales parochialitatis conditiones, non ex generalibus Ecclesiæ decretis, sed dumtaxat ex communi doctorum æstimatione, et Romanorum tribunalium decisionibus erui. De quo ratio in promptu est, non occurrere scilicet claros et expressos hac de re juris textus. In toto juris corpore nullus exstat *de officio parochi* titulus, quamvis non desideretur titulus *de officio sacristæ*, immo et *de officio custodis*, illius nempe cui incumbebat pulsare tintinnabula, linteamina altaris custodire, aliaque id genus peragere. Quod certe vehementer innuit, parochiale officium, quale in hodierno jure communi intelligitur, nonnisi sat recentioribus temporibus fuisse hoc modo determinatum: ut proinde toto cœlo erraverint, qui divinam parochorum institutionem et eorumdem ubique locorum a primis Ecclesiæ exordiis frequentiam somniarunt. Ex quo etiam patet reponendam esse parochialitatis essentiam, non in aliquo juris naturalis aut juris divini requisito, cum neque naturali neque positivo divino jure exstent parochi; nec etiam in requisitis ab antiquo jure positivo; sed in ea notione, quæ ex recentiorum doctorum sententia determinata, et ab Ecclesia recepta est.

Propositio VI[a]. — *Quinque supra memoratæ conditiones sufficiunt ad essentiam parochiatus, seu ut quis vere sit parochus.* — Probatur ex communi doctorum sententia. Sunt equidem nonnulli doctores, qui præter enumeratas quinque conditiones, requirunt etiam parochi unicitatem, id est, ut in una parochia unicus, non plures parochi existant: at vero cum opinio hæc communis non videatur, nec apud Sacram Congregationem Concilii recepta (ut infra ostendimus), merito rejicitur unicitatis conditio tanquam quid absolute necessarium, seu essentialiter requisitum, ut quis verus sit parochus. Seposita autem illa circa parochi unicitatem controversia, communiter pro parocho habent doctores illum, qui *ex obligatione et proprio nomine verbum Dei et sacramenta ministrat certæ alicui portioni diœcesanorum, qui vicissim teneantur sacramenta ab ipso recipere*: habent proinde pro sufficientibus quinque supra memoratas conditiones.

Ea vero doctorum sententia, Romanorum tribunalium assensu et praxi canonizata, id est in regulam recepta fuisse videtur. Nam si in *Thesauro resolutionum Sacræ Congregationis Concilii* percurrantur eæ causæ, in quibus expendendum fuit an quis verus esset parochus, videbitur ad concludendam parochialitatem pro sufficientibus habitas fuisse quinque supra dictas conditiones; ita ut iis repertis, judicatum fuerit applicanda esse juris consectaria, quæ parochos concernunt.

Cæterum alia de quibus potissimum occurere posset dubitatio, num forte ad parochiatus essentiam pertineant (verbi gratia, num parochiale officium necessario debeat esse perpetuum, num alicui beneficio adnexum, num aliqua fori externi jurisdictione instructum) infra expendimus, et a parochiatus essentia removemus.

§ III.

Traditur definitio parochiatus, parochi et parochiæ.

I. Parochus definiri potest: legitime deputatus ad ministrandum ex obligatione et proprio nomine verbum Dei et sacramenta certo diœcesanorum numero, qui ab eodem vicissim sacra recipere aliquatenus teneantur.

II, Parochiatus autem, pro duplici sensu huicce voci tribui solito describendus videtur: *Proprium parochorum officium*: Vel *peculiaris status* (sive conditio) *eorum qui parochiali munere funguntur.*

III. Parochiæ vox duplici pariter sensu usurpari solet: 1° ad designandam ædem sacram; 2° ad significandam parochianorum collectionem.

In priori sensu recte describi videtur; ecclesia cui adscriptus est certus populus, a rectore ejusdem ecclesiæ tanquam parocho curandus.

In posteriori vero sensu, certa diœcesis incolarum pars, alicui tanquam parocho subjecta.

Harum definitionum legitimitas sequitur ex superiori paragrapho. Rem scilicet definiendam describunt per solas illas quinque conditiones, quas requiri et sufficere diximus ad essentiam parochiatus, sive ut quis clericus vere sit parochus, et aliqua ecclesia pro vera parochiali sit habenda.

SECTIO III.

Evolvitur notio de vera parochiatus, seu institutionis parochorum, natura.

Ex deductis in superiori sectione, jam satis determinata remanet præcipua, et ut ita dicam, fundamentalis de parochiatu notio. Ast præter varia, quæ tanquam huic muneri essentialia vel admisimus, vel rejecimus, sunt et plura alia, huc usque a nobis silentio prætermissa, de quibus etiam quæstio institui solet, num ad parochiatus essentiam pertineant. Et quamvis ex statutis jam principiis difficultatum ejusmodi solutio satis perspici posset, pro rei tamen gravitate, de his in particulari disserendum existimavimus. Ad quod sequentia capita perlustrabimus : 1° de variis curæ speciebus, et quænam ex eis sit parochialis officii essentialis et propria ; 2° num unius parochiæ plures esse simul possint veri parochi ; 3° perpetuitatem non esse de essentia parochiatus ; ita ut verus parochus esse possit curatus ad nutum amovibilis ; 4° an curatorum amovibilitas contraria sit sacris canonibus aut bono Ecclesiæ ; 5° an et qualiter parochis competat ordinaria jurisdictio ; 6° de vicariis capellanisve curatis, et quinam ex ipsis sint vere parochi ; 7° de hodiernorum Galliæ curatorum conditione, et an ii qui dcservitores vocantur sint veri parochi.

CAPUT I.

DE VARIIS CURÆ SPECIEBUS, ET QUÆNAM EX EIS SIT PAROCHIALIS OFFICII ESSENTIALIS ET PROPRIA.

1° Distingui potest cura animarum in plenam seu superioris gradus, et partialem seu gradus inferioris. *Plenam* vocamus eam quæ exercetur, non tantum per jurisdictionem fori pœnitentialis, verbique divini prædicationem et sacramentorum administrationem, sed etiam per jurisdictionem externi fori et judicialem potestatem : *partialem* vero, quæ externi fori jurisdictione destituitur, nec proinde potest bonum spirituale animarum promovere nisi suasionibus monitionibusque et sacramentorum ministratione.

Prioris porro generis cura Summo Pontifici incumbit quoad universum mundum : Episcopis item, quoad suas respective diœceses : vicario etiam generali, utpote qui ipsammet Episcopi jurisdictionem vicarialiter exercendam habet in tota (moraliter saltem loquendo) diœcesi.

At vero cura parochorum propria, est posterioris dumtaxat generis. Nec proinde ob ejusmodi curam pastores in stricto sensu vocari possunt parochi. Nam *pascere* idem est ac regere seu gubernare ; quod fori externi potestatem supponit ; qua cum destituantur parochi, nonnisi improprio sensu pastoratum in Ecclesia obtinent.

Ex usu tamen generaliter recepto, quando de cura animarum absque addito sermo est, solet intelligi cura illa parochorum propria, potius quam altera superioris gradus, fori etiam externi potestatem includens. Unde et nos in reliquo capite curam animarum memorantes, inferiorem illam speciem intelligimus.

2° Distinguitur cura in *habitualem* et *actualem*. Ille dicitur *habitualem* dumtaxat curam habere, qui de facto illam nec exerçet, nec exercere valet ; sed tantum aliquatenus potest et debet providere, ut per aliquem, sub vicarii nomine, exercea-

tur. Tale est, verbi gratia, capitulum cathedrale, quando ipsi adnexa est animarum cura. Ex decreto quippe Tridentino, nequit tunc capitulum in curam animarum sese immiscere; sed tantum potest et debet aliquem nominare (per Episcopum tamen antea approbandum) qui hanc curam ex officio exerceat. Is autem dicitur *vicarius* capituli *curatus* : estque ad nutum capituli revocabilis, nisi eum Episcopus perpetuum fore decernat : nam et ex eadem Tridentina lege potest Episcopus eam vicarii curati cathedralis perpetuitatem decernere.

E contra ille *actualem* curam habere dicitur, qui de facto eam exercendam habet.

3° Cura habitualis non sufficit ut quis sit verus parochus. Nam ille verus parochus non est, qui parochianis ea quæ ad curam pertinent, non tantum ex officio non ministrat, sed nec ministrandi jus habet. Unde parochus *habitu*, nequaquam verus est parochus; sed ejusmodi titulus valet dumtaxat ad certa ipsi præservanda jura. Hinc quando alicujus parochiæ populus alio migravit, ecclesia (quantumvis parochialis *in habitu* remanere dicatur) tanquam beneficium *simplex* in jure habetur, et ei omnes applicantur beneficiorum simplicium regulæ.

4° Cura *actualis*, modo ex obligatione, necnon proprio nomine exerceatur, et cum reciproco parochianorum ligamine, verum efficit et constituit parochum. Nam tunc ea omnia adsunt, quæ superius probatum est ad parochiatus essentiam sufficere.

5° Ergo vicarius curatus est verus et proprie dictus parochus. Nam ideo tantum a ratione veri parochi deficere censendus esset, quia vicarialiter, ac proinde non suo sed alterius nomine curam exerceret (nam cæteroquin illam exercet ex obligatione, et quoad determinatum populum, qui tenetur sacramenta ab ipso recipere; ac proinde cæteras parochiatus conditiones habet); sed quamvis nomine *vicarii* nuncupetur, falsum est eum proprio nomine curam non exercere. Etenim ille improprio dumtaxat sensu vicarius dicitur, et in re vicarius non est, qui illa ex officio facit, quæ potestatem principalis sui (illius nempe cujus vicarius vocatur) prætergrediuntur. Potestatem quam tu non habes, non pos-

sum tanquam vicarius tuus exercere. Porro cathedrale capitulum, verbi gratia, potestatem non habet sese immiscendi in cura parochiæ; ergo qui eam exercet (quantumvis dicatur capituli vicarius) vere eam tanquam vicarius non exercet, sed ex proprio officio et nomine. Unde vicarii curati quod retinet nomen, in stricto sensu intelligendum non est; sed quatenus denotans certa jura capituli, præsertim exclusivam illam prærogativam nominandi ad curam actualem cathedralis parochiæ.

CAPUT II.

NUM UNIUS PAROCHIÆ PLURES ESSE SIMUL POSSINT VERI PAROCHI.

Indicabimus primo quænam sit doctorum hac de re sententia: tum rationes eorum qui unicitatem parochi tanquam essentialem requirunt excutiemus : ac demum contrariam conclusionem firmabimus.

§ I.

Exponitur doctorum hac de re sententia.

Cardinalis de Luca (in concilium Tridentinum, discursu 9, n. 3 et seq.) : « Hinc proinde, quando contingit quod occa-
« sione relationis quæ fieri solet in visitatione liminum, Sacra
« Congregatio Concilii ad istius notitiam deveniat, ut adhuc
« in eodem antiquo usu continuetur, quod scilicet exercitium
« curæ sit promiscuum penes omnes de capitulo, vel collegio,
« per eam enixe præcipi solet hæc deputatio vicarii ex eodem
« collegio, vel extra, prout facti qualitas exigat.

« Super vicariorum autem unicitate vel pluritate, nihil
« statutum est (a concilio Tridentino), et merito, cum id ex
« facti qualitate pendeat, an scilicet unus tantum supplere
« possit, vel potius duo vel plures requirantur. Quamvis enim
« rectorum seu parochorum pluralitas a jure prohibita sit,

« ob inconveniens ne una mulier duos vel plures habeat vi-
« ros, attamen id procedit in eo qui sit verus rector ac spon-
« sus ecclesiæ, non autem in ejusmodi vicariis, qui potius
« famulorum ac operariorum jure censendi sunt, cum id
« dictæ unicitati non adversetur : eodem modo quo eidem
« non adversatur ut ipsamet cura habitualis sit penes ali-
« quod capitulum et collegium constitutum ex pluribus
« personis; quoniam unicus censetur parochus, repræsenta-
« tus ab ipso corpore mystico seu politico, constituente unam
« personam formalem seu intellectualem ; singuli autem non
« sunt parochi. »

Barbosa (*de Officio et pot. parochi*, parte 1, c. 1, n. 43) : « Tota ejus (*nempe parochiæ*) cura uni presbytero tantum (qui « vocatur communiter parochus, seu plebanus, rector, sive « curatus : quia hæc nomina uti synonyma variantur) com-« mittitur... Nam sicut una mulier non potest duos vel plu-« res sponsos habere, nec unum corpus duo capita, quia esset « monstrum, sic nec ecclesia duos vel plures parochos sive « curatos (capite *Cum non ignores, de Præbenbis*, — Rota...) ; « et in una ecclesia unus debet esse sacerdos, sponsus et « rector, qui curam habeat (capite *In apibus* 7, q. 1 ; — cap. « *Sicut in una* 2, q. 2, — Rota...). Gonzales exinde infert ad « regimen parochialis ecclesiæ assumi debere unum paro-« chum, qui suo nomine et non cum aliis præficiatur : quia « si illi duo vel plures præficiantur, qui confessiones au-« diant et baptizent et alia ad curam spectantia faciant, « non dicerentur proprie parochi sive curati : et ideo Rota « (decis. 684, n. 2, parte 1, recentiss.) tenet, quod magis ve-« risimile est, quod cura sit apud unum quam duos. »

Reiffenstuel (in tit. 5, libri 3 decret., n. 30) : « Ad hoc ut « aliquod proprie dicatur beneficium curatum seu ecclesia « parochialis..., requiritur quarto ut *solus* suo nomine illud « regat : nam una ecclesia nonnisi unius sacerdotis esse debet « (capite *Cum non ignores* 15, *de Præbendis*), sicut et unum « corpus nequit habere duo capita ; alioquin foret mons-« truosum. »

Thomassinus item pluralitatem parochorum in una paro-chia, tanquam abusivum a canonica disciplina recessum pers-

tringit (*de Beneficiis*, parte 1, l. 1, cap 29, n. 5 et 6); ad quod tamen probandum, unicam ibi adducit Londinensis concilii, anni 1237, auctoritatem, Cæterum fatetur ipse usurpatum id olim fuisse; imo et multis in locis, adhuc eo quo scribebat tempore, usum illum perseverare : « Nemini non « compertum est, inquit, superesse in celeberrimis orbis « Christiani civitatibus exempla istiusmodi aliqua, paro- « chorum duorum vel plurium unam parochiam alternis ad- « ministrantium, suffragante consuetudine, et nescio qua ad- « versus canones (1) præscriptione » (loco citato).

Similia, apud plures alios canonistas reperies. Hinc, quamvis non desint etiam (ut infra ostenditur) qui putaverint ad rationem parochiatus non requiri necessario unicitatem, multo tamen communior videtur sententia quæ illam requirit.

§ II.

Expenduntur eorum rationes, qui unicitatem requirunt, ut quis sit vere parochus.

Allegant 1° caput *Cum non ignores* (*de Præbendis*); 2° *caput In apibus* (7,q. 1); 3° caput *Sicut una* (22, q. 2); 4° inconveniens ne una mulier plures viros habere videatur ; 5° inconveniens ne uni corpori plura capita monstruose aptentur ; 6° allegari etiam posset Tridentinum decretum de *peculiari* parocho unicuique parochiæ præficiendo. Porro ejusmodi rationes non videntur rem satis evincere.

Et 1° quidem perperam adducitur decretalis *Cum non ignores*. Nam ibi Alexander III non reprobat, quod plures uni ecclesiæ præficiantur, sed quod *unus* præficiatur *pluribus* ecclesiis : atque hoc sensu intelligenda esse verba, *cum non ignores quod una ecclesia unius debeat esse sacerdotis*, apertissime patebit cuilibet legenti decretalem ipsam, quæ est tenoris ejusmodi : « Cum non ignores quod una ecclesia unius de- « beat esse sacerdotis, mirabile gerimus et indignum, quod

(1) Cur canones illos ditissimæ vir eruditionis non citavit ?

« uni personæ locum in pluribus ecclesiis velis concedere : « vel in episcopatu tuo inducere consuetudinem ecclesiæ gallicanæ, quæ, cum unum ad plura recipiat beneficia, contra « sanctorum canonum instituta, non approbatur a nobis, licet « non possit præ multitudine delinquentium emendari. Cum « igitur nuntius presbyteri qui in duabus ecclesiis locum habere contendit,et quidam clerici alterius ecclesiæ ad nostram præsentiam accesserint contra eum, nos attendentes « non esse conveniens ut idem presbyter locum habeat in duabus ecclesiis, mandamus quatenus ipsum beneficio quod « habet facias manere contentum. » Miror a tot canonistis citatam hanc decretalem, ad probandum unicum in parochia constitui posse parochum ; cum ea verba *unam ecclesiam unius esse debere sacerdotis*, adeo aperte hunc sensum ex contextu referant, *unam* tantummodo ecclesiam, *non autem plures*, uni sacerdoti esse committendam.

2° Neque concludit a Barbosa citatum caput *In apibus*. In quo quidem textu, qui est sancti Hieronymi, adnotatur *singulos esse ecclesiarum Episcopos, singulos archipresbyteros, singulos archidiaconos, et omnem ordinem ecclesiasticum suis rectoribus niti* : sed ne syllaba quidem ibi de parochis agitur ; qui cæteroquin tempore Hieronymi vix ac ne vix quidam institui cœperant. Nec valeret illatio ex analogia : nam quando agitur de regimine seu gubernatione, constans quidem in ecclesia ordo viguit, ut unicus superior inferioribus suis imperaret ; et ideo unicus archipresbyter, non plures, cæteris presbyteris præerat,sicut unicus archidiaconus diaconibus.At vero ad meras administrationes et officia, quibus nulla inerat gubernii seu regiminis et externæ jurisdictionis potestas, solitum semper fuit vel unum vel plures simul deputare. Et hujusmodi est officium sacramenta et verbum Dei ministrandi, in quo stat proprium parochorum munus.

3° Magis ad rem facere videtur canon *Sicut in* (4, quæstionis 2, causæ 21), qui sic habet : Sicut in unaquaque ecclesia « unus presbyter debet esse, ita ipsa, quæ sponsa vel uxor « ejus dicitur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed « unum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam caste et « sincere regat. Unde interdicimus ut nullus præsumat ec-

« clesiam inter duos vel plures dividere : quia ecclesia Christi « uxor et sponsa debet esse, non scortum, sicut Calixtus « Papa testatur. » Dicit Gratianus legi canonem illum *in Rhemensi concilio* : sed Berardi (Gratiani canones, parte 1, cap. 37) existimat ex capitularibus Francorum fuisse desumptum. De quo quidquid sit, responderi potest : 1° huic obscuræ originis canoni, etiamsi de parochis intelligendus esset, non tantam inesse vim, ut solus quæstionem dirimere valeat. 2° Dici forsan potest per eos *presbyteros* qui ibi memorantur tanquam qui debeant *ecclesias regere*, et quorum ecclesiæ *sponsæ* et *uxores* nuncupantur, intelligendos esse, non meros parochos, sed prælatos fori externi jurisdictionem exercentes, et cum ea jurisdictione commissas sibi ecclesias gubernantes ; quales olim erant, præter Episcopos, abbates multi, capitulorumque et collegiatarum præpositi, atque alii presbyteri. Id aliquatenus innuit adducta in hoc canone Calixti Papæ auctoritas. Nam hujus pontificis epistola (ad quam collineatur) idem decernit, sed de Episcopis expresse agens : *Sicut*, inquit, *alterius uxor nec adulterari ab aliquo, vel judicari, aut disponi, nisi a proprio viro eo vivente, permittitur* ; *sic nec uxor Episcopi, quæ ejus ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur, eo vivente absque ejus judicio et voluntate, alteri judicari, vel disponi, aut ejus concubitu frui, id est, ordinatione, conceditur.* (Causa 7, q. 1, c. 39.) Et ideo forte glossa vocabulo *presbyteris* vocem *prælatos* substituit. Sic enim de quo ageretur explicat : « Quædam ecclesiæ duos ha- « bebant prælatos, quod cum relatum esset in Rhemensi « concilio, statuit concilium ut hoc de cætero non fiat ; sed « unaquæque proprium habeat prælatum. »

4° Ad rationem desumptam ex inconvenienti, ne una mulier plures viros habere videatur, respondemus negando parochis stricto sensu competere *sponsorum* denominationem. De quo videri potest Nardi (tom. 1, a pagina 78). Verus nempe totius diœcesis sponsus est Episcopus. Et ideo in ejus consecratione annulus ei imponitur, nec potest unquam sponte sua sponsam deserere. *Pontifex ergo* (aiebat Optatus Milevitanus, l. 5, contra Parmen.) *annulum portat ut se sponsum ecclesiæ agnoscat.* E contra parochi nullo consecra-

tionis ritu instituuntur; et parochias suas pro suo libitu in manibus Episcopi resignare possunt; unde et nullum accipiunt in signum spiritualis matrimonii annulum; sed deputantur dumtaxat ad officium (institutionis mere ecclesiasticæ) sacramenta ministrandi.

5° Ad inconveniens ne plura capita uni corpori aptari videantur, respondetur: præservari necessariam capitis unitatem in Episcopo, cui tanquam capiti parochiæ omnes tanquam membra in unitatem mystici corporis adhærent. Non autem necesse est, ut parochiani in perfectum corpus mysticum coeant cum omnibus eis qui aliquo officio ecclesiastico apud ipsos funguntur,

6° Ex Tridentino concilio allegari potest decretum (sess. 24, c. 13), quo jubentur Episcopi ut, *in iis locis ubi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent.* Non tamen videtur ex hoc textu rigorose concludi posse unicitatis parochi necessitatem. Nam *primo*, in hunc dumtaxat scopum tendere videtur synodus, ut certus populus unicuique parocho, et certus parochus unicuique populo assignetur. Porro ad hunc scopum necesse non est, ut unus tantum constituatur in unaquaque parochia parochus; sed etiamsi duo ponantur, certus erit quoad populum parochus, et certus quoad utrumque parochum populus. *Secundo* ex vocibus *peculiaremque parochum* concludi nequit eum necessario debere esse unicum; quia etiamsi duo constituantur, uterque satis erit certus et peculiaris quoad populum parochus. *Tertio*, etiamsi *peculiaris parochus* idem ibi sonaret ac *unicus*, rigorose tamen sancita unicitas non esset intelligenda, cum Episcopis facultas fiat ab hac norma certis in casibus recedendi; siquidem additur: *aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant.*

7° Neque videntur rem omnino evincere auctoritates quas adducit Thomassinus. Nam etsi reprobatam a sacris canonibus parochorum in una parochia pluralitatem pronuntiet, illos tamen canones non citat; et profert dumtaxat Londinensem anni 1237 synodum (parte 1, l. 1, c. 29, n. 5, necnon

Petrum Cantorem (parte 2, lib 3, c. 9 n. 8), Synodus porro Londinensis capite 12, sic habet : *Exigit ars nostra catholica ut unicus et in una ecclesia sit magister, perfectus ordine, habitu, vita, scientia et doctrina ; et quod pura sit ecclesiæ ordinatio atque simplex. Sed objectio diaboli multos facit in hoc dogmate deviare, dum interdum eo suggerente, non uni tantum una datur ecclesia, sed pluribus, prætextu plurium patronorum, ut sint plura capita in eodem corpore, quasi monstrum,* Et paulo infra : *Firmiter statuentes, ut nunquam deinceps in plures personatus vel vicarias una ecclesia dividatur : et quæ divisæ sunt hactenus, se quam citius facultas obtulerit integrentur : nisi forsitan sic instituta fuerit ab antiquo* (Apud Mansi, tom. 23. pag. 453, edit. Venet. 1779.) Omittendo quæstionem, an ibi agatur de meris parochis, et non potius de prælatis fori externi jurisdictionem exercentibus, responderi potest, a citata Synodo non habitam fuisse tanquam corruptelam rectorum unius ecclesiæ pluralitatem, quando ecclesia hæc cum ejusmodi pluralitate *ab antiquo instituta fuit.* Quæ restrictio magni momenti est, nec debuisset a Thomassino prætermitti. Præterea particularis alicujus synodi statuta, in corpus decretalium non inserta, vim juris communis non habent.

Petrum Cantorem allegat Thomassinus hoc modo : « Im-
« probat denique Petrus eum aliquarum ecclesiarum usum,
« ubi pluribus parochis una committebatur ecclesia, Lutetiæ
« potissimum. *Imo hodie plures quam duo, ut in ecclesia*
« *sancti Mederici, et multis aliis.* Devixit Petrus ante annum
« 1200. » Ad quam auctoritatem sic breviter responderi potest : Acriter etiam reprehendit Petrus Cantor ab eodem clerico plura simul beneficia obtineri ; quod tamen non impedit, quin legitime, imo et laudabiliter, ex rationabili causa, duobus beneficiis idem clericus donari possit. Quidni ipsius pariter contra pluralitatem rectorum in eadem parochia reprehensioni eadem limitatio apponeretur ? Venerabilis viri zelum exagitabat rei abusus ; ut adeo ejus verba ad rem ipsam, cum debitis circumstantiis adhibitam, non sint extendenda. Adde non adeo liquere, citatum Petri Cantoris locum esse eo sensu intelligendum, quem ei affigit Thomassinus. Mihi quidem

contextum perpendenti res dubia visa est. Quod tamen lectoris judicium sit. En ipsa Petri Cantoris verba (in ipsius opere cui titulus *Verbum abbreviatum*, capite 31, pagina 90, edit. *Montibus* 1639) : « Tales (1) male videntur interpretari ; « *apprehendent septem mulieres virum unum* (Isa. 4, 1). Vi- « deant ne incurrant illud jucundum figmentum adoles- « centis (2), qui cum diu moratus fuisset cum Patribus cons- « criptis in Capitolio, et ab eo quæreret mater quid diffinitum « esset, nolens revelare consilium, novam adinveniens stro- « pham, respondit matri suæ, audisse, quod de cætero plures « uxores erunt unius viri. Quo audito, mater, convocatis ma- « tronis ad ostium Capitolii, clamavit : Non duæ uni, sed una « duobus. Sed non duæ uni, sed duo uni. Imo hodie plures « quam duo, ut in ecclesia sancti Mederici, et multis aliis. » In toto autem capitis decursu pergit invehere contra clericos plura beneficia obtinentes.

§ III.

Etsi unicum in singulis parochiis constitui parochum regulariter magis expediat, illa tamen unicitas non videtur essentialiter requiri, imo nec a jure positivo exigi tanquam ex regula quæ nulli exceptioni obnoxia esse debeat.

Prænotanda.— 1° Posse curam *habitualem* residere penes collegium aliquod, verbi gratia, penes cathedrale capitulum, in confesso est apud omnes : et de facto hodie quamplurimis capitulis animarum cura reperitur adnexa ; quam tamen, cum ex Tridentino decreto per vicarium aliquem exerceant, in *habitu* dumtaxat retinere dicuntur. 2° Actualem etiam curam posse ad aliquod collegium pertinere omnino certum est; siquidem ante Tridentinam synodum plurima capitula de facto curam illam exercebant, omnibus ad id operam navantibus canonicis, certo quodam ordine ab ipsis capitularibus præs-

(1) Nempe clerici pluribus beneficiis donati, quos tanquam monstra et *bicipites bełluas* severe carpit.

(2) Id narrat Petrus Cantor ex Macrobio (libro 1 Saturnalium, capite 6).

cripto. Imo licet decreverit Tridentina synodus ad curam actualem esse vicarium aliquem deputandum, id tamen non ita rigorose fuit Episcopis injunctum, ut penes ipsos facultas non remanserit ab ea lege recedendi, sicubi forte rem aliter componi majoris utilitatis ratio suaderet; prout ex ipso Tridentino textu patet. Et de facto post memoratam synodum multis in locis perrexerunt capitula curam animarum per se ipsa exercere. Neque hoc negant qui unicitatem parochi omnino necessariam sustinent; sed adnotant verificari hanc unicitatem in collegio curam exercente; cum tunc resideat cura, non penes singulos canonicos, sed dumtaxat penes totum indivisim collegium, ex quo unica persona moralis coalescit. 3° Item constitui posse in una parochia *plures* vicarios curatos, remanente penes unicam (moralem saltem) personam *habituali* cura, vidimus supra a Cardinali de Luca assertum, neque id negat ullus canonista. 4° Præsens ergo controversia tota in eo vertitur, an in una parochia possint esse plures veri parochi, qui nec vicarialiter, seu nomine alterius, curam exerceant, nec coalescant in collegium seu in unicam moralem personam. Quam quæstionem affirmative resolvi posse existimamus.

Probatur I°. — *Ex ipsa parochiatus essentia.*— Nam possibilis concipitur duorum, verbi gratia presbyterorum deputatio, quorum unusquisque ex officio teneatur verbum Dei et sacramenta ministrare certo alicui populo, qui vicissim teneatur sacramenta ab alterutro exhis presbyteris recipere. Minime enim repugnat duas personas teneri in solidum aliquid præstare : item non magis repugnat præcipi certi loci incolis ut sacramenta recipiant ab alterutro ex duobus assignatis presbyteris, quam ipsis præcipi ut ab uno solo recipiant. Verificata autem illa hypothesi, quid quæso utrique hujusmodi presbytero deerit, ex quo nequeat pro vero parocho haberi ? De utroque enim verum erit, curam animarum ab eo exerceri ; et quidem proprio nomine, non autem tanquam alterius vicario ; et ex officii sui obligatione ; et in aliquem determinatum populum. Quod autem huic populo liberum sit ad alterutrum recurrere, non tollit necessarium vinculum parochianos inter et parochum. Nam hæc ipsa obligatio sacramenta

recipiendi *ab alterutro, non ab aliis*, est verum ligamen quoad utrumque presbyterum : obligatio scilicet recurrendi ad Caium nisi recurratur ad Titium, et vice versa, est vera obligatio erga Caium et Titium, Et cæteroquin, nisi duo isti presbyteri dicendi sint veri curati seu parochi, quid vocandi erunt ? Non erunt vicarii: non erunt meri capellani : sed et diversum erit eorum officium ab officio cæterorum omnium presbyterorum, quibus nulla incumbit animarum cura. Remanet ergo ut sint curati seu parochi, et pro talibus habendi.

Probatur II°. — *Ex doctrina et praxi Sacræ Congregationis Concilii,* — Certum est a Sacra Congregatione Concilii non habitam fuisse tanquam illegitimam parochorum pluralitatem. Nam in causa quadam Tyburtina 18 junii 1757 (*Thesauri,* tomo 26, pag. 49) agebatur de duobus parochis ejusdem parochiæ ad unum redigendis. Mortuo scilicet altero, decreverat Episcopus unicum posthac fore parochum, cui assisteret capellanus seu vicarius. Reclamantibus autem parochianis, propositum Sacræ Congregationi fuit dubium, *an sit locus reductioni duorum parochorum unius ejusdemque parochialis Castri Madamæ* (id erat parochiæ nomen) *ad unum solum parochum, qui onus habeat retinendi capellanum coadjutorem in cura animarum ab Episcopo approbandum?* Et responsum est *negative*. Voluit nempe Sacra Congregatio retineri ut prius duos parochos. Inconvenientibus autem ab Episcopo objectis (ex perpetuis nempe inter duos parochos dissidiis) providit hoc modo: *Episcopus incumbat exerceri dietim curam animarum per utrumque, sublata alternativa*(1) *et ad mentem: et mens est ut fiat massa communis ex incertis emolumentis æqualiter dividendis.* Ergo Eminentissimis Patribus persuasum fuit, non tantum non requiri essentialiter parochi unicitatem, sed et positivo juri non repugnare pluralitatem. Neque enim duos parochos in una parochia conservatos voluissent, si id anticanonicum existimassent.

(1) Cum nempe duo parochi, per alterna tempora curam exercerent, frequens erat ut parochiani, qui uni adhærebant, baptisma puerorum aliave procrastinarent, donec in actu curæ esset ille cui favebant; id utroque suis suadente, ut emolumenta inde sibi accrescerent.

Nec objiciatur, eos parochos fuisse forsan *curatos* dumtaxat *vicarios*, penes aliquod collegium remanente *habituali* cura ; quo casu plures constitui posse negat nullus. Nam contrarium ex relatione expresse constat, De quo ne ulla remaneat dubitatio, nonnulla ex relatione secretarii verba subjicimus: « Una est, inquit, in Castro *Madama* Tyburtinæ diœceseos « parochia, una parochialis ecclesia, in qua tamen non unus, « sed duo parochi sunt, diviso per hebdomadas curæ anima- « rum exercitio. Perpetuæ hinc inter eos dissensiones, jur- « gia, lites... Ut his morbis medicinam pararet Episcopus, « cum transacto mense decembri alter ex his parochis obiis- « set, statuit duos parochos ad unum dumtaxat redigere, « dato onere perpetuo assumendi capellanum, ab Episcopis « approbandum, qui eum adjuvet in cura animarum. Consi- « liis Episcopi restitit populus illius Castri..... Preces igitur « tam populus quam Episcopus obtulerunt Sacratissimo « Principi nostro... Auditus fuit Episcopus... Eadem quæ « Episcopus habet nunc in suo libello promotor fiscalis, ad- « dens sacrorum canonum, et nuperam Tridentini dispositio- « nem, qua vetitum est duos esse parochos in una parochia: « neque ad rem pertinere exempla quarumdam parochia- « lium, in quibus plures curam animarum exercent, cum hic « agatur de *jure formali* parochiæ, quod apud plures esse « non potest; diversum si, ut in contrariis exemplis, agere- « tur de *exercitio* curæ, quod inter plures dividi potest, cum « apud alium sit jus formale parochiæ, ut in capitulis et col- « legiis: nullam denique habendam esse rationem vetustis- « simæ consuetudinis, cum corruptela et abusus dici debeat, « quando sacrorum canonum dispositioni adversatur. Hæc « promotor. » Is certe promotor thesim contrariam strenue sustinuerat: et nihilominus causa cecidit.

Argumentum etiam desumere possemus ex causa *Sutrina* (16 junii 1791 ; *Thesauri* tomo 60, pag. 170). Ex qua tamen (brevitatis ergo) hæc tantum verba promenus: « Licet unicam « parochi duo regere valeant ecclesiam (Giraldi, animadver- « siones et additiones ad Barbosam, *de Officio et potest pa-* « *roch.*, caput 1, n. 44, et Sacra Congregatio in Tyburtina « 25 marti et 9 junii 1757), distincti tamen censentur ubi se-

« paratum habent gregem. » His paucis verbis habes, et nobis assentire clarissimum Giraldum, et receptam esse apud Sacram Congregationem Concilii doctrinam quam sustinemus, plures nempe constitui posse in una parochia veros parochos; atque id neque essentiæ parochiatus adversari, neque ex lege ecclesiastica absolute prohiberi.

Cæterum in citato *resolutionum Sacræ Congregationis Concilii Thesauro*, plura alia reperies exempla præpositorum uni parochiæ duorum pluriumve parochorum.

Item in Gardelliana collectione *decisionum Sacræ Congregationis Rituum*, sub n. 3833, reperies Parisiis extitisse parochiam, a tribus simul parochis gubernatam, qui postea ad duos reducti sunt. Qui duo, cum inter se de præeminentia contenderent, eorum dubia resolvit Sacra Congregatio die 11 decembris 1728. Et ne minimo quidem verbo ibi innuitur, anticanonicam esse hujusmodi a duobus rectoribus parochiæ gubernationem ; sed contrarium plane supponitur.

Probatur III°. — Ex capite 18 sessionis 24 Tridentini concilii, Ibi expresse dicitur curam animarum in aliqua ecclesia posse ab Episcopo committi pluribus: *Etiamsi cura, vel Episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur*; *etiam in ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus curam animarum dare.* Equidem eludi aliquatenus potest illa probatio, dicendo ibi agi de casu quo verus parochus est ipsemet Episcopus; ita ut illi plures, ad merum curæ exercitium deputati, nihil aliud sint quam vicarii, alieno nomine, non suo, ministrantes; ac proinde a ratione veri parochiatus deficientes: non autem negari plures in una parochia constitui posse hujusmodi curatos vicarios. At vero facili discursu, ex legitimitate plurium in una parochia vicariorum curatorum, concludi potest nec repugnare parochorum proprie dictorum pluralitatem. Sumamus casum ecclesiæ cathedralis in qua capitulum habet curam dumtaxat *in habitu*; ita scilicet ut jus ipsi non competat sese in exercitio curæ immiscendi. Ibi deputatus ad curæ exercitium, quantumvis dicatur *vicarius*, in re tamen eam exercet proprio nomine. Nam exercere curam nomine alicujus, qui jus

non habet in exercitio curæ sese immiscendi, est revera illam exercere *independenter ab eo*: sed exercere curam independenter ab aliquo, non est eam exercere tanquam ipsius vicarius: ergo qui hoc modo curam exercet, eam revera exercet proprio suo nomine: ergo improprie dumtaxat dicitur vicarius; in re autem est verus parochus. Jam vero plures constitui posse ejusmodi vicarios curatos, remanente penes primitivum parochum *habituali* solummodo cura, in confesso est apud omnes: cum ergo ejusmodi vicarii veri sint parochi, plures in una parochia constitui veros parochos essentiæ parochiatus non adversatur. His vero perpensis, ita concludendum videtur: 1° si agatur de *essentia parochiatus*, huic non adversari pluralitatem parochorum in una eademque parochia; 2° si quæstio sit an de facto per universales Ecclesiæ leges pluralitas hæc interdicta fuerit, rem non omnino liquere; 3° si pluralitas hæc de jure communi interdicta censenda sit, prohibitionem illam intelligendam esse tanquam regulam generalem, certis de causis exceptionibus obnoxiam; non autem eo sensu quod intrinsece et semper malum sit atque corruptela ejusmodi pluralitas; 4° si quæratur, num *ordinarie* magis expediat unicum præfici unicuique parochiæ rectorem, affirmative esse respondendum.

CAPUT III.

PERPETUITAS NON EST DE ESSENTIA PAROCHIATUS, SEU NON REQUIRITUR UT QUIS SIT VERE PAROCHUS.

Etenim essentialiter requireretur vel ratione officii, vel ratione beneficii: atqui neutrum dici potest,

§ I.

Non essentialiter requiritur perpetuitas ratione parochialis officii.

Prænotanda. — 1° *Perpetuum* intelligitur officium, quod semel alicui commissum, nequit ab eo retrahi, nisi judicialiter et ex causis in jure determinatis; 2° e contra dicitur *manuale*,

seu amovibile, vel etiam revocabile ad nutum, quando ad arbitrium superioris, vel alterius id jus habentis, potest officium alicui commissum ab eo retrahi, absque judicii forma, et vel sine causa, vel saltem ex causa qualicumque rationabili, etiam non expressa in jure; 3° hic porro solvenda venit quæstio, utrum parochiale officium ex natura sua debeat esse dicto sensu perpetuum, an vero dari possit verus parochus, etsi ad nutum ab officio revocabilis.

Propositio. — *Parochus, attenta ipsius officii essentia, tam potest esse ad nutum revocabilis quam perpetuus.* — Nam tota ratio parochialis officii in eo stat, ut quis exercendam habeat animarum curam, ex obligatione et nomine proprio, quoad certum aliquem diœcesis populum, qui vicissim ab eo sacramenta recipere teneatur : atqui omnia hæc requisita optime stant etiamsi parochus sit ad nutum revocabilis; nam presbyter quamvis deputetur ad beneplacitum Episcopi, seu ad nutum revocabilis, potest vere deputari ad exercendam curam apud aliquem populum, et quidem ex obligatione et proprio nomine, et ita ut simul obligetur hic populus ad illum presbyterum tanquam proprium suum parochum recurrere. Quod ita per se patet ut nulla probatione indigeat. Unde qualitas hæc perpetuitatis seu manualitatis, est officii parochialis essentiæ omnino accidentalis et extrinseca; ac proinde parochus ad nutum revocabilis tam vere est parochus, quam in perpetuum deputatus. Hinc quoties a Sacra Congregatione Concilii quæsitum est, num obligationes quæ de jure parochis incumbunt, censeantur etiam astringere curatos ad nutum revocabiles, responsum est affirmative, modo isti curati propri onomine curam actualem exercendam habeant, et cura hæc *actualis* non resideat penes alterum, cujus sint dumtaxat vicarii. Et sic multoties responsum est, eos teneri ad residentiam, et ad offerendum sacrificium pro populo, non minus ac si forent perpetui (vide id passim in *Thesauro resolutionum*).

Objicies 1°. — Est de ratione parochiatus, ut sit officium pastoris : atqui pastor debet cognoscere oves suas, quod recte non succedet nisi sit in officio perpetuus; ergo. — Respondeo 1° parochum non esse pastorem in stricto sensu, prout supra

probatum est. Verus quippe pastor cujuslibet parochiæ est Episcopus; et huic proprie incumbit officium cognoscendi oves suas, ut eis de opportuna cura providere queat, per se vel per alios. Respondeo 2° posse a parocho, etsi amovibili, sufficienter dignosci parochianos : nam ex eo quod alicujus diœcesis parochi sint amovibiles, non necessario sequitur eos de facto frequentibus revocationibus et mutationibus exagitari. Cum enim id nocivum foret et officio Episcopi contrarium, inter ordinarie contingentia poni non debet; sed e contra supponendum est, ejusmodi revocationes nonnisi ob majorem parochiarum utilitatem *ordinarie* obventuras. Adde, si quando secus accidat, et nociva parochiæ vel etiam parocho, atque irrationabilis revocatio probari queat, non deesse tunc recursum ad superiorem, quo actus Episcopi corrigatur, ut infra exponetur. Hinc nequaquam æstimandum est, ex conditione revocabilitatis præpediri parochos, quominus parochianos sùos sufficienter cognoscant.

Objicies 2°. — Parochus est sponsus parochiæ; et de ratione spiritualis matrimonii est ut sit perpetuum seu indissolubile. — Respondeo 1° parochis stricto sensu non competere sponsorum quoad parochias suas titulum. Proprium id Episcopis supra vindicavimus. Respondeo 2° si valeret objectio, neque possent parochi pro libitu parochias suas resignare et deserere, sicut Episcopus nunquam potest propria voluntate ecclesiam suam dimittere ; quod tamen omnino falsum est.

Præmissas objectiones ex nomine *pastoris* et *sponsi* parochis tribui solito, confutat Pignatelli (tomo 9, consult. 143, n. 24) in hunc modum : « Quod dicitur curatos esse *sponsos* « Ecclesiæ, *patres* et *pastores* populi, ideoque debere esse « perpetuos, facile evitatur, considerando quod hæc *proprie* « conveniunt Episcopis, qui vere sunt animarum pastores « (ut probat canon *Quamvis* 7, q. 1 ; caput *Ne pro defectu*, « *de Elect.* ; concilium Tridentinum capite 1 sessionis 6, *de* « *Ref.* ; Barbosa...) iis enim oves peculiariter fuerunt demandatæ. animarumque cura ipsis principalius incumbit. Unde et Episcopus dicitur curatus ecclesiarum suæ diœcesis.., « et tota diœcesis dicitur parochia Episcopi... Ipsi veri pa-

« tres... verique sunt Ecclesiæ sponsi... Ad hoc significandum « defert annulum. Minus autem proprie hæc conveniunt pa- « rochis inferioribus...; nullo autem modo curatis hisce amo- « vibilibus. » Addit ibidem Pignatellus curatos illos amovibiles non posse *vere curatos dici*; atque non paucos in hunc sensum auctores citat : ego vero non video quomodo veri curati non sint, etsi amovibiles, ii quibus animarum cura *proprio nomine* exercenda committitur.

§ II.

Neque essentialiter requirítur perpetuitas ratione beneficii.

Ideo quilibet parochus esset necessario perpetuus ratione beneficii, quia non posset quis constitui verus parochus, nisi simul ei conferretur aliquod beneficium, et nisi illud beneficium foret perpetuum, ita ut nempe eo privari non posset parochus sine judicio et ex certis in jure determinatis causis : atqui potest quis verus esse parochus absque ullo ipsi collato beneficio; et etiamsi requireretur aliquod beneficium, potest illud beneficium esse *manuale* seu ad nutum revocabile : quod antequam probemus, communiter receptam de beneficiis notionem breviter præmittimus.

1° Beneficium definiri solet, *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii, auctoritate ecclesiastica constitutum* (vide Leurenium, initio sui *Fori beneficialis*). Dum autem in hac definitione dicitur *jus perpetuum*, quomodo illa vox *perpetuum* intelligenda sit, sic explicat citatus auctor : « Respondeo 1° eam perpetuitatem « intelligi, requiri et sufficere ad rationem beneficii, quæ « inest ipsi huic juri seu beneficio, quatenus hoc semel auc- « toritate prælati ecclesiatici constitutum, manet semper. Ita « ut sublatum ab uno, sive voluntate superioris, sive per « mortem possessoris, non pereat, sed vacet, remaneatque al- « teri conferendum : secus ac contingit in pensione, quæ cum « pensionario extinguitur, et vel hinc rationem beneficii non « habet. Respondeo 2° beneficium, prout in jure canonico et

« communius accipitur hoc nomen, esse et dici *perpetuum* « quia non tantum in se, modo jam explicato, sed simul « etiam in beneficiato, quantum est ex se, perpetuatur, dum « ei non datur ad tempus, sed in titulum perpetuum. Atque « ita jam beneficia *manualia*, etsi priori modo in se perpe- « tua, quia tamen ex se non perpetuantur quoque in bene- « ficiato, a ratione beneficii communiter accepti recedere di- « cendum erit. » *Forum benef.*, t. 1, q. 4.) Addit tamen ibidem Leurenius, relicta hac communi beneficii acceptione, *verum* dari posse beneficium, licet *manuale* sit, id est non perpetuum quoad beneficiatum, ex speciali aliquo jure, verbi gratia, ex eo quod tale primitus ex fundatione constitutum sit. Quod etiam iterum tradit quæstione 64, ubi ad quæsitum, *num qualitas manualitatis insit beneficiis regularibus omnibus, et e contra absit a sæcularibus*, respondet : « Nega- « tive : etsi enim beneficia sæcularia præsumantur perpetua « quia fere omnia sæcularia sunt perpetua ; regularia e con- « tra præsumantur manualia, quia fere omnia sunt talia ; « interdum tamen regularia sunt perpetua, et sæcularia « sunt manualia, quia sic constitutum ex fundatione, vel « privilegio apostolico, vel præscriptione. » Cæteros doctores si adeas, reperies ab omnibus tanquam certum admitti, dari posse beneficia *manualia* ; imo tenent beneficia regularia ordinarie esse (et in dubio præsumi debere) talia.

2° Equidem tradunt etiam communiter beneficia manualia non haberi pro veris beneficiis in quodam *proprio et stricto* juris sensu ; prout inter alios sic exprimit Fagnanus : « In « materia favorabili, appellatione beneficii includuntur etiam « beneficia manualia ; quæ tamen vere et proprie non sunt « beneficia » (in caput *Ad audientiam, de Rescriptis*, n. 118). Atvero ex eo quod in hoc *strictiori* sensu nequeant beneficia manualia beneficiorum nomine donari, nequaquam sequitur ejusmodi beneficia non posse existere ; cum e contra, posse aliquod beneficium, etiam sæculare, et sive simplex sive etiam curatum, *manuale* esse ex fundationis lege, vel ex aliquo alio speciali jure, neget nullus. Quibus prænotatis, sit :

Propositio I^a^. — *Potest quis verus esse parochus absque ullo ipsi collato beneficio.* — Nam etiamsi quis nullum bene-

ficium habeat, nihilominus si curam alicubi exerceat ex officio et proprio nomine, pro parocho ab omnibus habebitur. Consistit nempe tota parochiatus ratio in officio, non in beneficio : imo beneficium non dicitur curatum et parochiale, nisi quatenus fundatum ad sustentandum curatum seu parochum. Unde si necesse foret conferri beneficium illi qui deputatur in parochum, ea necessitas ex jure dumtaxat positivo exurgeret, non autem ex ipsa parochiatus natura. Sed neque ex positivis Ecclesiæ legibus requiritur ut cuilibet parocho beneficium aliquod conferatur. Potest enim erigi aliqua ecclesia in parochialem, et ibi deputari verus parochus, quin ullum fundatum fuerit in hunc finem beneficium. Exigitur tantum in hujusmodi erectionibus ut honestæ parochi sustentationi provideatur per certos aliquos proventus; id est, ve per portionem congruam ex bonis matricis ecclesiæ erogandam, vel per annuam subventionem a parochianis ex obligatione solvendam, vel alia qualibet ratione, modo certam faciat decentem parochi sustentationem. Imo casum expendens Fagnanus, quo necessaria foret, ob bonum animarum, novæ parochiæ erectio, et novo parocho provideri non posset de convenienti sustentatione (ob egestatem nempe eorum omnium qui de jure contribuere tenerentur), sic concludit : « Ad extremum, si neque id fieri possit, et egestate omnes « laborent, novus parochus propriis manibus ex artificio victum sibi quærat (capite *Clericus* 1 et 2, 91 distinctionis) : « et sic dabitur casus in quo parochialis ecclesia construi po- « terit sine dote » (in caput *Ad audientiam, de Ecclesiis ædific.*. n. 6 et sequentibus). In hoc certe casu daretur verus parochus absque ullo beneficio.

Propositio II^a. — *Etiamsi non posset quis esse parochus absque beneficio, non sequeretur requiri beneficium perpetuum, sed sufficeret beneficium manuale seu ad nutum revocabile.* — Nam beneficii perpetuitas requireretur, vel quia beneficium manuale non foret *verum* beneficium, vel quia non sufficeret verum beneficium, sed requireretur illa verorum beneficiorum species quæ manualitatem excludit. Atqui neutrum dici potest :

1° Falsum est beneficia manualia non esse *vera* beneficia.

Quam conclusionem ex professo tradit Leurenius (*Forum beneficiale*, quæstione 84) his verbis : « Num beneficia vere ma-
« nualia seu ad nutum removibilia, sint vere beneficia ?
« — Respondeo : præter ea, et juxta ea, quæ dicta sunt ca-
« pite præcedente, ad quæstionem 4, de perpetuitate (1), dici
« posse et esse *vere* beneficia ; dum dicitur, perpetuitatem
« illam beneficio essentialem, non respicere connexionem
« stabilem inter beneficium et beneficiatum, sed connexionem
« oneris et illius (ut ita dicam) emolumenti recompensativi ;
« quod onus, correspondensque ei jus, omnino idem habent
« pro tempore obtinentes ea, ac obtinentes cætera beneficia in
« perpetuum. » Ex hac Leurenii doctrina (quam tenent etiam Garcias, Lotterus et alii a Leurenio citati), patet duplicem distinguendam esse beneficii perpetuitatem : eam nempe quæ fundationem respicit, et eam quæ opponitur manualitati seu revocationi ad nutum. *Prior* quidem essentialis est beneficio ; ita ut nequaquam verum dici possit beneficium, nisi fundetur in perpetuum. Unde, verbi gratia, si quis fundaret certos redditus usque ad certum dumtaxat tempus, vel alicui determinatæ personæ quoad vixerit, solvendos, id *pensio* foret, non beneficium : et elapso præfixo tempore, seu mortua persona, non daretur vacatio beneficii, sed pensionis extinctio. Atvero *posterior* perpetuitas, quæ nempe excludit revocabilitatem ad nutum, essentialis non est ad constituendum verum beneficium. Et revera cum, amoto ad nutum uno beneficiato, vacet beneficium, et possit alteri conferri ; et sic in perpetuum perduret, vel ab aliquo possessum, vel vacans et conferibile ; non est cur pro vero beneficio non habeatur, et hoc nomine donetur.

Quo autem sensu vacare dici possint beneficia etiam manualia, tradit citatus Leurenius (ibidem, quæstione 83) ; « An
« beneficia manualia dicantur vere vacare, possintque re-
« signari ? — Respondet affirmative Lotterus.., citans pro
« hoc præter Glossam et Rotam, Gonzalem... E contra sentit
« Cardinalis de Luca (*de Beneficiis*, discursu 97, n. 18), cum

(1) Jam supra transcripsimus quæ a Leurenio sub hac quæstione 4 traduntur.

« non dentur in titulum, seu titulum non habeant (quamvis « Corradus dicat posse conferri in titulum, nempe amovibilem) « non posse dici vacare et conferri; intelligendo hoc de va- « catione vera et propria ad effectus juris, illum præsertim « reservationis et affectionis; posse nihilominus largo modo « dici vacare per mortem naturalem, vel civilem, vel per re- « motionem. » Ex quo patet vacare dici posse beneficia etiam manualia, licet non eo peculiari sensu, qui certos quosdam juris effectus secum trahat.

2° Item falsum est ad constituendum verum parochum requiri, non tantum verum beneficium, sed etiam beneficium manualitatem excludens. Nam hæc exclusio manualitatis requireretur, vel ob essentiam officii parochialis, vel ob essentiam ipsiusmet beneficii (quæ scilicet non reperiretur in beneficio manuali), vel ex jure positivo : atqui nullum ex his dici potest : non duo priora, ut modo probavimus; non tertium : siquidem nedum leges ecclesiasticæ alicubi decernant, non posse quem esse parochum nisi inamovibilem, agnoscunt e contra et supponunt dari posse beneficia curata manualia. Et primo certum est talia esse ordinarie beneficia curata *regularia*, id est, fundata ad sustentandos rectores earum ecclesiarum quæ ex lege fundationis regendæ sint per religiosos, non per sæculares presbyteros. Cum nempe religiosi strictam obedientiam profiteantur prælato suo, debet is posse subditum suum religiosum pro arbitrio a parochiæ regimine amovere, ac proinde eum beneficio huic regimini adnexo privare. Et ideo nisi constet de contrario privilegio apostolico, beneficium quodlibet regulare manuale censendum est.

Atvero sæcularia etiam beneficia curata, esse vere manualia, si ita cautum sit in fundatione, aut a Sede Apostolica dispositum, aut per præscriptionem obtentum, est communis canonistarum doctrina. Id tantum particulare est ejusmodi beneficiis curatis, quando sæcularia sunt, ut in dubio, debeant de jure præsumi perpetua : ex ea nempe ratione, quod soleant fundari cum ea conditione, ut beneficiatus nequeat eo privari, nisi per viam regularis judicii, et ex causis in jure statutis. Quæ conditio quando non exprimitur, de jure subintelligitur.

Et quod de facto exstiterint et hodiedum exstent ejusmodi manualia beneficia, licet curam animarum sibi adnexam habentia, perspectum habebit, qui vel obiter pervolverit *Thesaurum resolutionum Sacræ Congregationis Concilii*.

Unde revera perpetuitas parochis nequaquam necessario inhæret ratione beneficii: aliunde nec ratione officii: ergo nullo modo.

Hallucinantur proinde qui existimant parochorum munus perpetuitatem ex essentia sua secum trahere. Hallucinantur pariter qui parochos manuales seu ad nutum amovibiles, tanquam quid a jure communi dissonum, vel antiquæ disciplinæ contrarium reputant. Quod magis patebit ex sequenti capite.

CAPUT IV.

AN CURATORUM AMOVIBILITAS CONTRARIA SIT SACRIS CANONIBUS, AUT BONO ECCLESIÆ.

Sedulo distinguenda est duplex curatorum revocabilitas: altera nempe *ad nutum Ordinariorum*, altera *ad nutum parochorum principalium*, id est, capitulorum, monasteriorum, aliorumve hujusmodi, qui curam animarum adnexam habentes, vicarium ad illam exercendam deputant, et eum pro nutu suo revocant et mutant. Qua prætermissa distinctione, non pauci moderni scriptores vehementer errarunt, de priori revocabilitate existimantes dictum, quod sacri canones sanxerunt dumtaxat de posteriori, id est de revocabilitate vicariorum curatorum per capitula, monasteria, etc., parochorum principalium personam gerentia. Hinc primo separatim agemus de hac vicariorum curatorum per parochos principales revocabilitate; et concedemus eam revera reperiri a sacris canonibus oppugnatam, et intra certos limites coarctatam. Tum alteram revocabilitatem, *ad nutum nempe Episcoporum*, expendentes, concludemus eam nec antiquæ disciplinæ, nec juri communi ante Tridentinam synodum vigenti, nec Tri-

dentinis sanctionibus, nec etiam (seclusis abusibus) Ecclesiæ bono adversari.

§ I.

Revocabilitas ad nutum, quam aliquatenus aversantur canones, et certis coarctant limitibus, non est revocabilitas per Episcopum, sed revocabilitas vicariorum curatorum per parochos principales, verbi gratia, per capitula aut monasteria, quibus animarum cura adnexa est.

I. Erant olim quamplurimæ parochiæ monasteriis, capitulis, dignitatibusve, aut etiam mensæ episcopali adnexæ. In iis autem solebat exerceri animarum cura per vicarium: atque is vicarius non tantum eligebatur et deputabatur a parocho principali, id est, a monasterio, vel capitulo, sed et ab eodem pro arbitrio revocabatur et mutabatur. Parochiæ redditus (verbi gratia, decimæ, prædiorum fructus, etc.) retinebantur a capitulo, monasteriove, aut a mensa episcopali; et vicario ad curam deputato modicum salarium, tanquam mercenario, erogabatur. Id porro tanquam noxium concilia et Romanorum Pontificum decreta gnaviter insectati sunt; duobusque remediis malo obsistere sategerunt; decernendo nempe: 1° ut certa congrua portio vicario curato erogari deberet; 2° ut idem vicarius curatus semel constitutus non posset revocari ad nutum parochi principalis, id est, capituli, monasteriive, sed perpetuus in officio suo esse deberet.

II. Rem ita sese habuisse paucis ostendamus. « Non mo-
« nachi autem soli (ait Thomassinus), sed Episcopi paro-
« chiales habebant ecclesias, quarum proventus percipiebant,
« congrua portione parochis vel vicariis assignata (parte 1,
« lib. 2, c. 27, n. 4). Concilium Abrincatense anni 1172 eos
« gravi cauterio inussit, qui conductitiis annuisque vicariis
« ecclesias commendarent (ibid., n. 5). Concilium Avenio-
« nense anni 1232 statuit, ut in ecclesiis, quas monachi adgu-
« bernabant, priores Episcopo ante sex menses vicarios of-
« ferrent perpetuos; alioqui ipsimet Episcopi perpetuos eli-

« gerent et instituerent, certaque proventuum parte dota-
« rent : *In singulis ecclesiis per monachos solitis gubernari,*
« *infra sex menses priores earum suis Diœcesanis ad curam*
« *animarum perpetuos presbyteros reprœsentent* (can. 29).
« Sed aliquanto luculentius ex concilio Arelatensi anni 1260
« declaratur, quæ illis in regionibus et parochorum esset
« conditio et vicariorum. Parochias plerasque omnes mona-
« chi regebant ipsi per semet, et administrationis suæ ra-
« tionem Episcopo referebant. At cum postea cœpissent ipsi
« minus residere, temporarios substituerunt sibi vicarios,
« nonnunquam ne substituerunt quidem ullos : statutum est
« in hoc concilio, ut vel regulares ipsi residerent, vel vicarios
« sufficerent sibi perpetuos, cum stipendiis idoneis ; alioqui
« Episcopi ipsi perpetuos ibi instituerent vicarios : *Quia ma-*
« *jor pars ecclesiarum parochialium hujus provinciæ ad mo-*
« *nachorum vel conventuum regularium pertinet prioratus, de*
« *quorum collegiis aliqui consuerant in ipsis ecclesiis continue*
« *residere, et de ipsis rationem reddere prælatis : nunc au-*
« *tem,* etc... *vicario perpetuo per prælatum instituto,* etc...
« (can, 1). Ex hoc canone elucescit : 1° jam tum vicarios non
« alios probatos fuisse, quam perpetuos ; et *mercenariorum*
« nota inustos fuisse, qui ad tempus quasi conductitias ope-
« ras locabant. Hoc enim illis elogium appingitur in concilio
« Arelatensi : *nullo sacerdote relicto alicubi mercenario.* 2°
« Si temporarii nonunquam et mercenarii admitterentur
« vicarii, id gravis extorquebat necessitas ; tumque magna
« adhibebatur circumspectio, et ad tempus breve admitte-
« bantur, dum perpetuus institueretur, ut liquet ex ejusdem
« canonis clausula, *nec ultra mercenariis, nisi bonis et ex-*
« *pertis, et hoc ad tempus, et ex causa dominicarum ovium*
« *regimina committantur.* 3° Si quæ sint provinciæ, ubi non
« parochi vel curati, sed vicarii vulgo regunt ecclesias, ideo
« factum, quod eæ parochiæ quondam monachis concessæ
« fuissent, qui parochorum primitivorum nomen et insignia
« retinentes, vicarios ibi constituebant perpetuos. Idque in
« hoc eodem canone perspicuum est. 4° Monachi ipsi per
« sese, vel canonici regulares has administraverant aliquando
« parochias, et omnes parochorum impleverant partes ; nec

« canone isto potestas ejusmodi eis abrogatur. 5° Liquet hinc « etiam qui fuerint *prioratus curati :* parochiæ enim istæ a « prioribus monachis administrabantur... 6° Vicariatus istos « vere titulos dici potuisse beneficiorum... 10° Non omnes « vicarii perpetui profecti sunt ex monachis, quibus crede- « bantur parochiæ; et ab ipsis enim quidam instituebantur « ab Episcopis, in parochiis illis quæ eorum episcopali men- « sæ erant adscriptæ. Præter canonem supra ea de re lau- « datum, accipe et aliud hoc documentum. Cum anno 1248 « Cardinalis Legatus Odo ecclesiis Cypri pulcherrima sanc- « tioris disciplinæ capita commendaret sanciretque, Epis- « copis præcepit, ut capellanos perpetuos in omnibus insti- « tuerent urbis rurisque parochiis : *In aliis parochiis, tam « civitatum, quam diœceseon, idonei et perpetui instituan- « tur presbyteri.* Et paulo ante : *Præcipimus tam Archie- « piscopo, quam Episcopis, ut in suis ecclesiis magistros ca « pellanos, qui curam teneantur agere animarum, institu- « ant, quos perpetuo volumus in suis remanere officiis.* Non « erant ergo nisi vicarii perpetui, sive in ecclesiis cathedra- « libus, sive in parochiis aliis. 11° Nec ea sola erat nominis « discrepantia; erat res ipsa longe diversa : portione enim « congrua contenti esse jubebantur vicarii perpetui : at pa- « rochi decimas proventusque prorsus omnes percipiebant,..

« Concilium Salisburgense anni 1274 (can. 8, 9, 10) gra- « vissime objurgavit parochos, qui ecclesias regerent per vi- « carios ad nutum revocabiles. Residere ipsos sanxit, ut- « que in beneficiis quorum cura vicariis demandari soleret, « vicarii ipsi Episcopo offerrentur, qui eam ipsis perpetuam « curam delegaret, congruamque redituum ecclesiæ por- « tionem assignaret: *Episcopo præsententur, qui ipsos in « hujusmodi vicariis perpetuet, et sufficientem de ecclesiarum « reditibus eis constituat portionem.* » (Thomassinus, loco citato, n. 6 et seq.)

Ex allatis documentis patet, decreta hæc conciliaria, contra *revocabilitatem ad nutum* contorta, omnia intelligenda esse de revocabilitate *vicariorum curatorum*, ad nutum *parochorum principalium* seu primitivorum. Nam de hac ad nutum revocabilitate, non de alia, *expresse* agunt. De revocabilitate

autem parochorum ad *nutum Episcopi* (de qua hodiernis temporibus movetur quæstio relative ad parochias absque beneficio perpetuo erectas), antiqua decreta silent.

III. Idem, quod in præfatis conciliis, advertere potest lector et in decretalibus, corpore juris inclusis, necnon et in Tridentina synodo. Ubicumque nempe revocabilitas ad nutum configitur, sermo est, non de revocabilitate ad nutum Episcopi, sed de revocabilitate *ad nutum capitulorum monasteriorumve*, aut similium, parochi principalis personam gerentium. Textus ipsos promamus: decernebat Alexander III anno 1175: *Si persona alicujus Ecclesiæ vicario, quem in eadem Ecclesia instituit, de assensu et auctoritate diœcesani Episcopi, certam assignaverit portionem; is qui, persona illa defuncta, in personatum illius substituitur, non potest eumdem ab ecclesia removere, vel assignatam sibi minuere portionem; nisi aliquid committat, propter quod per judicem in vicaria sit vel beneficio condemnandus.* (Caput *Ad hæc, 3*, tituli 28, libri 1 decret.)

Bonifacius VIII anno 1298: *Presbyteri qui ad curam populi per monachos in eorum ecclesiis præsentantur Episcopis, et instituuntur ab ipsis, cum debeant esse perpetui, consuetudine vel statuto quovis contrario non obstante, ab eisdem nequeunt ecclesiis (nisi per Episcopos, et ex causa rationabili) amoveri.* (Caput 1, *de Cappellis monach.*, in 6.)

Advertat lector hoc Bonifacii VIII ratiocinium: *Cum debeant esse perpetui, nequeunt amoveri nisi per Episcopos.* Isti nempe vicarii, nisi fuissent perpetui, ex jure communi (olim sicut nunc etiam vigenti) fuissent revocabiles *per parochos principales*, Ex quo planissimum est, decretam fuisse horum vicariorum perpetuitatem, non ad tollendam revocabilitatem *ad nutum Episcopi*; bene vero ad tollendam revocabilitatem *ad nutum principalium* ejusmodi *parochorum* (1).

(1) In eumdem scopum videtur collineasse Innocentius III, cum anno 1216 decerneret in hunc modum: « qui vero parœcialem habet ecclesiam, « non per vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine quem ipsius « ecclesiæ cura requirit; nisi forte dignitati, vel præbendæ parœcialis ec- « clesia sit annexa: in quo casu concedimus ut, qui talem habet præben- « dam vel dignitatem, cum oporteat eum in majori ecclesia deservire, « in ipsa parœciali ecclesia idoneum et *perpetuum* habeat vicarium, ca-

IV. Idem prorsus suadent Tridentina decreta. Sessione 7, capite 7, statutum fuit hoc modo : *Beneficia ecclesiastica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque, perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur ; qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos (nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur) ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur.* Ibi duo sancita : 1° ut animarum cura in dictis locis jam non exerceatur per ipsamet capituli seu collegii membra omnia, sed per certum et determinatum vicarium; 2° ut iste vicarius *possit* ab Episcopo decerni *perpetuus*. Jam vero hac posteriori dispositione quo intenderint Tridentini patres, facile patet : iste nempe vicarius, nisi perpetuitate donari potuisset per decretum Episcopi, remansisset de jure communi revocabilis *ad nutum capituli seu monasterii*. Dum ergo synodus vult ab Episcopo *perpetuas* reddi posse ejusmodi vicarias, non eo tendit ut restringatur revocabilitas *ad nutum Episcopi,* sed ut coarctetur revocabilitas *ad nutum capituli, monasterii*, aliorumve præfatorum parochorum principalium.

Eadem sese prodit synodi tendentia sessione 21, capite 6 : ibi nempe facultas fit Episcopis *coadjutores aut vicarios pro tempore* deputandi et imponendi parochis illitteratis et imperitis. Synodus nempe, in hoc imperitorum parochorum casu, derogatum voluit juri communi, vi cujus ad parochos pertinet suos vicarios eligere, et eosdem (sed tantum ex causa ab Episcopo approbanda, ut infra dicetur) removere. Impositus autem imperito parocho, juxta Tridentinam sanctionem, vicarius, licet ad tempus, relative ad huncce parochum evadit perpetuus, cum jam nequeat ab eo removeri. Unde et ibi restringitur a synodo *revocabilitas ad nutum parochorum*.

Item quando synodus, sessionis 24 capite 13, mandat Episcopis ut, *in iis civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiæ*

« nonice institutum, qui congruentem habeat de ipsius ecclesiæ proven-
« tibus portionem. » (Cap. *Extirpandæ* 30, *de Præbendis*, § *Qui vero*).

certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant; distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum PERPETUUM *peculiaremque parochum assignent: aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant*; putarem ego ideo præcipue positam fuisse vocem *perpetuum*, ut excluderentur ii vicarii curati, *ad nutum* principalium parochorum *revocabiles*.

Hinc concludendum videtur *revocabilitatem ad nutum*, quam aversantur canones, intelligendam eam esse, qua, de jure communi, vicarii ad curam deputati revocabiles erant *ad nutum parochorum principalium* seu primitivorum, qui curam per se ipsos non exercebant, et redditus parochiales absumebant, relicto vicariis ad exercitium curæ deputatis salario modico.

Quod autem asserimus, vicarios curatos, perpetuitate destitutos, fuisse olim, et etiamnum esse de jure communi *ad nutum parochorum principalium* seu primitivorum revocabiles, extra controversiam est apud canonistas. « Vicarius tem-
« poralis (ait Ferraris, voce *Vicarius parochialis*, n. 49), no-
« minatus a superioribus regularibus, et a rectoribus prin-
« cipalibus, potest *ab ipsis ad libitum* removeri (*non autem*
« *ab Episcopo,* nisi ex causa legitima et approbata, propter
« quam, etiamsi perpetuus esset, privari posset). Sacra
« Congregatio Concilii apud Barbosam, *in Summa Apost.*
« *decisionum,* verbo *Vicarius perpetuus parochialis*, n. 2.
« Et sic etiam Rota... loquens in specie de vicario amovibili
« deputato a capitulo (1). »

Hinc si agatur de revocabilitate ejusmodi vicariorum-curatorum *per parochos principales*, libenter concedimus ei aliquatenus adversari sacros canones. Eam tamen penitus su-

(1) Gonzalez Tellez varia enumerans discrimina perpetuos inter et temporales vicarios sic habet: « Vicarii perpetui tantum institui et destitui
« ab Episcopo possunt, nec sine ejus auctoritate, curæ animarum præ-
« poni, aut ab ea dejici valent. Temporales vero tantum voluntate et ex
« nutu constituentis eliguntur et pendent. (» In cap. 2, tit. 28, libri I Decretalium, n.. 7)

blatam noluit Tridentina synodus ; sed potestatem dumtaxat fecit Episcopis, ut *possent* perpetuos constituere ejusmodi vicarios-curatos, *nisi aliter expedire videretur:* unde cum a Sacra Congregatione Concilii quæsitum esset, an *perpetui* vicarii constituendi essent ubicumque cura animarum adnexa reperitur alicui capitulo, collegiove etc., responsum est, rem non posse generaliter decerni, sed pendere a locorum circumstantiis. Quam decisionem referre solent canonistæ, et pro regula in hac materia tenent. (Vide Pignatelli, tom., 9, consult. 143, n. 14.)

§ II

Curam animarum per amovibiles ad nutum Episcopi presbyteros exerceri, neque disciplinæ primitivæ, neque juri communi ante Tridentinam synodum vigenti, neque Tridentinis sanctionibus, neque (per se saltem et seclusis abusibus) bono Ecclesiæ contrarium probari potest.

I. *Non adversatur antiquæ disciplinæ.* — Nam, ut supra probatum est, primis Ecclesiæ temporibus animarum cura penes solum Episcopum quoad totam diæcesim residebat. In ea autem exercenda Episcopo non auxiliabantur presbyteri, nisi ab ipso jussi, et ad singula, prout opus habebat, delegati: ita ut nulli tunc exstiterint parochi. Porro a disciplina hujusmodi multo magis recedit parochorum perpetuorum institutio, quam parochorum ad nutum Episcopi revocabilium, ut patet.

II. *Neque juri communi ante Tridentinam synodum vigenti adversari probantur curati ad nutum Episcopi revocabiles.* — Id patebit recensendo textus quos opponere solent contrariæ opinionis patroni.

Objiciunt 1°. Caput unicum *de Cappellis monachorum,* in 6, in quo sic decernitur: *Presbyteri, qui ad curam populi per monachos in eorum ecclesiis præsentantur Episcopis, et instituuntur ab ipsis, cum debeant esse perpetui, ab eisdem nequeunt ecclesiis (nisi per Episcopos, et ex causa ratio-*

nabili) amoveri. Ea verba *cum debeant esse perpetui* supponunt, cuilibet ad curam animarum deputato de jure competere perpetuitatem; et quidem etiam relative ad Episcopum, ut patet ex verbis *nisi per Episcopos et ex rationabili causa.*

Respondet Pignatelli tom. 9, consult. 143, n. 22), ibi agi de beneficiis. quæ conferebantur cum institutione Episcopi, ut patet ex verbis *et instituuntur ab ipsis:* ac proin de beneficiis curatis, quæ conferebantur *in titulum*, seu (quod idem tunc in jure sonabat) de beneficiis perpetuis: unde mirum non est dici, *cum debeant esse perpetui.* At vero probandum esset non extitisse aut existere potuisse alia beneficia, quæ non darentur *in titulum*, seu pro quibus necessaria non foret Episcopi institutio, id est beneficia *manualia* et ad nutum revocabilia. Porro illa decretalis hoc non probat. En citati auctoris verba: « Textus allegatus loquitur in diversis « terminis, nempe de presbyteris qui per monachos præ« sentantur Episcopo, et ab eodem instituuntur... Hi enim « in quibus cadit institutio removeri non possunt... Beneficia « enim quæ dantur in titulum et in quibus cadit institutio « perpetua sunt (canone *Sanctorum*, distinct. 70). Secus « autem est in iis qui deputantur ad beneplacitum, et in qui« bus nulla cadit institutio, neque curam habent in titulum, « sed nudum curæ exercitium... Hos enim, licet animarum « curam exercentes, removeri posse admittunt etiam supra « citati doctores. »

Consonat glossa in clementinam *Frequens* (cap. 1, tit. 6, libri 5), voce *Ad mensam*: Ad id quod dixerat, *in ecclesia quæ spectat ad mensam, poni et deponi pro libito vicarium temporalem*, sibi objicit glossator caput *Extirpando* (*de Præbendis*), et nonnulla alia juris capita, *per quæ patet* (inquit), *quod in ecclesia annexa quoad temporalia instituitur rector, vel perpetuus vicarius.* Cui difficultati sic respondet: « Sed « dico quod, aut ecclesia spectans ad mensam Prælati, vel « collegii, vel dignitatem habentis, vel præbendarii, recipit « *superioris institutionem* quoad regimen ecclesiæ, vel sal« tem populi; et tunc locum habet quod dicitur de vicario per« petuo: aut pleno jure spectat ad illum etiam quoad spi« ritualia, et tunc habet locum quod dicitur de vicario tem-

« porali, etiamsi sit curata. » Hanc glossam communiter a doctoribus et Rota receptam fuisse, adnotat Pignatelli, citato loco.

Objiciunt 2° hæc verba canonis *Sanctorum* (distinctionis 70) : *In qua ecclesia quis est intitulatus, in ea perpetuo perseveret.*

Præsto est responsio ex ipso canone : nam ita pergit : *Licet enim Episcopi dispositione unus diversis præesse possit ecclesiis, canonicus tamen præbendarius nisi unius ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet.* Unde prohibet quidem canon, ne quis ordinetur sine titulo, id est, sine beneficio perpetuo ipsi in aliqua ecclesia assignato ; et insuper ne plures hujusmodi titulos seu beneficia perpetua habeat ; sed bene permittit ipsum ex dispositione Episcopi præesse diversis ecclesiis ; ac proinde poterit revocabiliter ad curam animarum deputari.

3° Objiciunt canonem *Satis perversum* (distinctionis 56) in quo dicitur : *Non debet quis sine culpa beneficio privari.*

Respondetur, ibi agi de beneficiis *perpetuis*, quem sensum habere solet vox *Beneficium* quando adhibetur sine addito. Atvero quæstio est, num possint etiam existere beneficia *manualia* ad nutum revocabilia, et simul curata : num scilicet talia beneficia repugnent juri communi antiquo. Id certe non probat objectus canon.

Alia omittimus quæ ex decretalibus adduci solent, utpote quibus obvia est responsio.

III. *Neque Tridentinis sanctionibus contrarium est, exerceri curam animarum per presbyteros ad nutum Episcopi revocabiles.* — Vidimus supra, non fuisse a Tridentina synodo penitus sublatam vicariorum-curatorum revocabilitatem *ad nutum capitulorum,* quæ curam habent in habitu. *Possunt* quidem Episcopi hos vicarios-curatos mutare in perpetuos, sed ad id non coguntur : imo nec id præstare debent in iis locis, ubi opportunior foret vicariorum-curatorum, ad nutum capituli revocabilium, consuetudo : ita ut detur capitulo appellatio (cum effectu tamen devolutivo tantum, non suspensivo) contra Episcopum, perpetuitatem vicarii-curati cathedralis introducere volentem ; prout constat ex pluribus Sacræ Congregationis Concilii decisionibus alibi adducendis. Cum ergo curatorum revocabilitatem ad nutum capitulorum

et similium, aliquatenus conservatam voluerit Tridentina synodus, quomodo existimari potuit ab eadem synodo proscripta dictorum curatorum ad nutum Episcopi revocabilitas? Sed ad textus ipsos accedamus.

Solet objici caput sessionis 24, ubi jubentur Episcopi unicuique parochiæ *suum perpetuum* parochum assignare. Quam difficultatem cum ex professo diluerit Pignatelli (tom. 9, consult. 143, a n. 1[illegible]), ipsius verba mutuabimus.

« Duo, inquit, consideranda sunt : primum, quod concilii « Tridentini decretum (in dicto capite 13, sess. 24) loquitur « de iis locis, ubi ecclesiæ certos non habent fines, et cura « confuse ac promiscue administratur, ut advertit ibidem « Bellarminus... et Barbosa... : secundum, quod concilium « non præcise arctat Episcopos ad institutionem perpetui « parochi, adeo quidem ut non possint *alio utiliori modo* « providere. Loquitur enim alternative in hæc verba, *aut* « *alio utiliori modo* provideant: per quam alternativam *aut* « dat electionem Episcopis. Et notandum quod concilium ad- « mittit dari posse utiliorem modum providendi.

« Quin imo idem sanctum concilium (c. 7, sess. 7, *de Ref.*) « injungens Episcopis, ut in visitatione ecclesiarum uni- « tarum provideant, ut cura animarum laudabiliter exer- « ceatur, utitur his verbis, *per idoneos vicarios, etiam per-* « *petuos*: et sic ponderando dictionem *etiam*, quæ exprimit « casum magis dubitabilem, admittit in specie modum de- « putandi vicarios amovibiles esse utiliorem. Quod confir- « mat, dum statim addit : nisi ipsis Ordinariis pro bono ec- « clesiarum regimine aliter expedire videbitur. Dictio etiam « *nisi* ponitur exceptive a proxima dispositione. Unde, cum « in Sacra Congregatione Concilii quæreretur, an vicarii « perpetui constituendi essent in cathedralibus, collegiatisve « ecclesiis curam animarum habentibus, quam curam tem- « porarii mercenariique capellani consueverunt administrare, « respondit Congregatio, nihil generali lege sanciendum esse, « sed singulis quibusque casibus, ubi se offerunt, prout ma- « gis expedire videbitur prospiciendum. Traditque Navarrus « (consilio 9, *de Præbendis*, n. 7) quod arbitrio Ordinario- « rum videtur relictum, an oporteat ponere vicarios perpe-

« tuos, non obstante privilegio ponendi temporales; quia id « sonant illa verba, *per vicarios perpetuos, si pro bono regi-* « *mine id videbitur*. Item, quod si præfati Ordinarii male « sine justa causa id arbitrarentur, potest appellari ab eis, « ex eo quia verbum *videbitur*, arbitrium boni viri regula- « tum denotat, juxta doctrinam Bartoli, ab omnibus recep- « tam : tum quia potest appellari a judice, cujus arbitrio « aliquid relinquitur, si male arbitraretur... Sed talis appel- « latio non suspendet executionem, sed erit devolutiva, et a « superiore potest talis sententia revocari.

« Hoc idem videtur admittere idem sanctum concilium in « capite 2 sessionis 25, *de Regularibus*. Quamvis enim ibi « dicatur quod in monasteriis, quibus cura animarum im- « minet, non deputentur aliqui, etiam ad nutum amovibiles « nisi de Episcopi consensu, ac prævio examine, per eum « aut ejus vicarium faciendo, non tamen negat deputari « posse amovibiles cum Episcopi consensu.

« Hinc Sacra Congregatio Concilii sæpius censuit, esse « in arbitrio Ordinarii, vicarium perpetuum vel amovibilem « in ecclesia curata unita constituere.

« Neque dicas hoc procedere in parochialibus unitis, vel « regularibus, in quibus exercentes curam animarum, ideo « sunt amovibiles ad nutum, quia cura iis vere non incumbit, « sed residet apud cathedrales, collegiatas, sive alias eccle- « sias vel monasteria, beneficia, collegia, aut loca pia. Nam « præterquam quod textus dicti capitis 13 sessionis 24, non « loquitur de ecclesiis unitis, responderi etiam potest, quod, « eodem modo (in casu quo vere cura non incumbat curatis « particularibus eam exercentibus, sed resideat apud Ordi- « narios, et sic militet in eis eadem ratio), locum habere po- « terit eadem juris dispositio.

« Præterea ex ejusdem concilii dispositione (cap. 4, sess. « 21) sicuti in illis ecclesiis ubi populus ita numerosus est, « ut unus rector non sufficiat, potest Episcopus cogere eum- « dem ut sibi alios sacerdotes adjungat ad sacramenta mi- « nistranda, cur non idem liceat Episcopo, quando ipse solus « parochus est universalis in sua diœcesi, deputando sacer- « dotes per quos cura exerceatur?

« Videturque tolli omnis difficultas, quia modum hunc « curæ incumbentis Episcopo per presbyteros administrandæ, « censetur concilium expresse admittere (capite 18 sessionis « 24) ibi : *Etiamsi cura ecclesiæ, vel Episcopo incumbere di-* « *catur, et per unum vel plures administretur.* Ac infra : « *In quibus Episcopus uni vel pluribus consuevit curam ani-* « *marum dare.* »

Adducit postea Pignatellus diœcesis Hispalensis et Calagurritanæ exemplum, in quibus animarum cura non nisi per amovibiles presbyteros exercebatur, reputato Ordinario tanquam unico in tota diœcesi parocho. Et tandem sic concludit : « Constat igitur ex adductis nullo modo repugnare, at- « tenta Tridentini dispositione, quominus animarum cura « per curatos aut vicarios amovibiles exerceatur. »

Objicies. — Evincunt quidem hæc Pignatelli ratiocinia Tridentinis sanctionibus non repugnare *curatos vicarios* ad nutum revocabiles : non autem præcise probant, non repugnare amovibilitatem *parochorum* proprie dictorum, id est, qui curam exerceant, non tanquam vicarii, sed proprio nomine. — Respondeo 1° cum supra probatum sit parochorum etiam proprie dictorum amovibilitatem nequaquam parochiatus essentiæ repugnare, si de facto eam amovibilitatem Tridentina synodus prohibuerit, id asserentibus incumbit onus promendi decreta, in quibus hæc prohibitio contineatur. Interea merito negabitur. Porro nullum ejusmodi textum afferre potuerunt, qui parochorum amovibilitatem Tridentinæ synodo adversam contendunt. Adducunt dumtaxat supra discussos a Pignatello textus : quam autem inaniter, jam palam factum est.

Respondeo 2° : positive probatum est, ex Tridentinis textibus, amovibilem ad nutum constitui posse vicarium-curatum cathedralis ecclesiæ, in qua *habitualem* dumtaxat curam retineat capitulum. Porro talis curatus, nomine tantum vicarius est ; in re autem est verus parochus. Curam enim exercet independenter a capitulo ; siquidem nequit capitulum in ea sese immiscere, ut adeo eam exerceat proprio nomine, consequenterque verus sit parochus. Ex quo merito concluditur approbari a Tridentina synodo, quoad veros etiam parochos, amovibilitatem.

Respondeo 3° : parvi ad rem facere, curatos ad nutum amovibiles vicariorum nomine rectius quam parochorum designari : esto, ut vultis, vicarios debeamus ejusmodi curatos vocitare : probatum remanet posse in tota diœcesi nullum erigi perpetuum beneficium curatum : posse omnibus parochiis ab Episcopo præfici presbyteros ad nutum revocabiles, qui curam exerceant : atque id Tridentinis decretis perfecte quadrare. Si hoc concedatis, prout concedere debetis, satis est: vobis permittimus, si ita placet,ut eos omnes curatos *vicarios Episcopi* vocitetis, et nequaquam parochos. Quanquam et hoc immerito : nam minime repugnat ab Episcopo eis committi curam *proprio nomine* exercendam ; quo casu erunt veri parochi, etsi ad beneplacitum revocabiles : quæ duo nunquam probabitur sese mutuo excludere.

IV. *Neque bono Ecclesiæ per se adversatur exercitium curæ animarum per presbyteros ad nutum Episcopi revocabiles.* — Dicimus *per se* ; id est, considerando hanc curatorum amovibilium institutionem quoad effectus ex ipsa *necessario* sequentes, et bonum generale Ecclesiæ respicientes. Si nempe ex aliqua institutione *necessario* non sequantur pravi effectus, etsi per accidens et ex abusu sequi possint, dicimus eam bono Ecclesiæ *per se* non adversari. Imo si de se apta sit ad bonos producendos effectus, *per se* bona etiam dici debet.

Porro talem esse curatorum amovibilium institutionem facile probari potest. Nam 1° quod de se apta sit ad bonos aliquos effectus producendos, negari nequit. Prodesse eam *ut curati sint promptiores ad obediendum, et curam melius exerceant, dum sciunt se facile amovendos*,sapienter advertit Pignatelli cum aliis ab ipso citatis doctoribus (tomo 9, consult. 143, n. 31). Item posse interdum perutilem esse nonnullorum curatorum ad alias parœcias aliave munera migrationem, atque ejusmodi mutationes ex eorum amovibilitate multo facilius expediri, inficias ibit nullus. 2° Effectus autem mali qui pariter oriri inde possunt, non *necessario* ex ipsa curatorum amovibilium conditione sequuntur. Nam quod quis Episcopus, ex aliquo abreptus non secundum scientiam zelo, incautave mutationum prurigine, pertubationem moles-

tiamve gravissimam clero suo inferat, ex quo non parva suboriantur incommoda et detrimenta, id non *necessario* consequitur, sed *per accidens*; siquidem bene posset aliter contingere. Atque idem dic de cæteris nocivis effectibus, quibus aperiri januam per amovibilitatis institutionem, fuso et quandoque etiam minus temperato calamo nonnulli hodierni scriptores conquesti sunt. Hæc nempe facilem abusum plus minusve probant; malam intrisece rem, aut Ecclesiæ bono *per se* adversam non arguunt.

Et pari modo parochorum perpetuitatem *per se* bono Ecclesiæ nequaquam adversari dicendum est, atque ex iisdem prorsus rationibus. Nam quod nonnullæ ex ea oriantur utilitates, verbi gratia, quod difficiliores reddantur injustæ parochorum exauctorationes, quod efficacius innocentiæ inferiorum consulatur contra possibiles (quantumvis non de facili præsumendas) ex parte Prælatorum injurias quaslibet, quod fidentius extirpanda vitia, promovendumque animarum bonum perpetuus in officio suo parochus aggrediatur, aliaque id genus sponte enascantur commoda, satis per se perspicuum est. Atvero et hic abusus præ foribus est; cum et accidere possit ut hac ipsa perpetuitate fretus parochus, negligenter munere suo fungatur, in corrigentem Episcopum facilius insolescat, aliisque modis in transversum agatur. Quæ tamen omnia, cum per accidens, non vero necessario ex perpetuitate fluant, non ideo per se adversa Ecclesiæ bono inamovibilium parochorum institutio dicenda erit.

Nec potest catholicus quisque, ut videtur, quin huic nostræ thesi assentiat, alioquin ab ipso Ecclesiæ judicio dissensurus. Nam certum est, approbatam, et generali sua disciplina admissam ab Ecclesia fuisse curatorum, non tantum perpetuorum, sed et amovibilium institutionem, prout ex Tridentinis textibus supra manifestum fecimus. Ecclesia autem generali sua disciplina non admittit nec unquam admittere potest quod est intrinsece malum, aut bono suo *per se* et necessario contrarium. Ergo exerceri animarum curam per amovibiles presbyteros, non esse quid per se bono Ecclesiæ contrarium catholicus quisque fateri debet.

Id dumtaxat in quæstionem vocare licet : num, attentis

hodiernis, hujusve aut illius regionis circumstantiis, utilius jam foret perpetuitate donari quoslibet amovibiles curatos, aut aliquam eorum partem. A quo hic expendendo prorsus existimo mihi abstinendum. Ex ipsa autem rei natura satis monentur Prælati, ut ea curatos ad nutum amovendi facultate discrete utantur; ne Apostolica Sedes, clamantibus damnis et excessibus, ad restringendam penitusve tollendam amovibilitatem merito inducatur; item ut parochi perpetui, in prærogativæ suæ usu non excedant, ne eadem Apostolica auctoritas eos a perpetuitate dejectos decernat: nam et in manualia mutari posse a Romano Pontifice perpetua beneficia, dubium non est. Et certo hac pœna, meo quidem judicio, non immerito plecterentur parochi, queis in aliqua regione solitum foret, pronuntiata in ipsos a curia episcopali depositionis sententia, ad laicalem potestatem appellare. Cujus hæreticalis recursus cum eos non pudeat, atque adeo sint sacratissimorum Ecclesiæ jurium immemores, sese profecto indignos probant, qui perpetuitatis prærogativa fruantur. Quid enim expedit prærogativis id genus hominum, eam diœceseon pestem, hoc Ecclesiæ dedecus, animarumque scandalum adornari ? Atque utinam larvas et non historica facta commemorarem ! præterita tamen, et ut sperare fas est nunquam reditura. Non ergo mirum manuales interea quamplurimas parochias ab Apostolica Sede ibi relinqui, ubi vel minimum remanet pestiferi hujusce abusus vestigium vel periculum; nec adeo sollicitos esse Episcopos, ut eædem in perpetuum titulum erigantur. Cessante autem periculo, ac penitus ejecto e clericali corpore dictæ vesaniæ veneno, utiliter eam induci posse mutationem non negamus, sed aliorum judicio relinquimus.

Nota. — Giraldi (in suis additionibus ad tractatum Barbosæ *de Officio parochi*, pagina 341, n. 11, edit. Romæ 1831) postquam nonnulla retulit, quibus innuitur perpetuos esse debere, quicumque animarum curam exercent, sic addit : « Tamen concilium Tridentinum (sess. 23, c. 7; et « sess. 25, c. 11, *de Regul.*) admittit parochos amovibiles. « Ita nihilominus ut valeat Ordinarius semper et quando- « cumque parochias illorum vertere in perpetuas, eri-

« gendo easdem in vicarias perpetuas; nisi pro bono ipsarum « regimine judicet expedire ut permaneant amovibiles.. Pro- « hibebit Episcopus ne ullibi deputetur parochus amovibilis « absque sua auctoritate et approbatione, non modo quoad « scientiam, verum etiam quoad mores, prudentiam ac ido- « neitatem ad parochiale munus laudabiliter exercendum. Pro « ipso vero parocho amovibili examinando, non tenetur Or- « dinarius uti examinatoribus synodalibus,sed uti potest qui- « bus ipse maluerit, nec pariter fieri debet concursus. (Sa- « cra Congregatio Concilii, 12 januarii 1619.)

« Parochi amovibiles gaudent prærogativis perpetuorum. « (Sacra Congregatio Concilii, in Comensi, 27 martii 1706.

« Amovibilis parochus tenetur ad residentiam non secus ac « perpetuus(Sacra Congregatio Concilii,in Helborensi,14 mar « tii 1615); cogique potest ad sacras functiones obeundas...; « demum ad ea omnia munia parochialia obeunda, ad quæ « parochi perpetui tenentur : nulla etenim, quoad curam « animarum exercendam, datur differentia inter parochos « amovibiles et perpetuos.

« Etsi parochi amovibiles valeant toties quoties opus est « amoveri, attendere tamen oportet, ut de facto non amo- « veantur absque legitima causa (Sacra Congregatio Con- « cilii 11 julii 1628; Sacra Congregatio Episc. in Sulmo- « nensi, 24 maii 1645, et 16 mai 1653. ac alibi pluries). Re- « gulares nihilominus parochi ad nutum suorum superio- « rum, et Ordinarii quoque, amoveri possunt etiam sine « causa. Quamobrem edicere potest Episcopus, quod paro- « chi amovibiles, qui a laicis, vel collegio, sive societate lai- « cali nominantur, absque illius licentia et auctoritate non « valeant amoveri. (Rota, decis. 53, n. 90, coram Peu- « tinger; Cardinalis de Luca, *de Beneficiis*, discursu 80, n. 20.)

« Omnes vero amovibiles curati amoveri possunt arbitrio « Episcopi diœcesani (capite1, *de Capell. monach.*) : sed « non debent amoveri nisi ex causa rationabili et justa... « Nam et in hoc habenda est ratio justitiæ, ac amovendo- « rum honori consulendum est. Verumtamen Episcopus nec « illis, neque ipsorum nominatoribus allegare tenetur cau-

« sas remotionis. (Sacra Congregatio Concilii, in Camerinensi, 18 septembris 1627.) »

Ex quibus laudati auctoris verbis abunde patet, omnino tanquam certum et extra controversiam positum recipi, dari posse de jure communi parochos amovibiles, qui nempe ad nutum revocari queant.

CAPUT V,

AN ET QUALITER PAROCHIS COMPETAT ORDINARIA JURISDICTIO.

Prænotandum. — 1° Distingui solet jurisdictio in *ordinariam* et *delegatam.* Ordinaria dicitur, quæ alicui titulo sive officio *vi juris communis* alligatur; ita ut is, cui titulus ille confertur vel officium committitur, hoc ipso jurisdictionem hanc possideat. Delegata vero illa est quæ ex mera voluntate superioris recipitur, non autem ex titulo officii, et vi legis seu juris communis. Quam notionem sic exponit Cardinalis de la Luzerne (*Droits et Devoirs des Evêques et des prêtres,* pagina 145, edit. Migne): La qualité d'*ordinaire* em-
« ployée dans le droit, est la contradictoire de *déléguée*...
« On entend par pouvoir ordinaire celui qui, par le droit
« commun et non pas seulement par la volonté transitoire du
« supérieur, est propre à un titre; qui se confère avec le titre;
« qui ne se perd qu'avec le titre; qui comprend l'universa-
« lité des fonctions attachées au titre. Le pouvoir délégué est
« celui qui n'est point affecté par le droit à un titre, mais
« qui est confié par le supérieur à une certaine personne; ce-
« lui dont l'étendue et la durée dépendent de la volonté de
« celui qui le confère. »

2° Iterum distinguitur jurisdictio *fori externi* seu proprie dicta, et *fori interni* seu pœnitentialis: quarum denominationum sensus satis ex antea dictis patet.

De parochis ergo expendendum venit utrum externi fori jurisdictionem habeant, an vero dumtaxat interni, et an ordinariam vel delegatam.

Propositio I^a^. — *Parochis competit interni dumtaxat fori jurisdictio.* 1° Ipsis non competere fori externi jurisdictionem, supra fuse probavimus. 2° Quod autem fori interni jurisdictione polleant, probatur *primo* ex ipsa parochiatus essentia, seu ex natura parochialis officii : nam supra probavimus ad essentiam parochiatus pertinere, ut sit *officium ministrandi sacramenta* ; ergo parochiatus est, et quidem præcipue, officium ministrandi pœnitentiæ sacramentum. Sed repugnat teneri ex officio parochum ad hujusmodi ministrandum sacramentum, nisi fori pœnitentialis jurisdictionem habeat; ergo hocipso quod quis constituitur parochus, necessario et inseparabiliter ei confertur (modo tamen capax sit) dicta jurisdictio. Dicimus, modo *hujusce jurisdictionis sit capax :* nam si constituatur parochus nondum sacerdos, non poterit quidem valide in foro pœnitentiali absolvere; sed id continget tantum propter obicem. Cæteroquin nisi obstaret inhabilitas, vi solius officii jurisdictionem haberet. Et revera eo ipso momento quo talis parochus ordinatus est presbyter, parochianos suos absolvere potest, quin ulla nova facultas ipsi conferatur. Probatur *secundo* ex communi doctorum sententia, dissentiente nullo; et ex Ecclesiæ universali praxi, id tanquam certum supponente. In quo evolvendo (cum extra controversiam sit) diutius immorari supervacaneum foret.

Propositio II^a^. — *Prædicta parochorum jurisdictio est ordinaria.* — Nam ordinaria est illa jurisdictio, quæ titulo seu officio inhæret, et vi juris communis simul cum titulo confertur: atqui talis est, ex modo dictis, parochorum jurisdictio. Quod etiam ex unanimi doctorum consensu confirmatur.

Objicies. — Jus habet parochus, non tantum pœnitentiam et alia sacramenta ministrandi, sed et invigilandi, paterne commonendi, et multa quæ parochiam respiciunt regendi et administrandi; ergo ipsius jurisdictio non est dumtaxat jurisdictio fori pœnitentialis. — Respondeo : ea quæ enumerantur parochi jura, et quæ revera ipsi tanquam officii consectaria competunt, nullam constituunt jurisdictionem. Paterne enim commonere, actus jurisdictionis non est, sed charitatis : cætera autem memorata jura, de quibusdam nempe temporalibus parochiæ rebus statuendi, sacrorum officiorum

ordinem decernendi, et alia hujusmodi, nullam fori externi jurisdictionem, sed quamdam dumtaxat administrationem arguunt.

CAPUT VI.

DE VICARIIS CAPPELLANISVE CURATIS, ET QUINAM EX IPSIS SINT VERI PAROCHI.

Prænotanda. — 1° Vicarius-curatus dicitur ille, qui ad curam animarum alicubi, parochi principalis loco, exercendam legitime deputatus fuit. Unde ut quis verus esse possit alicujus parochiæ *vicarius-curatus,* omnino requiritur aliquem exstare ejusdem parochiæ principalem rectorem seu parochum; id est, aliquem cui competat, vel actualis simul et habitualis, vel saltem *habitualis* hujus parochiæ cura. Alioquin enim vicarius-curatus, qui non loco alterius curam exerceret, *vicarius* nequaquam esset. Parochus autem qui vicarium ejusmodi habet, ut ab eo distinguatur, vocari solet *principalis*; vel etiam *primitivus*, quando *habitualem* dumtaxat curam retinet: quod *primitivi* vocabulum tunc indicat, olim penes hunc parochum *actualem* etiam curam exstitisse.

2° In parochiis unitis seu annexis alicui capitulo cathedrali, vel alicui præbendæ, vel alicui pio loco, decrevit Tridentina synodus ut constitueretur vicarius ad curam exercendam.

3° Vicarii-curati alii sunt perpetui, alii temporales seu amovibiles.

4° Cappellanorum curatorum nomine vocari solent in quibusdam regionibus vicarii curati; et quandoque etiam ipsimet parochi, qui proprio nomine, et non alterius loco, exercendam habent curam. Itemque nonnunquam curionum, curatorum, rectorumve vocabula ad designandos parochos usurpantur. Unde quoad denominationum ejusmodi sensum, attendenda est regionum consuetudo.

Quibus prænotatis, sit.

Propositio I^a^. — *Vicarius perpetuus, quando parochus principalis habitualem dumtaxat curam habet, est verus et proprie dictus parochus*, — Nam in hoc casu nequit parochus principalis sese in exercitio curæ immiscere, cum ei dumtaxat *habitualis* cura, non autem actualis competere supponatur. Ergo actualis cura penes vicarium tota residet, independenter a principali parocho. Habere autem curam *independenter* exercendam, idem est ac illam habere *proprio* exercendam *nomine*. Ergo in hoc casu vicario perpetuo non deest præcipuum illud ad parochiatus essentiam requisitum, jus nempe curam exercendi proprio nomine. Sed neque caret aliis requisitis, ut scilicet eam exerceat ex obligatione, et quoad determinatum aliquem populum, ipsi reciproco vinculo devinctum : ergo revera omnibus pollet ad essentiam parochiatus requisitis ; ergo verus est et proprie dictus parochus. Vicarii proinde quam retinet denominatio, non est stricto sensu intelligenda.

Propositio II^a^. — Pro vero parocho habendus etiam est *vicarius-curatus amovibilis quando principalis parochus nonnisi habitualem retinet curam*. — Nam talis vicarius paris conditionis est ac præcedens, excepta perpetuitate : unde si quid obstaret quin sit verus parochus, obstaret tantummodo amovibilitas : atqui non obstat, si quidem, ex supra probatis, perpetuitas ad parochiatus essentiam non pertinet ; ergo et ipse pro vero parocho habendus est.

Propositio III^a^. — *Quando principalis parochus habitualem dumtaxat habet curam, vicario sive perpetuo sive amovibili applicanda generaliter veniunt consectaria juris, quæ veros parochos respiciunt*. — Sequitur hæc conclusio ex duobus præcedentibus, quibus probatum est, in hoc casu pro vero parocho esse habendum vicarium, sive perpetuus sit, sive ad nutum amovibilis. Unde, verbi gratia, nequibit constitui ejusmodi vicarius-curatus, nisi inchoato anno vigesimo quinto ; tenebitur, sicut cæteri generatim parochi, sacrificium pro populo diebus festis et dominicis offerre ; lege residentiæ obstringetur ; infra annum presbyteratus ordine (si eo careat) initiari debebit ; et aliis generaliter parochos afficientibus juribus subjacebit.

Dicimus autem *generaliter*; quia in nonnullis diversam a jure sortitur conditionem: sic, verbi gratia, ad ipsius deputationem quod attinet, concursus adhibendus non est; sed præsentari eum a principali parocho, et ab Episcopo examinari et approbari satis est, Quæ omnia suo loco infra enucleantur.

Propositio IV[a]. — *Vicaria perpetua est verum beneficium stricte sumptum, seu perpetuum.* — Equidem quando erigitur vicaria perpetua in aliqua parochiali ecclesia, non ipsi attribuitur ipsummet beneficium curatum hujus parochiæ: sed, remanente beneficio illo penes parochum primitivum cum *habituali* cura, ad vicarii sustentationem assignatur in perpetuum certa quædam portio, quæ *congrua* vocari solet, Hæc autem congrua, cum non assignetur ad tempus, sed in perpetuum, et quidem de proventibus *certis*, veri beneficii rationem habet; atque ipsi applicari debent juris consectaria quæ vera beneficia perpetua concernunt. Constat id, tum ex ipsa rei natura, cum beneficii perpetui definitio etiam ejusmodi perpetuis congruis omnino quadret; tum ex variis juris textibus; tum ex unanimi canonistarum doctrina. « Vicario « perpetuo, ait Ferraris (verbo *Vicarius parochialis*, n. 14). « debet assignari congrua portio de redditibus, fructibus et « emolumentis provenientibus ecclesiæ incorporatæ monas- « terio, collegio, universitati, et hujusmodi. Talis congrua « est taxanda arbitrio Episcopi, habito respectu ad qualitatem « personæ, loci, temporis, et ad abundantiam seu paupertatem « reddituum ecclesiæ: dummodo non sit minor 50, nec major « centum aureis pro quolibet anno. Pro tali congrua assignari « possunt solum illa emolumenta *incerta*, quæ habent quam- « dam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, olei, etc.; non « autem emolumenta omnino incerta, ut sunt eleemosynæ al- « taris, funeralium et similium. Congrua semel sufficienter « assignata non potest minui, quamvis vicarius electus et de- « putatus diminutioni consentiat, et pro minore quantitate « spondeat deservire. Unde vicarius perpetuus canonice insti- « tutus, est vere beneficiatus (cap. *Postulasti 27, de Rescriptis*, ibi: *Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ vicariæ proventibus est provisum*). Sicque « vicarius perpetuus habet verum titulum, et potest ad dic-

« tum titulum ordinari; atque idcirco semel canonice insti-
« tutus nequit removeri, vel portione sua fraudari, nisi for-
« san aliquod committat delictum dignum depositione aut
« privatione beneficii (cap. *Ad hæc* 3, *de Officio vicarii*).
« Immo nec potest removeri, vel portione sua fraudari, etiamsi
« rector principalis moriatur (textu expresso in citato capite.
« *Ad hæc 3, de Officio vicarii*). Hinc vicaria perpetua æquipa-
« ratur beneficio curato seu parochiali; et jura loquentia de
« beneficiis circa amissionem prioris per assecutionem alte-
« rius, et per non promotionem, et de eorum ætate, locum ha-
« bent in hujusmodi vicariis perpetuis, textu expresso *in Cle-*
« *mentina* unica *de Officio vicarii*, ibi : *Quæ de ecclesiis curam*
« *animarum habentibus, per receptionem aliarum similium*
« *amittendis, ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sa-*
« *cerdotium, ac de eorum ætate statuta noscuntur,in perpe-*
« *tuis ecclesiarum parochialium vicariis,et assumptis ad eas*
« *volumus observari*. Unde sicuti non potest quis esse paro-
« chus simul duarum parochiarum (capite *de Multa 28, de*
« *Præbendis;* extravaganti Joannis 22, *execrabilis*), ita nec
« perpetuus vicarius (capite *Provideas 2, de Officio vicarii*)...
« Item sicuti cæteri parochi, tenetur vicarius perpetuus re-
« sidere in sua vicaria (textu expresso in capite *Ex parte* 6,
« *de Officio vicarii*).:. Vicarius perpetuus in sua parochiali
« ecclesia constitutus, habet eamdem potestatem quam verus
« parochus, seu prælatus ac rector; ita tamen ut tota cura
« actualis, seu quoad exercitium,competat vicario; prælatus
« vero seu rector principalis nonnisi habitu curam reti-
« neat. »

Propositio V^a^. — *Ubi parochus principalis curam etiam actualem, et non habitualem dumtaxat, retinet, ejus vicarius quantumvis curatus dicatur et curam de facto exerceat, parochus non est, sed merus vicarius.*— Tunc enim vicarius ille non exercet curam proprio nomine, sed dependenter a principali rectore, et vice ac nomine ipsius. Deficit proinde a conditionibus ad parochiatum essentialiter requisitis.

Corollarium. — Hinc patet quomodo distingui tuto queat, an ille qui vicarii, capellani, curionis, aliove nomine, curam animarum alicubi exercet, verus sit parochus, annon. Viden-

dum nempe, an ejusdem parochiæ existat aliquis principalis rector, et an is curam actualem retineat. Si nullus talis existat principalis rector, vel si existat quidem, sed cum *habituali* dumtaxat cura, pro vero parocho æstimandus est vicarius-curatus, cappellanusve aut curio, qui ad curam ibidem exercendam deputatus fuit; secus, meri vicarii conditionem sortiri censendus est. Id aperte sequitur ex præmissis propositionibus.

SECTIO IV.

De Hodiernis Galliæ parochis et parochiarum rectoribus.

Lectorem præmonitum velim de hodiernis Galliæ parochiis, quæ *succursales* nuncupantur, haud pauca mihi excidisse minus considerate dicta, tum in priore tractatus *de Parocho* editione (præsertim, pag. 233 et seq.), tum etiam in tractatu *de jure regularium* (t. 2, p. 350 et seq.). Nec constans fui quoad quæstionem, hac in materia præcipuam, num a cardinali Caprara simul cum aliis suppressæ fuerint antiquæ parochiæ, quæ postea *succursales* dictæ sunt ; siquidem in tractatu de parocho suppressas eas asserui. Postmodum verodiligentius perpensis decretis concordatum anni 1801 respicientibus, atque auditis viris gravibus, qui dictam omnimodam suppressionem negabant, ac ne præjudicium inferrem monasteriis quæ antiquum suum jus in quasdam succursales (ex ea ratione quod non fuisent unquam suppressæ) sibi vindicabant, ipsorum opinioni in tratatu *de jure regularium* me accommodavi ; de quo jam in præfatione tractatus *de Episcopo* monueram. Hanc porro meam variationem, prout et alia minus recte a me dicta, scite ac solide ad crisim vocavit Belga scriptor anonymus,in collectione periodica *Revue théologique* (fasciculis *février* et *avril* 1859). Pro quibus sane animadversionibus, ut par est, gratias ago ; igitur præsenti sectione conatus sum arduam illam de *succursalibus* quæstionem accuratius expendere ac solvere.

CAPUT I.

PRÆMITTUNTUR DOCUMENTA.

1° In concordato anni 1801 sic habetur, articulo 9: *Episcopi, in sua quisque diœcesi, novas parœcias circumscribent: quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.* Ejusdem Concordati articulo 10, sic disponitur *: Idem Episcopi ad parœcias nominabunt ; nec personas seligent. nisi gubernio acceptas.* Articulo 14, ita statutum est : *Gubernium Gallicanæ reipublicæ in se recipit, tum Episcoporum, tum parochorum, quorum diœceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quæ cujusque statum deceat.*

2° In bulla *Ecclesia Christi*, anni 1801, idem aliis verbis quoad parochiarum circumscriptionem et parochorum nominationem decrevit Pius VII, in hunc modum : *Constitutis diœcesibus, cum omnino necesse sit limites etiam parœciarum constitui, earum circumscriptionem ab Episcopis fieri volumus ; quæ tamen circumscriptio suum non sortietur effectum nisi postquam Gubernii consensus accesserit. Jus nominandi parochos ad Episcopos pertinebit ; qui tamen personas non seligent nisi iis dotibus instructas, quas Ecclesiæ canones requirunt, atque (ut tranquillitas eo magis in tuto sit) gubernio acceptas.*

3° In bulla *Qui Christi* anni 1801, cardinali Legato Caprara potestatem facit Pius VII *ad veteres parœcias sive supprimendas, sive arctioribus limitibus circumscribendas, sive latioribus amplificandas, et ad novas novis finibus erigendas.*

4° In decreto executoriali cardinalis Capraræ, 9 aprilis 1802 *: Et quoniam (ut in sœpe memorato conventione... constitutum est) nova a futuris Archiepiscopis et Episcopis parœciarum circumscriptio in singulorum diœcesibus facienda est..., necessariuu propterea ducimus, ut eo modo quo de*

diœcesibus factum est, hujusmodi novæ parœciarum circumscriptioni viam sternamus. Hinc ergo est, quod nos de prœfata Apostolica auctoritate.., omnes et singulas parochiales ecclesias, quæ in territoriis diœcesium novæ circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque presbyterum exercetur, qui parochi, rectoris, vicarii perpetui aut alio quocumque titulo, et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura, et jurisdictione quacumque, nunc pro tunc, suppressas perpetuo fore declaramus; ita ut cum singulis ecclesiis in unaquaque diœcesi in parochiales erectis singuli parochi seu rectores, novorum antistitum auctoritate prœfecti fuerint, omnis antiquorum parochorum jurisdictio, in territorio novis parœciis assignato cessare prorsus debeat; neque ullus prœter novos parochos seu rectores a novis antistitibus institutos, illarum ecclesiarum, aut in eo territorio, parochus, rector, aut alio quolibet titulo et appellatione gaudens censeri et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit. Singulis vero parochialibus ecclesiis sic erigendis, pro congrua rectorum sustentatione, eos redditus, qui, ut in supradicta conventione statutum est, assignandi erunt, iidem Archiepiscopi et Episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

5° Cardinalis Caprara, in decreto erectionis archiepiscopatus Mechliniensis, 10 aprilis 1802: *Primo futuro archiepiscopo Mechliniensi tenore præsentis decreti injungimus et mandamus, ut tot in Mechliniensi diœcesi ecclesias seligat, easque in parochiales quam citissime erigat, quot neceesariæ ipsi videbuntur... Eos vero redditus, qui, ut in supradicta conventione statutum est, assignandi erunt, singulis parochialibus ecclesiis sic erigendis pro congrua rectorum sustentatione idem Archiepiscopus prædictis parochialibus ecclesiis earumque rectoribus pro tempore futuris perpetuo attribuat atque constituat, Iisdem ecclesiis ita in parachiales erectis, Archiepiscopus ipse rectores dabit iis dotibus et prærogativis instructos, quas sancti Ecclesiæ canones requirunt; atque... gubernio acceptos...' Eidemque futuro ac pro tempore existenti Archiepiscopo Mechliniensi, ut prœter collationem parœciarum.. quœcumque alia, cum cura et sine cura, ecclesiastica*

beneficia quomodolibet nuncupata, juxta formas, relate ad Gallias, ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi, et de illis providendi, de eadem speciali Apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur. (Collectio Epistolarum pastoralium diœcesis Mechliniensis, pag. 51 et 53, edit 1845). Simile quoad alias diœceses singulas decretum edidit Cardinalis Legatus.

6° In citatis documentis non fit mentio nisi de *unica* specie parœciarum, earum scilicet quibus præficiendi erant parochi *gubernio accepti*, et quibus, ex Concordato, solvenda erat a gubernio decens ad sustentationem pensio. Ne minimo quidem verbo meminit Cardinalis Caprara de alia specie parochiarum quæ *succursales* dictæ sunt.

De facto tamen duplicis speciei parochiæ constitutæ sunt; aliæ scilicet sub nomine *paroisses*, et aliæ *succursales* nuncupatæ. Cur ita factum sit, exponebat hodiernus Mechliniensis archiepiscopus, die 30 maii 1855, in hunc modum :

Quæ quidem res sic constitutæ fuerunt, quia gubernium reipublicæ gallicanæ, ut ex obligatione dotandi parochias novæ circumscriptionis, quam in se sumpserat, ærarium publicum minus gravaretur, unam tantum ecclesiam parochialem in qualibet JUSTITIA PACIS *erigi permisit. Cum tamen extensio* JUSTITIARUM PACIS *et numerus incolarum major esset quam ut unius pastoris cura sufficere posset, aliæ insuper ecclesiæ curatæ sine dotatione erectæ fuerunt, et quarum rectores eleemosynis fidelium sustentari debuerunt, donec pensionem annuam... obtinuerunt* (in causa quadam ad S. Congregatio nem Episcoporum et regularium delata).

7° In Articulis organicis, hæc a gubernio decreta occurrunt : *Il y aura au moins une* PAROISSE *par justice de paix. Il sera en outre établi autant de* SUCCURSALES *que le besoin pourra l'exiger* (art. 63.)

Chaque évêque, de concert avec le préfet, réglera le nombre et l'étendue de ces succursales. Les plans arrêtés seront soumis au gouvernement, et ne pourront être mis à exécution sans son autorisation (art. 61).

Les prêtres desservant les succursales sont nommés par les Evêques (art. 63).

Les vicaires et desservants exerceront leur ministère sous la surveillance et la direction des curés. Ils seront approuvés par l'Evêque et révocables par lui (art. 31).

8° Rescriptum Gregorii Papæ XVI, die 1 maii 1845, ad dubium ab Episcopo Leodiensi propositum :

Beatissime Pater — infra scriptus Episcopus Leodiensis omni qua decet veneratione humillime petit, ut examinetur sequens dubium. sibique pro conservanda in sua diœcesi unitate inter clericos, Ecclesiæ pace, communicetur solutio.

An, attentis præsentium rerum circumstantiis, in regionibus in quibus, ut in Belgio, sufficiens legum civilium fieri non potuit immutatio, valeat et in conscientia obliget, usque ad aliam sanctæ Sedis dispositionem, disciplina inducta post concordatum anni 1801, *ex qua Episcopi rectoribus ecclesiarum quæ vocantur succursales jurisdictionem, pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi, si revocentur vel alio mittantur, tenentur obedire*:

Cæterum Episcopi hac rectores revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter et nonnisi prudenter ac paterne uti solent; *adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest ex hisce rerum adjunctis satis consultum videatur. — Cornelius, Episcopus Leodiensis.*

Ex audientia Sanctissimi, die 1 *maii* 1845 — *sanctissimus Dominus noster, universa rei, de qua in precibus, ratione mature perpensa, gravibusque ex causis animum suum moventibus referente infra scripto Cardinali sacræ Congregationis Concilii Præfecto, benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a sancta Apostolica Sede statutum fuerit. — Cardinalis Polidorius Præfectus, — Tomassetti, sub-secretarius.*

9° Rescriptum Pii Papæ IX, die 5 octobris 1864, ad Episcopum Ebroicensem :

.. Particularis congregatio habita fuit sub die 1 septembris nuper elapsi ; *ac sanctissimus Dominus noster, in audientia diei* 2 *insequentis, audita relatione infra-scripti Domini*

pro-secretarii ejusdem sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, et voto Eminentissimorum et Reverendissimorum Patrum, Amplitudini tuæ rescribi mandavit: Opusculum a sacerdote Dagomer redactum ac in lucem editum, cui titulus Réhabilitation du desservant, *esse reprobandum; tum quia præmemoratus sacerdos nequidem legibus diœcesanis, et concilii provincialis Rothomagensis in illo edendo obtemperavit; tum quia Episcopos incusare veritus non sit, ac si absque probabili causa parochos amovibiles vulgo* desservants *transferre incaute soleant; tum demum quia judicis sibi partes occupaverit in quæstione sanctæ Sedi reservata, ad quam delata alias fuit, ac præsertim quoad parochos amovibiles regni Belgici, sub Pontificatu sanctæ memoriæ Gregorii XVI; qui per sacram Concilii Congregationem die 1 maii 1845. responsum super eadem Episcopo Leodiensi dedit... Romæ, 5 octobris 1864 — A. Cardinalis Quaglia, præfectus — Regliati, prosecretarius.*

CAPUT II.

DE DUPLICI SPECIE PAROCHIARUM IN GALLIA ERECTARUM.

Propositio I[a] — *In concordato, subsecutisque Pii VII et Cardinalis Legati decretis concordatum respicientibus, agitur dumtaxat de unica erigendarum parochiarum specie.* — In iis nempe documentis hæc statuuntur : 1° Integrum cujusque novæ diœcesis territorium in *parochias* dividendum est. 2° Singulis ejusmodi parochiis pro dote assignandi sunt proventus a gubernio solvendi, et isti proventus tales esse debent, ex conventione cum eodem gubernio inita, qui ad decentem parochi sustentationem sufficiant. 3° Ad Episcopos pertinet omnium illarum parochiarum rectores nominare ac instituere, ita tamen ut non nisi acceptos gubernio viros ad id muneris nominare debeant. Constant ista ex documentis, superiore capite transcriptis. Aliunde autem, in iisdem documentis, de alia erigendarum parochiarum categoria, ne vel minima reperietur mentio. Igitur, attento concordato; et

subsecutis ad ejusdem concordati executionem decretis, *unica* constitui debuit parochiarum species. Hæc nimirum *omnium* erigendarum parochiarum communis lex atque conditio: ut singulis pro dotatione assignarentur proventus a gubernio solvendi; ut parochos Episcopi nominarent; ut nominarent gubernio acceptos.

Propositio II^a^. — *De facto tamen constitutæ sunt duplicis speciei ac diversæ conditionis parochiæ, majores scilicet sub nomine* paroisses, *et minores sub nomine* succursales, — 1° Est factum notorietatis publicæ, executioni datum fuisse sexagesimum ex *Organicis* articulum, sic decernentem: « Il y aura au moins une *paroisse* par justice de paix. Il sera en outre établi autant de *succursales* que le besoin pourra l'exiger. » Jam scilicet initio constitutæ sunt et hodiedum extant parochiæ, aliæ quidem sub nomine *paroisses*, aliæ vero sub nomine *succursales*.

2° Neque diversum dumtaxat nomen, sed et conditio. Et *primo* quidem quoad dotationem. Nam de priorum parochis sic decretum fuit a gubernio: « Les curés seront distribués en deux classes. Le traitement des curés de la première classe sera porté à 1,500 fr; celui des curés de la seconde classe, à 1,000 fr. (Articles organiques, art. 66). De *succursalium* vero rectoribus, qui nomine *desservants* designantur, ita dispositum fuit: « Les vicaires et *desservants* seront choisis parmi les ecclésiastiques pensionnés, en exécution des lois de l'Assemblée constituante. Le montant de ces pensions et le produit des oblations formeront leur traitement. » (Art. 68). *Secundo*, quoad succursalium rectores dicitur: « Les prêtres desservant les succursales sont nommés par l'Evêque (art. 63) et *révocables* par lui. » (Art. 31). De aliis autem parochis nullibi disponitur eos fore per Episcopum *revocabiles*. Nec tantum a gubernio, sed etiam ab Episcopis intellectum est *succursalium* rectores, non autem alios, fore sic revocabiles. Jam quippe ab initio succursalistæ ab Episcopis deputati sunt *ad nutum revocabiles;* quæ disciplina constanter permansit et hodiedum perdurat, prout sufficienter testatur documentum 8 superioris capitis. E contra vero aliarum parochiarum rectores nec deputati sunt *ad nutum re-*

vocabiles, nec ut sic revocabiles ab Episcopis habiti sunt. *Tertio*, quoad succursalistas non exigit gubernium ut nonnisi sibi accepti ab Episcopis nominentur, Id vero exigit quoad aliarum parochiarum rectores. Igitur institutæ revera duplicis speciei parochiæ, quæ non tantum nomine sed et conditione ab invicem discrepant.

CAPUT III.

DE SUPPRESSIS A CARDINALI LEGATO ANTIQUIS OMNIBUS PAROCHIIS.

Propositio I[a]. — *Cardinalis Caprara omnimodam suppressionem decrevit.* — Constat decreto executoriali supra citato (capite 1, n° 4), præsertim his verbis: *Omnes et singulas parochiales ecclesias nunc pro tunc suppressas perpetuo fore declaramus.*

Propositio II[a]— *Suppressio hæc facta fuit sub conditione quod novæ circumscriberentur et erigerentur parochiæ, quæ totum uniuscujusque novæ diœcesis territorium occuparent, essentque veræ seu proprie dictæ parochiæ.* — Nam expresse dicit Caprara supprimi a se omnes antiquas, eo fine, ut possent novæ sive intra eosdem limites, sive aliter circumscribi et erigi. Neç vult effectum habere suppressionem, nisi eo temporis articulo quo novæ istæ erectæ fuerint; prout indicant verba *nunc pro tunc.* Quod autem loquendo de novis erigendis parochiis intellexerit *veras* seu proprie dictas parochias, sequitur ex ipso quo usus est *parochiæ* vocabulo.

Propositio III[a]. — *Qualitates quas, ex Concordato, habere debebant novæ parochiæ, ex eo quod defuerint non censendæ sunt invalidam effecisse antiquarum suppressionem.* — Ex concordato istæ novæ parochiæ pro dotatione habere debebant sufficientes ad decentem parochi sustentationem proventus, a gubernio solvendos; et Parochorum nominatio ad Episcopos pertinere debuit; ita tamen ut non nisi gubernio acceptos nominare possent. An autem novæ parochiæ habere deberent rationem beneficii *perpetui*, non autem beneficii *manualis* seu revocabilis ad nutum, in concordato non exprimitur; sed ex hoc ipso quod non exprimatur, merito con-

cluditur ea parochialia beneficia censeri debuisse *perpetua;* quia regula juris est, quodlibet sæculare beneficium curatum, habendum esse pro perpetuo, nisi constet de contrario. Porro de istis qualitatibus expendamus 1° an censendus sit Cardinalis Caprara eas apposuisse tanquam conditionem sine qua non quoad antiquarum parochiarum suppressionem; ita scilicet ut suppressio vim non habuerit, si novæ parochiæ absque aliqua ex istis qualitatibus constitutæ sint? Videtur respondendum negative. Etenim licet istæ qualitates in Concordato exprimantur, potuit Cardinalis validam velle dictam suppressionem, etiam casu quo præfatæ qualitates defuturæ essent, dummodo verificaretur principale, quod nempe loco suppressarum erigerentur novæ parochiæ. Talis intentio Cardinalis Legati *per se* nequaquam impossibilis est. Et aliunde nihil occurrit in ejus decreto quod eam de facto excludat. Nullibi enim dicit, supprimi antiquas parochias sub ea conditione quod novis erigendis non deerunt *dictæ qualitates.* Igitur ex eo quod novis parochiis aliqua ex istis qualitatibus deesset, concludi non posset antiquas non fuisse suppressas.

2° Singulas illas qualitates perpendendo, nulla reperietur ob cujus defectum dici possit non suppressas fuisse antiquas parochias. Et *primo* quidem dictæ suppressioni non obstat quod omnes novæ parochiæ non erectæ sint cum *parochiæ* nomine, sed plures *succursalium* vocabulo nuncupatæ sint. Non enim nomen, sed res ipsa attendenda est. Porro *succursales* prout constitutæ sunt et existunt, sunt veræ ac proprio dictæ *parochiæ,* prout infra probamus. *Secundo,* nec obstat quod succursalibus non eadem a gubernio assignata fuerit dotatio ac aliis parochiis. Nam gubernium ad succursalium etiam dotationem suos assignavit proventus, quod pro tempore sufficientes ad decentem rectorum sustentationem existimavit; videlicet hoc modo: *Les desservants seront choisis parmi les ecclésiastiques pensionnés, en exécution des lois de l'Assemblée constituante. Le montant de ces pensions et le produit des oblations formeront leur traitement* (art. org. 68). Et postea idem gubernium certam aliam pensionem succursalium rectoribus ad-

dixit. Porro sic gubernium explevit, etiam quoad succursales, concordati clausulam, qua statuebatur solvendos fore a gubernio proventus qui sufficerent ad decentem parochorum sustentationem, quosque debebant Episcopi pro parochiarum dotatione assignare. *Tertio*, nec obstat quod concordatum sanxerit ab Episcopis nominandos non esse parochos *nisi gubernio acceptos*; quæ conditio non expletur quoad succursalium rectores. Quod enim Pius VII id gubernio concesserit, fuit favor; porro favori renuntiare cuique liberum est. Non tantum non censendus est Pius VII ad valorem erectionis novarum parochiarum requisivisse, ut omnes ab Episcopis nominandi parochi essent *gubernio accepti*, sed prorsus censendus est id non indulsisse nisi ex necessitate; eo quod nempe gubernium hanc concessionem exigeret, secus concordato non subscripturum. Igitur quod non requiratur gubernii acceptatio quoad succursalium rectores nullatenus est contra concordatum. Imo nec esset contra concordatum, si gubernium quoad alios parochos hoc sibi concesso jure uti desineret. *Quarto* tandem non obstat inducta quoad succursalium rectores praxis seu disciplina *revocabilitatis ad nutum*. Equidem e textu concordati colligi potest ipsas etiam succursales debuisse tanquam beneficia *perpetua* erigi. Licet enim concordatum novarum parochiarum erectionem præscribendo, nec de *perpetuitate* nec de *manualitate* quidquam dicat, hoc ipso tamen quod de hoc sileat, concludendum est omnes eas parochias esse debuisse beneficia *perpetua*. Agitur quippe de beneficiis curatis sæcularibus. Porro, de jure, hujusmodi beneficia censenda sunt perpetua, hoc ipso quod non constet ea erecta fuisse quatenus *manualia*, id est, ad nutum revocabilia. Esto igitur praxis revocabilitatis ad nutum concordato contraria sit, inde non sequitur invalidam fuisse succursalium erectionem aut antiquarum parochiarum suppressionem; sed sequeretur dumtaxat erronee ab initio et illegitime inductam fuisse praxim illam revocabilitatis ad nutum. Nec dicatur in ipsa succursalium erectione, seu a limine fundationis, expressam et constitutam fuisse manualitatis qualitatem. An ita confecta sint alicubi instrumenta erectionis succursalium, ego ignoro. Sed etiamsi hoc modo

aliqui Episcopi succursales erexerint, dicendum foret nulliter ab ipsis adjectam *manualitatis* conditionem. Delegatam enim potestatem habuerunt dumtaxat ad circumscribendas et erigendas parochias juxta concordatum, non autem contra. Proinde manualitatis conditionem adjecissent sine accepta ad id potestate ; ac pro non addita conditio hæc habenda foret. Valeret nempe succursalium erectio, non valeret addita manualitatis conditio.

CAPUT IV.

DE RECTORIBUS PAROCHIARUM MAJORUM, ID EST, SUB NOMINE *paroisses* ERECTARUM

PROPOSITIO I[a] — *Dicti rectores sunt veri, in sensu juris, parochi.* — His nempe nulla deest ex iis conditionibus quas supra vidimus ad essentiam parochiatus constituendam requiri et sufficere. Deputantur enim ut curam animarum, ex officio seu *ex obligatione*, *et proprio nomine* (id est, non tanquam alterius vicarii), exerceant, in certum diœcesanorum numerum ; atque ita ut vicissim isti diœcesani aliquatenus teneantur ab ipsis sacra recipere. Constat præterea ex eo quod a respectivis Episcopis et a Sede Apostolica tanquam veri parochi habeantur. Neque ulla movetur de hoc controversia.

PROPOTITIO II[a] — *Dicti rectores sunt in officio perpetui.* — Nam pensio gubernii, ejusmodi parochis solvi solita, rationem habet, non tantum boni ecclesiastici, sed et veri beneficii ; prout in tractatu de Capitulis probavimus, agendo de ejusmodi pensionibus quoad canonicos. Jam vero certa est regula juris quæ docet, perpetua præsumi, et pro perpetuis habenda esse quælibet *beneficia curata sæcularia* (1), nisi beneficii fundator manualitatis (id est, revocationis ad nutum)

(1) Inversa est regula quoad religiosos : beneficia nempe regularia præsumuntur ad nutum superioris revocabilia, nisi aliter in limine fundationis aut auctoritate Apostolica cautum fuerit.

conditionem expresse apposuerit, eamque conditionem Episcopus Ecclesiæ nomine acceptaverit. Porro in erectione novarum parochiarum de quibus agimus, nemo istam manualitatis conditionem de facto apposuit: non summus Pontifex, qui id potuisset (1): non Episcopi: non gubernium. *De facto*, inquam; an autem *de jure* manualitatis conditionem apponere potuissent Episcopi, guberniumve, sequenti propositione discutitur. Sufficit autem *de facto* non appositam fuisse manualitatis conditionem, ut ejusmodi parochorum perpetuitas pro indubitata haberi debeat. Cæterum confirmatur conclusio ex ipsorummet Episcoporum galliæ persuasione, qui ejusmodi parochos unanimi consensu pro perpetuis habent. Item ex praxi Romanæ curiæ; siquidem multis ad ipsam delatis causis plane constat, dictos parochos a Romanis Congregationibus supponi in officio suo perpetuos, non autem ad nutum revocabiles,

CAPUT V.

DE SUCCURSALIUM RECTORIBUS.

Quoad ipsos expendendum venit: 1° An sint et ab initio fuerint ad nutum revocabiles; 2° an, licet ad nutum revocabiles, veri sint parochi; 3° an revocari possint sine causa, et detur ipsis ad aliquem superiorem recursus.

§ I.

De ipsorum revocabilitate ad nutum.

Propositio. I[a] — *Legitima probari nequit revocabilitatis ad nutum disciplina, ex articulis organicis.* — Equidem in iis articulis sic decernitur: « Les prêtres desservant les suc-

(1) Habet summus Pontifex supremam in omnia beneficia potestatem, ita ut possit beneficium perpetuum in manuale mutare et vice versa,

cursales sont nommés par les Evêques (art. 63). Ils seront approuvés par l'Evêque et *révocables* par lui (art. 31. » Ast nullum gubernio competebat jus, ejusmodi revocabilitatem, quoad succursalium rectores, decernendi. Etsi enim laicis ab Ecclesia concessum sit, ut valeant (assentiente tamen Episcopo) beneficium quod fundant manualitatis (id est revocabilitatis ad nutum) conditioni subjicere, id tamen eis concessum non est ob alium quam *fundatoris* titulum. Proinde non potuit gubernium rectores succursalium *revocabiles ad nutum* efficere, si *fundator* non fuerit. Porro nequaquam fundator fuit, quoad succursales aliasve noviter erectas parochias: « A quel titre revendiquerait-il cette qualité? N'est pas *fondateur* celui qui ne fait que restituer à une église les biens dont il l'a injustement dépouillée; et la dotation des nouvelles paroisses était-elle autre chose qu'une restitution? Ce n'était pas un acte de libéralité de la part du gouvernement : c'était un acte de justice. Il acquittait une partie de la dette qu'il avait assumée en s'emparant des biens du clergé... C'est, du reste, ce que le gouvernement reconnut lui-même lors du concordat. *En déclarant nationaux les biens du clergé catholique* (disait Portalis, rapport au Conseil d'Etat sur les articles organiques), *on avait compris qu'il était* JUSTE *d'assurer la subsistance des ministres à qui ces biens avaient été originairement donnés, On ne fera donc qu'exécuter ce* PRINCIPE DE JUSTICE *en assignant aux ministres catholiques des secours supplémentaires jusqu'à la concurrence de la somme réglée pour le traitement de ces ministres.* Le tribun Siméon faisait la même déclaration dans son rapport au tribunat : *De pieuses prodigalités avaient comblé de richesses le clergé de France, et lui avaient créé un immense patrimoine, L'Assemblée constituante l'appliqua aux besoins de l'Etat, mais sous la promesse de salarier les fonctions ecclésiastiques. Cette* OBLIGATION, *trop négligée, sera remplie avec justice, économie et intelligence.* Si donc celui-là seul est fondateur qui dote une église de ses propres biens, le gouvernement n'avait aucun titre pour prétendre à cette qualité, » (Revue théologique, 4e série, avril 1859, page 151). Igitur ex eo quod gubernium revocabiles ad nutum Episcopi decreverit succursalium

rectores, non sequitur legitimam initio fuisse hujusmodi revocabilitatis disciplinam. Si legitima fuerit, aliunde ista legitimitas repetenda est.

Propositio II[a]. — *Legitima probari nequit dicta revocabilitatis ad nutum disciplina, ex eo quod Episcopi novarum parochiarum fundatores fuerint.* — Si fundatores fuissent, revera potuissent succursales, imo et alias omnes novas parochias, sub lege manualitatis erigere. At fundatores non fuerunt, siquidem iis parochiis dotatio assignata est, non ex bonis Episcoporum, sed ex pensionibus a gubernio solvendis.

Propositio III[a]. — *Attentis concordati dispositionibus, non videtur legitime ab Episcopis induci potuisse, quoad succursales, disciplina revocabilitatis ad nutum.* — Nam Pius VII delegavit Episcopos ad circumscribendas et erigendas novas parochias, eisque parochiis pro dotatione seu beneficio assignavit pensiones a gubernio, ex conventione, solvendas. De qualitate autem *perpetuitatis* aut *manualitatis* ejusmodi beneficiorum parochialium, omnino siluit. Jam vero, ex hoc ipso silentio, censendus est voluisse ista beneficia esse *perpetua*. Nam, ex jure communi, quodlibet *beneficium curatum sœculare* censendum est perpetuum, hoc ipso quod non constet de contrario, sive expresse per instrumentum fundationis, sive æquivalenter alio modo. Igitur delegatio Episcopis facta, eumdem sensum habuit, ac si expresse eos delegasset Pius VII ad erigenda ista beneficia curata cum qualitate *perpetuitatis*. Posita autem tali delegatione non licuit, ut patet, Episcopis succursales sub lege *manualitatis* erigere. Hæc siquidem potestas censenda est non comprehensa fuisse in eorum delegatione, sed potius exclusa. Igitur facta per Episcopos succursalium circumscriptione et erectione, statim, de jure, parochiæ istæ fuerunt beneficia *perpetua*. Proinde non potuerunt Episcopi ad eas parochias legitime deputare rectores ad nutum revocabiles; seu, quod idem est, illegitime incepit et inducta fuit revocabilitatis ad nutum disciplina.

Confirmatur conclusio ex rescripto Gregorii Papæ XVI ad Leodiensem Episcopum, 1 maii 1845 (Vide supra, cap. 1, numero 8). Postulabat Leodiensis Præsul, *an valeat et in*

conscientia obliget, usque ad aliam Sanctæ Sedis dispositionem, disciplina inducta post concordatum anni 1801, ex qua Episcopi rectoribus ecclesiarum quæ vocantur succursales jurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi, si revocentur vel alio mittantur, tenentur obedire? Et responsum est : *Sanctissimus..... benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a Sancta Apostolica Sede statutum fuerit.*

Notatu valde digna sunt verba hæc *benigne annuit*. Quando a Summo Pontifice postulatur an aliqua praxis *sit legitima*, si revera praxis hæc sit legitima et conformis juri, respondetur *affirmative;* non autem respondetur *benigne annuit*. Nimirum hæc posterior formula solet adhiberi, quando quis postulat facultatem quam non habet *de jure*, quamque ideo postulat sibi conferri per concessionem summi Pontificis. Unde responsum istud *benigne annuit*, supponit id quod conceditur non esse *de jure*. Supponit nempe disciplinam revocabilitatis ad nutum quoad succursalium rectores, non fuisse legitime inductam. « Hæc duo (ait Houwen, de parochorum statu, p. 132) conciliari nequeunt, *benigne* scilicet *annuere*, ut prædicta disciplina subsistere pergat, et supponere eodem tempore eam juri communi innixam esse. Quæ enim juri communi innituntur, non solent *concedi* sed *præcipi*. Et ea sola quæ juri derogant... *benigne annuuntur*. » Igitur rescriptum istud, per quod certo jam legitima evasit dicta disciplina, immo per quod facta est immutabilis, donec aliter Sancta Sedes statuerit, simul satis aperte declarat eam initio non fuisse legitime inductam.

Hæc nunc opinio mea in hac difficili quæstione, quamvis antea contrarium tenuerim.

Objicies 1°. — Quod beneficium curatum seu parochiale manuale sit, id est, revocabile ad nutum, non repugnat essentiæ parochiatus, nec legibus ecclesiasticis ante Tridentinam synodum vigentibus, nec decretis Tridentinis; ergo potuerunt Episcopi, a Pio VII ad erigendas novas parochias delegati, eas quæ vocatæ sunt *succursales*, snb lege manualitatis erigere.

Respondeo. — Concedo antecedens, nego consequens. Nam ex eo qnod existere possint veri parochi ad nutum revocabiles, et ex eo quod legitime extiterint veræ parochiæ sub hac manualitatis lege, tum ante tum etiam post Tridentinam synodum, prout supra (parte 1, sect. 3, cap. 3 et 4) probatum est, non sequitur etiam in casu de quo agimus legitime inductam fuisse manualitatem. Nimirum *succursales* de quibus movetur quæstio, non erectæ sunt ab Episcopis nisi ex potestate delegata. Igitur censendæ sunt erectæ tanquam beneficia perpetua, si tales censendæ sint ex decreto delegationis Porro tales censendæ sunt ex verbis Pii VII. Nam præscribit Pius VII ab Episcopis erigi novas parochias, quibus singulis ipse suam dotationem seu beneficium assignat. Nec addit hoc beneficium fore *manuale*. Porro regula juris communis est, ut beneficium curatum sæculare censeatur *perpetuum* , ex hoc ipso quod expresse cautum non fuerit illud fore *manuale*.

Igitur objectio valet dumtaxat contra scriptores nonnullos, qui succursalium rectores non esse ad nutum revocabiles propugnarunt, tum ex eo quod repugnet verum et proprie dictum parochum ejusmodi revocabilitati subjacere: tum ex eo quod revocabilitas hæc adversetur sacris canonibus. At conclusio nostra nequaquam hisce rationibus nititur.

Objicies 2°. — Hoc ipso quod Pius VII, Episcopos delegando ad erigendas novas parochias, neque perpetuitatis neque manualitatis qualitatem præscripserit, eis liberum reliquit ut eas vel perpetuas, vel manuales erigerent; ergo legitime quoad aliquas potuerunt manualitatis disciplinam inducere.

Respondeo. — Nego antecedens, in quo latet error, ad quem ego, priorem hujus tractatus editionem scribendo, non attenderam. Nam beneficium novarum parochiarum omnium, jam Pius VII, antequam erectæ fuissent, constituerat et determinaverat. Assignaverat nempe pro dotatione seu beneficio pensionem annuam, qnam gubernium vi concordati solvere tenebatur, et quæ sufficiens ad *decentem* parochi sustentationem esse debebat. Porro ejusmodi beneficium, sic a Pio VII assignatum, jam censeri debebat *perpetuum*, quia

de jure perpetuum censeri debet beneficium curatum sæculare, de quo nec perpetuitas nec manualitas exprimitur. Igitur delegabantur Episcopi ad erigenda beneficia curata *perpetua* non *manualia*. Ergo ipsis liberum non relinquebatur illa erigere sive sub perpetuitatis, sive sub manualitatis lege.

Propositio IV^a^. — *Omnino certum est hodie legitimam esse quoad succursales disciplinam revocabilitatis ad nutum, donec aliter Sedes apostolica statuerit.* — Constat rescripto Gregorii Papæ XVI (quod vide supra, cap. 1. n. 8). Ibi nempe dicitur : *Sanctissimus benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium de quibus agitur nulla immutatio fiat, donec aliter a sancta apostolica Sede statutum fuerit.* Per hæc verba Gregorius XVI concedit ut inductum quoad succursales *regimen* continuari possit. Proinde regimen illud *legitimum* fore decernit; et consequenter etiamsi antea illegitimum fuisset, jam illud facit legitimum. Regimen autem istud est præcise *disciplina revocabilitatis ad nutum*, prout exposuerat in suo dubio Leodiensis Episcopus; estque id cæteroquin notorietatis publicæ. Ergo saltem ex quo sic concessit Gregorius XVI, disciplina ista certo legitima fuit, talisque permansura est, donec a Sede Apostolica mutetur.

Propositio V^a^. — *Dicta disciplina revocabilitatis ad nutum, non tantum hodie legitima est, sed etiam ex obligatione continuanda; eo sensu quod a nemine mutari possit, nisi a Sede Apostolica.* — Etenim Gregorius XVI non tantum concessit dictæ disciplinæ continuationem, sed insuper continuari eam *injunxit*. Hæc quippe vis istorum verborum : *nulla immutatio fiat*. Unde jam mutari legitime nequit disciplina ista, neque per ullius Episcopi statutum, neque per ullius etiam concilii decretum. Si *annuisset* dumtaxat Pontifex continuationem, non autem *injunxisset*, facultas eam continuandi favor censeri deberet. Favore autem non uti cuique liberum est. Sed ne ita intelligatur obstant verba, *nulla immutatio fiat*.

Propositio VI^a^. — *Quæstio de prædicta disciplina revocationis ad nutum, est Sedi Apostolicæ reservata, eo sensu quod nemini liceat propugnare seu pronuntiare, derelinquendam*

esse hanc disciplinam, antequam id Sedes Apostolica pronuntiaverit. — Nam: 1° per verba ista, *nulla immutatio fiat donec*,etc., illicita remanet dictæ disciplinæ derelictio, quamdiu eam derelinqui non permiserit summus Pontifex. Proinde qui eam derelinqnendam pronuntiaret ac propugnaret, non expectato summi Pontificis judicio, pronuntiaret licitum vel etiam obligatorium, quod revera esset adhuc illicitum. Sic autem judicare, docere ac propugnare, nemini fas est, ut patet. — 2° Idem confirmatur ex rescripto Pii Papæ IX, 5 octobris 1864, ad Episcopum Ebroicensem. Ibi enim reprobandum dicitur opusculum cui titulus, *Réhabilitation du desservant*, ex hac ratione : *quia (auctor) judicis sibi partes occupaverit in quæstione sanctæ Sedi reservata.* Propugnaverat nempe opusculi auctor derelinquendam esse dictam revocationis ad nutum disciplinam, utpote nocivam et illegitimam. Igitur quæstio hæc, *an derelinquenda sit dicta disciplina*, est reservata Sedi Apostolicæ, in eo sensu quod nemini liceat eam affirmative resolvere, antequam eam affirmative resolverit Sedes Apostolica.

Propositio VII[a]. — *Disciplina inducta, quam continuari permisit, imo et continuandam injunxit Gregorius XVI, hæc est : Solent Episcopi succursalium rectores deputare ad nutum revocabiles; et isti rectores, si revocentur vel alio mittantur, tenentur obedire.* — Nam succursalium *regimen* de quo loquitur præfatus Pontifex, et in quo nullam faciendam esse mutationem decernit, non aliud intelligi debet quam *disciplina* quoad succursales *inducta*, quam in suo dubio descripserat Leodiensis Præsul, et de qua postulaverat, an valeat et in conscientia obliget. Responsum siquidem semper relativum est ad quæsitum cui respondetur. Porro dictus Præsul *disciplinam inductam* sic descripserat : *ex qua Episcopi rectoribus ecclesiarum quæ vocantur succursales jurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi, si revocentur vel alio mittantur, tenentur obedire.* Igitur intellexit Gregorius XVI disciplinam, vi cujus *ad nutum revocabiles deputabantur* rectores succursalium, et vi cujus quando revocabantur vel alio mittebantur, *tenebantur obedire.* Et hanc ipsam disciplinam continuari præ-

cepit Gregorius XVI, donec aliter Sedes Apostolica statuerit. Unde hodie, et donec aliter summus Pontifex disposuerit, Episcopi succursalium rectores deputando ad nutum revocabiles, seu, quod idem est, eos ad nutum revocando, utuntur jure suo; et isti rectores, sic revocati vel alio missi, *tenentur obedire*. Quod tamen non præcludit omnem recursum ad superiorem, ut dicetur infra.

Propositio VIII[a]. — *Rescriptum Gregorii XVI non ita dependet ab hac conditione, quod Episcopi non revocent ad nutum nisi raro, prudenter et paterne, ut non verificata ista conditione, rescriptum jam applicationem non habeat.* Equidem Leodiensis Episcopus quæsito suo hancce adnotationem adnexuit : « Cæterum Episcopi hac rectores revocandi vel transferendi auctoritate *haud frequenter*, et non nisi *prudenter* ac *paterne* uti solent. » Et de hac adnotatione sic refertur in collectione periodica *Revue théologique* (4e série, avril 1859, p. 155) : « Il n'avait d'abord présenté que le doute pur et simple. Cette faculté absolue de révoquer ou transférer les desservants choqua les esprits. On fit entendre à Mgr de Liége que s'il ne mettait des limites à ce pouvoir, son doute resterait sans réponse. Il y inséra alors la dernière clause, par laquelle il assure que les Evêques n'ont coutume d'user de ce pouvoir que *rarement*, *prudemment* et *paternellement*. » Potuit sane hoc Leodiensis Præsulis de solita Episcoporum agendi ratione testimonium, Gregorii XVI animum movere, ut inductam revocationis ad nutum disciplinam continuandam decerneret. At censendus non est Pontifex voluisse ut rescriptum suum applicationem non haberet, nisi quando constaret Episcopos dicta facultate *raro prudenter* et *paterne* uti. Nam 1° in legibus non valent nec apponi debent conditiones vagæ et indeterminatæ, quæque juridice probari nequeunt, qualis foret conditio, *dummodo raro*, *prudenter et paterne fiat*. 2° Sequeretur Gregorium XVI aliquid contradictorium decrevisse. Nam ex una parte decrevisset mutandam non esse inductam disciplinam, siquidem dixit *nulla immutatio fiat*; et ex altera parte voluisset derelinqui disciplinam istam quoties non constaret Episcopos ea *raro, prudenter et paterne* uti. 3° Per suum rescriptum januam aperuisset conflictibus

et inextricabilibus litibus. Nam quoties Episcopus aliquem succursalis rectorem ad nutum revocaret, posset is opponere, quamplures Episcopos hac facultate uti *frequenter*, *absque prudentia* et *duriter*; proinde applicationem jam non habere Gregorii XVI rescriptum; consequenter se illegitime ad nutum revocari. Deberet ergo, in unoquoque casu, in antecessum judicari controversia ista : an hic et nunc episcopi generaliter abutantur necne dicta revocandi facultate. Quis autem esset competens judex? Si solus Papa, prout contendere posset parochus revocatus, ergo deberet Papa ut valeret quælibet ejusmodi revocatio, in antecessum pronuntiare, nimios non esse generaliter episcopos in dictæ facultatis usu. Quis porro sustineat hanc fuisse Gregorii XVI mentem? Igitur adnotatio Leodiensis episcopi, potuit quidem Gregorium XVI movere ad rescribendum quod rescripsit; at nequaquam censenda est *conditio sine qua non*, ut rescriptum juxta tenorem suum valeat et applicari debeat.

Objicies. — Sequeretur aliquid intolerabile, videlicet voluisse Gregorium XVI dictam disciplinam perseverare, etiam casu quo ea generaliter Episcopi tyrannice abuterentur.

Respondeo. — 1° Si casus iste contingeret, presto esset remedium. Nempe summus Pontifex vel abusum coerceret disciplinam istam interea retinendo, vel disciplinam ipsam mutaret. Continuandam enim eam decrevit cum hac restrictione, *donec aliter a sancta Sede statutum fuerit*. Igitur non est quid intolerabile quod disciplinam istam valere voluerit, donec a Papa immutata fuerit. Sequeretur e contra valde nocivum quid et intolerabile, si adjecisset conditionem, *dummodo generaliter Episcopi ea raro, prudenter et paterne utantur*. Quia tunc quilibet parochus ad nutum revocatus, posset revocationem hanc invalidam contendere, donec exploratum fuisset, et a competenti judice pronuntiatum, nimios non esse generaliter Episcopos in dictæ facultatis usu. 2° Dictus casus non est præsumendus; cum e contra, de jure, præsumptio stet pro superiore. Aliunde autem talis est naturæ ut probari nequeat a parocho revocato, qui illum assereret. Quomodo potest quis, verbi gratia, probare revocationes ad nutum fieri generaliter ab Episcopis Galliæ *absque prudentia*? Nosci debe-

rent uniuscujusque revocationis ad nutum rationes ac circumstantiæ omnes; quæ profecto quoad omnes diœceses a nemine noscuntur; vel si aliquatenus noscantur, non tamen ita ut judicialiter probari possint. Hinc ipsamet accusatio, quod Episcopi dicta disciplina abutantur, illicita censenda est, utpote temeraria et injuriosa. Et ita nuper Romæ judicatum constat ex rescripto Pii IX, 5 octobris 1864, ad Ebroicensem Episcopum; ibi enim opusculum, *Réhabilitation du desservant*, reprobandum dicitur ex ratione, quod auctor *Episcopos incusare veritus non sit, ac si absque probabili causa parochos amovibiles vulgo* desservans *transferre incaute soleant* (vide documentum supra, cap. I, n. 9).

Propositio IX[a]. — *Licet immutatio dictæ disciplinæ revocabilitatis ad nutum Sedi Apostolicæ sit reservata, valide ac licite possunt Episcopi, rem componendo cum gubernio, aliquas succursales erigere ad conditionem earum quæ vocantur* paroisses, *ita ut disciplinæ revocabititatis subesse desinant.* — Nam Gregorius XVI hisce verbis, *in regimine ecclesiarum succursalium nulla immutatio fiat*, legitimam et continuandam decrevit *inductam* quoad succursalium regimen *disciplinam*. Porro quemadmodum inducta fuerat disciplina et praxis ut rectores succursalium ad nutum removerentur, ita etiam usu et praxi inductum fuerat, ut identidem Episcopi *succursales* ecclesias erigerent ad conditionem earum quæ initio sub titulo *paroisses* constitutæ sunt, dummodo gubernium in tituli mutationem, et in solvendam novo titulo correspondentem pensionem consentiret. Quo peracto ecclesia succursalis jam non reputabatur disciplinæ revocabilitatis ad nutum subjecta. sed beneficiis perpetuis accensebatur. Hæc, inquam, ante Gregorium XVI perpetuo viguerat praxis. Cum ergo praxis hæc fuerit pars illius *inductæ* post concordatum quoad succursales *disciplinæ*, quam continuari Pontifex permittit, imo et præcipit, ex ipsius rescripto colligenda etiam venit hujusce praxeos legitimitas.

§ II.

Succursalium rectores, licet ad nutum revocabiles, sunt veri parochi.

Equidem primis post concordatum anni 1801 temporibus, res aliquatenus in quæstionem vocari potuit, ob ambiguas voces quibus gubernium intentum suum manifestavit, in articulo 31 ex organicis, qui sic habet : *Les vicaires et desservants exerceront leur ministère sous la surveillance et la direction des curés.* Eæ voces *sous la direction des curés* aliquatenus innuebant curam actualem succursalis remanere penes rectorem parochiæ præcipuæ ; ex quo rigorose sequebatur *deservitorem* non exercere curam proprio nomine, sed tanquam alterius vicarium. Ast 1° Episcopi non tenebantur gubernii assensum obtinere in modo jurisdictionem conferendi ejusmodi succursalium rectoribus ; sed tantum in determinando parochiarum numero et circumscriptione ; siquidem id tantum Pius VII per concordatum gubernio concesserat. Articuli autem organici, in quantum non nituntur dicti concordati pontificiis concessionibus, per se vim nullam juris habent, utpote ab incompetente in hujusmodi ecclesiasticis materiis auctoritate conditi. 2° De facto Episcopi memoratum articulum dicto sensu intellectum, non acceptarunt, sed e contra rejecerunt ; siquidem deservitoribus curam animarum, proprio nomine exercendam, commisere ; ita nempe ut parochiæ præcipuæ rector curam actualem in succursali nullam haberet, nec posset in ea sese immiscere. 3° Ipsummet gubernium suum articulum intellectum voluit eo sensu, qui modo agendi Episcoporum consonaret. Nam in sua quadam ad Episcopos epistola (25 therm. an 10) præmonebat dominus Portalis non in aliud intendisse articulum organicum, quam ut præcipuæ parochiæ rectori committi ab Episcopo posset inspectio in succursalem, necnon visitatio, aliaque jura olim archipresbyteris et decanis competentia.

Unde certum omnino est cuilibet deservitori committi ani-

marum curam, non tanquam vicario alterius, sed proprio nomine exercendam. Et sicut proprie dictus quilibet parochus, ita deservitor ex officio tenetur parochiæ suæ incolis sacramenta ministrare; et vicissim hi tenentur ad ipsum recurrere in iis casibus, in quibus de jure tenentur parochiani proprium suum parochum, et non alium, adire; verbi gratia, in matrimoniorum celebratione, in recipienda semel in paschate communione, etc. Quæ conditiones, cum ipsammet parochiatus essentiam constituant (ut supra probatum est), omnino concludendum venit, hodiernos Galliæ curatos, qui vocantur *desservants*, veros esse et proprie dictos, in sensu juris, parochos.

§ III.

An succursalium rectores revocari possint sine causa, et detur ipsis ad superiorem recursus contra pronuntiatam ab Episcopo revocationem (Remissive).

Quæstionem hanc expendemus infra *Parte tertia*, *sectione IV, subsectione II*, capite 3.

PARS II.

DE CANONICA NORMA PAROCHIAS

constituendi et supprimendi.

Dicemus 1° quotuplici modo constitui possit nova parochia; 2° de parochiarum erectione per viam creationis; 3° an et quatenus Episcopi potestatem habeant novas parochias per viam dismembrationis erigendi; 4° quænam sit justa causa, a jure requisita, ut possit Episcopus ad dismembrationem procedere; 5° quænam sint formalitates requisitæ, ut canonice fiat ab Episcopo dismembratio et erectio; 6° de appellatione a decreto erectionis et dismembrationis; 7° de unione parochiarum; 8° qua norma parochiæ sub jure patronatus canonice constituantur; 9° de ecclesiarum parochialium alteratione et suppressione.

CAPUT I.

QUOTUPLICI MODO CONSTITUI POSSIT NOVA PAROCHIA.

I. Nova parochia constituitur vel per meram creationem, vel per dismembrationem.

Quando constat nova parochia, non ex portione vel portionibus parochiæ vel parochiarum jam existentium, sed ex populo vel territorio nondum ulli parochiæ adscripto, dici potest erigi per viam creationis. Talis conditionis, verbi gratia, fuerunt omnes parochiæ Galliarum statim post con-

cordatum anni 1802 erectæ. Nam Pius Papa VII omnes hujus regionis parochias suppresserat et exstinxerat, ut fieret nova circumscriptio et erectio. Unde parochiæ in vim Pontificii decreti tunc erectæ, non per dismembrationem antiquarum, quæ jam non existebant, sed per creationem constitutæ sunt.

Dicitur e contra erigi nova parochia per dismembrationem, quando ex una vel pluribus parochiis jam existentibus aliquæ partes distrahuntur, et ex iis partibus alia constituitur. Et hoc modo frequenter in omnibus diœcesibus contingit novas exurgere parochias. Atque etiam in Gallia post memoratam primam circumscriptionem anni 1802, nonnullæ decursu temporis per aliarum jam erectarum dismembrationem erectæ sunt.

II. Novæ parochiæ erigi possunt vel per se stantes, vel adnexæ. Quandoque scilicet contingit ut cura animarum quoad certum populum adnectatur alicui monasterio, vel alicui capitulo, vel præbendæ alicujus dignitatis (verbi gratia, archidiaconatus vel præposituræ), vel alicui beneficio simplici, quod sic transit in curatum seu parochiale. Ejusmodi autem parochiæ dicuntur adnexæ, et considerantur tanquam quid accessorium ad capitula, monasteria, etc., quibus adnectuntur. Secus quando locum non habet ejusmodi adnexio : tunc enim parochia est quid principale et per se stans.

III. Nova parochia constitui potest vel per unionem, vel absque unione. Quando nempe duæ aut plures parochiæ ad unam reducuntur, ex ista unione exsurgit parochia aliquatenus nova.

IV. Tandem erigi potest parochia, vel cum jure patronatus, vel absque isto jure. Quando nempe quis ecclesiam, quæ parochialis efficitur, ædificavit, vel perpetuis reditibus dotavit, contingit nonnunquam ut sibi suisque in perpetuum hæredibus reservet jus præsentandi ad ejusmodi beneficium parochiale quoties vacaverit, et similes alias prærogativas. Qua dispositione, si ab auctoritate ecclesiastica acceptetur et firmetur, dictus fundator jus illud, quod *patronatus* nuncupatur, sibi suisque in perpetuum hæredibus acquirit; sicque erecta parochia sub jure patronatus constituta dicitur.

CAPUT II.

DE PAROCHIARUM ERECTIONE PER VIAM CREATIONIS.

Rarissime contingit in aliqua diœcesi reperiri territorii populive partem aliquam, quæ alicui jam constitutæ parochiæ non adscribatur (1). Rarissimus proinde casus quo erigi possit nova parochia per *viam creationis*, id est, ex territorio vel populo ad nullam parochiam antea pertinente. Hinc solent canonistæ casum illum, utpote vix unquam practicum, prætermitterc. De quo et nos, eamdem ob causam, pauca dumtaxat adnotabimus.

I. Dubium non est ad ordinariam Episcopi potestatem pertinere, eam diœcesis suæ regiunculam plebemve, quæ nondum ulli parochiæ adscripta foret, in parochiam erigere ; id est ibi sacerdotem constituere, qui proprio nomine et ex officio illarum animarum curam exerceat. Id a fortiori sequitur ex eo quod possit (ut infra probatur), et quidem vi ordinariæ potestatis suæ, per viam etiam dismembrationis novas erigere parochias.

II De jure autem communi tenetur Episcopus, quocumque modo nova erigatur parochia, providere de sufficienti dote ad honestam curati sustentationem ; nisi tamen id impossibile foret ob egestatem eorum omnium qui contribuere tenentur: nam in eo casu posset absque dicta dote parochia erigi, ut infra cum Fagnano concludemus.

(1) In regionibus infidelium, ad fidem catholicam noviter subactis, datur locus novarum diœceseon erectioni ; et in hujus modi semel constitutis diœcesibus reperiuntur in parochias distribuendi populi, qui nulli adhuc parochiæ adscripti fuerant. Item in Gallia anno 1801 erigendæ fuerunt per viam creationis parochiæ; si quidem auctoritate pontificia omnes quæcumque tunc temporis exstabant, suppressæ atque exstinctæ fuerant; ita ut noviter erectœ, non ex unione vel dismembratione jam existentium conflatæ sint, sed in locum extinctarum et jam non existentium successerint.

Nunc ad parochiarum *per viam dismembrationis* (quæ perpetuo in praxi adhibenda recurrit) erectionem, gradum facimus.

CAPUT III.

AN ET QUATENUS EPISCOPI POTESTATEM HABEANT NOVAS PAROCHIAS PER VIAM DISMEMBRATIONIS ERIGENDI?

Prænotandum. — 1° Dubium non est quin ea potestate Romanus Pontifex quoad totum orbem polleat; atque id in quæstionem vocari nequit; prout Cardinalis de Luca (in *Summa* libri 12 *de Beneficiis*, n. 206) loquens *de unione, divisione, dismembratione, et nova erectione*, sic adnotat: « Papæ hujusmodi actus, vel eorum aliquos facientis, nulla cadit « quæstio potestatis; quæ plena et absoluta est. Minusque « causæ requisitum desideratur, nisi quatenus ex illa præsup« posita quæ non existat, resultet surreptio seu defectus vo« luntatis... Ubi vero ordinaria auctoritate hujusmodi actus, « vel eorum alter sequantur, utpote speciem alienationis re« dolentes, causa necessitatis, vel nimiæ utilitatis, pluresque « solemnitates... exiguntur. »

2° Item quæstio esse nequit de iis qui jurisdictione destituuntur, cum absonum sit posse absque jurisdictione existentes parochias dismembrari aut novas erigi.

3° Hinc quoad Episcopos dumtaxat, seu locorum Ordinarios, quæstionem posuimus; eo scilicet consilio, non tantum ut hanc eorum potestatem inconcusse adstruamus, sed etiam ut qualis ea sit, seu quibus conditionibus subjaceat et coarctetur, palam faciamus. De quo sint sequentes paragraphi.

§ I,

Præmittuntur juris textus e quibus pendet propositæ quæstionis solutio.

Duo præcipue ad rem faciunt quibus et solent canonistæ suas de hac materia conclusiones firmare.

1° Adduci solet caput *Ad audientiam* (3, tituli 48 *de Ecclesiis ædif.*, libri 3 Decretalium), tenoris hujuscemodi : *Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod villa quæ dicitur H., tantum perhibetur ab ecclesia parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundant, non possint parochiani sine magna difficultate ipsam adire: unde non valent congruo tempore ecclesiasticis officiis adesse. Quia igitur dicta ecclesia dicitur reditibus abundare, quod præter illius villæ proventus minister illius convenienter valeat sustentationem habere, mandamus quatenus, si res ita se habet, ecclesiam ibi ædifices, et in ea sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem rectoris ecclesiæ majoris, cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam ejusdem villæ obventiones ecclesiasticas percepturum : providens tamen ut competens in ea honor, pro facultate loci, matrici ecclesiæ servetur : quod quidem fieri posse videtur, cum ejusdem villæ dominus viginti acras terræ frugiferæ velit ad usus sacerdotis conferre. Si vero persona matricis ecclesiæ virum idoneum præsentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, et virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas.*

Notetur decretalem istam, quæ anno 1170, ab Alexandro III ad Eboracensem Episcopum directa est, etsi ad casum particularem dumtaxat referatur, tanquam normam tamen universalem corpori juris fuisse insertam, et ut talem unanimiter a doctoribus habitam. Imo tanquam lex generalis a Tridentino concilio fuit confirmata, ut patet ex sequentibus dictæ synodi, verbis :

2° Alter nempe juris textus, in præsenti materia valde attendendus, est caput 4 sessionis 21 Tridentinæ synodi, in quo sic decernitur : *Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quo populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum,*

In iis vero in quibus, ob locorum distantiam sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III, quæ incipit AD AUDIENTIAM, *constituere possint. Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus; et si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare quæ sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam*;

§ II.

Episcopis, tum quatenus a Sede Apostolica delegatis, tum etiam quatenus Ordinariis, competit potestas per viam dismembrationis novas erigendi parochias; et quidem invitis etiam dismenbrandarum parochiarum rectoribus.

I. Dictam potestatem habent Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati. Nam in citato Tridentino decreto expresse disponitur, 1° ut *possint* Episcopi *novas parochias constituere*; 2° ut id possint *juxta formam constitutionis Alexandri III quæ incipit* AD AUDIENTIAM : quod idem est ac dicere *per viam dismenbrationis* posse ab Episcopis parochias erigi, siquidem in illa decretali *Ad audientiam* agitur de parochia per dismembrationem constituenda ; 3° vult Tridentina synodus ut id possint Episcopi *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati*. Ergo revera ex Tridentino textu Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis competit potestas per viam dismembrationis novas erigendi parochias.

Quam cæteroquin conclusionem tenent communiter canonistæ. Inter quos sic Leurenius (*Forum beneficiale,* parte 1, quæst. 155); « Ad quos spectet erigere novas parochiales ?— « Respondeo: id posse Ordinarios auctoritate sibi desuper « tanquam Sedis Apostolicæ delegatis impertita, vi citati ca- « pitis *Ad Audientiam*, et capitis 4 sessionis 21 Tridentini.

« Porro quoties Papa (ad quem quandoque recurritur, ubi « de similium parochialium erectionibus ordinaria auctori- « tate factis dubitari contingit, ut parochialis ordinaria jam « auctoritate erectæ confirmatio, seu nova erectio ab ipsa Sede « Apostolica impetretur) concedit similes erectiones (in qui- « bus pro causa allegatur dicta locorum distantia et difficul- « tas), semper rescribit Ordinario, ut auctoritate Apostolica « erigat, servata forma citati capitis *Ad audientiam*. »

Dum autem ibi dicit Leurenius quandoque recurri ad Papam, et a Papa *confirmari* erectionem ab Episcopo factam, id intelligendum est, de recursu et confirmatione, non ex necessitate, sed libere et ad cautelam adhibitis ; prout ipse Leurenius adnotat in citato opere, parte 3, quæst. 927.

II. Eadem potestas Episcopis etiam competit jure ordinario. Nam ante Tridentinam synodum ipsis competebat vi citatæ decretalis *Ad audientiam* ; quam decretalem tanquam generalem legem memorat Tridentina synodus ; et eam nequaquam abrogat, sed confirmat. Ergo etiam post Tridentinam synodum penes Episcopos remansit jus ordinarium parochias per viam dismembrationis erigendi.

Confirmatur ex modo loquendi Tridentinæ synodi. Quando enim aliquam potestatem Episcopis conferendo tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, addit vocem *etiam*, signum est (prout communiter tradunt doctores) eam potestatem *ordinario* simul jure ipsis competere.

III. Dictam potestatem parochias dismembrandi habent Episcopi, invitis etiam earum rectoribus. Quæ conclusio indubitata est apud doctores omnes, ob expressa Tridentini verba quæ nullum dubitationi locum relinquunt. Usi sunt enim Tridentini patres clarissima hac formula *etiam invitis rectoribus*. Quibus verbis evanuit controversia veterum canonistarum, qui, attenta dumtaxat decretali *Ad audientiam*, aliisve juris textibus Tridentinæ synodo anterioribus disputabant num requireretur parochorum consensus.

§ III.

Dictam potestatem dismembrandi habent Episcopi etiam in parochias exemptas.

Equidem si qua parochia sit ab Ordinarii jurisdictione exempta, sive quod adnexa sit alicui monasterio vel capitulo exempto, sive alia de causa, nequibit Episcopus vi ordinariæ jurisdictionis suæ eam dismembrare. Atvero cum Tridentina synodus ipsum quoad ejusmodi parochiam dismembrationes et erectiones constituerit Sedis Apostolicæ delegatum, vi hujusce delegatæ jurisdictionis procul dubio poterit dismembrationem exemptæ etiam parochiæ decernere.

§ IV.

Episcopi, etiam quatenus Sedis Apostolicæ delegati, præfatam potestatem non habent absolute, sed certis et a jure determinatis conditionibus et formalitatibus subjectam.

Contat 1°, ex textu ipso legum ecclesiasticarum, quibus Episcopis vindicatur dicta potestas. Nam ex Tridentino decreto (cap. 4, sess. 21, *de Ref.*) possunt quidem Episcopi *novas parochias constituere,* antiquas dismembrando; idque *invitis etiam* dismembrandarum *rectoribus*: atvero id eis conceditur dumtaxat quoad ea loca *in quibus, ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt.* Ergo ut dismembrandi facultate polleat Episcopus, tanquam necessaria conditio requiritur *magnum* illud, a Tridentinis patribus descriptum, parochianorum incommodum: ergo revera dicta Episcoporum facultas alicui *conditioni* subjacet.

Item in citato decreto statuunt Tridentini patres, ut procedatur *juxta formam constitutionis Alexandri III quæ incipit* Ad audientiam. Sed in hac constitutione plures servandæ præscribuntur formalitates; ergo dicta Episco-

porum potestas certis etiam *formalitatibus* subjacet. Adstringi autem Episcopos, etiam quatenus Sedis Apostolicæ delegatos, ad dictam conditionem et dictas formalitates, constat ex ipso Tridentino textu ; qui, postquam expresse memoravit Episcopos quatenus delegatione Apostolica donatos, nihilominus ejusmodi conditionem et formalitates decernit.

Constat 2°, ex communi doctorum consensu. « Recepta « conclusio est (ait Cardinalis de Luca, *de Parochis*, discursu « 35, n. 6.), dismembrationem unius ecclesiæ ab altera « sapere speciem veræ alienationis ; ideoque requiri copu- « lativum concursum solemnitatis, ac justæ causæ, juxta « doctrinam abbatis... »

Item Leurenius, postquam expendit (*in Foro* suo *beneficiali* parte 1, quæstione 154) : « Quæ sint vel non sint sufficientes « causæ constituendi novam parochiam, dismembrando an- « tiquam, » sic pergit (ibidem, quæstione 157) : « An et quæ « solemnitates aliaque servanda, præter dictas causas, re- « quirantur ad constitutionem novarum parochialium cum « dicta dismembratione ? — Respondeo primo : requiri certas « solemnitates dum dismembratio et constitutio novæ paro- « chialis fit per Ordinarium (secus dum fit a Papa, ejusdem « auctoritate supplente solemnitatem). Proceditur namque « in tali negotio dismembrationis tanquam in specie formalis « alienationis, rigorose ; ideoque requiritur copulativus « concursus *justæ causæ* et *solemnitatis*. »

Consonat Fagnanus (in caput *Ad audientiam, de Eccles ædific.*, n. 13) : « Quæro generaliter (inquit quæ requi- « rantur ad hoc ut nova parochia erigi possit ab Episcopo « infra limites alterius parochiæ? — Respondeo multa esse « necessaria ; quorum si vel alterum deficiat, erectio non « sustinetur. Et quidem ante omnia requiritur justa causa, « de qua constet legitime : nam regula est, ut parochialis « ecclesia in alterius parochia ædificari non debeat (ut capite « *Ecclesiæ*, et capite *Quicumque*, 16, q. 1). Sed hæc re- « gula fallit, legitima subsistente causa, ut aperte probatur « hic (1) : nam Pontifex primo narrat causas erectionis :

(1) Nempe in capite *Ad audientiam, de Ecclesiis ædif.*, de quo ibi desserit Fagnanus.

« deinde præcipit erectionem fieri, adjecta clausula, *si res ita « se habet*. Ergo causa subsistente eaque probata, et non « alias, permittitur erectio. Est enim hujusmodi erectio et « dismembratio a parochia antiqua, instar alienationis ju- « rium ecclesiæ, quæ sine causa fieri non debet (ut capite 1, « *de Rebus ecclesiæ non alienandis*, in 6). » Postea enumerat idem auctor (n. 28 et seq.) octo requisitas formalitates, præter justam dismembrandi causam.

Quam etiam doctrinam exponebat Sacræ Congregationis Concilii secretarius (in causa *Massanensi*, 9 maii 1840, tomo 100 *Thesauri resolutionum*) in hunc modum : « Nescit nemo, qui « vel a limine sacros canones salutaverit, beneficiorum dis- « membrationem in jure esse odiosissimam : quippe quæ alie- « nationem sapiat, ut aiunt Abbas..., Lotterus..., Rota... « Hinc nonnisi in subsidium ac gravissimis patentibus causis, « quæ sunt urgens necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas, « permittendam docent..., præsertim cum de parochialibus « ecclesiis sermo est. »

Constat 3°, ex prohibitione, ipsos etiam Episcopos attingente, res Ecclesiæ alienandi. Nam constitutio *Ambitiosæ* Pauli Papæ II (*Extrav. comm.*, libro 3, titulo, 4, capite unico) ejusmodi alienationem districte prohibuit, ipsis etiam Episcopis, excipiendo dumtaxat casus in jure permissos : atqui divisio seu dismembratio alicujus parochiæ est ipsius bonorum et jurium alienatio : ergo fieri nequit ab Episcopis, nisi eo modo quo ipsis a jure concessa reperitur : nullibi autem reperitur ipsis concessa facultas hæc absolute et sine conditione ; sed tantum justis de causis, ab eodem jure expressis : ergo revera, ut possit Episcopus parochiam dividere seu dismembrare, requiritur justa causa.

Hoc autem argumentum ex prohibitione bona ecclesiastica alienandi deductum, canonistis solemne est tanquam peremptorium quoad præsentem quæstionem exhibere ; prout satis patebit ex sequentibus citationibus : « Dismembratio an et « qualiter prohibita vel permissa ? Respondeo *primo* : dis- « membratio quorumvis beneficiorum jamdudum prohibita « fuit in concilio Turonensi (capite *Majoribus*, et capite *Tuæ*, « *de Præbendis*) ; quia divisiones et dismembrationes eccle-

« siarum redolent et in jure censentur species formalis et « veræ alienationis prohibitæ, cadentis sub dispositione ex- « travagantis *Ambitiosæ* (*de rebus Ecclesiæ non alienandis*).. « Respondeo *secundo* : tamen permissa est ex causa legitima « (capite *Ad audientiam*, *de Ecclesiis ædif.*) » Ita Leurenius in suo *Foro beneficiali*, parte 3, quæstione 947. Qui auctor paulo post (quæstione 949) eamdem doctrinam tradit, adducta multorum canonistarum auctoritate.

Consonat Cardinalis de Luca : « Divisiones et dismembra- « tiones, inquit, omnes et forte majores *solemnitates* exigunt, « cum *justa causa necessitatis vel utilitatis* ; eo modo quo in « formalibus alienationibus desideratur » (*de Regular.*, dis- « cursu 5, n. 4). Divisio, vel suppressio, aut dismembratio, « aut alia concessio ecclesiarum, redolet prohibitam alienatio- « nem, quæ ab Episcopo vel alio prælato fieri non potest abs- « que copulativo concursu *solemnitatis* et *justæ causæ* » (ibi- « dem, discursu 64, n. 9). Dismembratio fructuum nullomodo « fieri debet, nisi adhibitis debitis requisitis et *solemnita-* « *tibus* ad illius validitatem, una cum *justa causa* : cum ipsæ « causæ requirantur ac solemnitates in hujusmodi dismem- « bratione; quæ adhiberi debent in alienatione rerum Ec- « clesiæ. » (Corradus, apud Leurenium, citato loco.) Cæteros doctores si adeas omnino reperies in hac re concordare.

Occurrit nunc gravissima, utpote quotidianam praxim attingens, quæstio, quænam sit illa *justa causa*, et quænam illæ *formalitates* ad legitimam dismembrationem et novæ parochiæ erectionem requisitæ. De quo sigillatim sub sequentibus capitibus disserere visum est.

CAPUT IV.

QUÆNAM SIT JUSTA CAUSA, A JURE REQUISITA, UT POSSIT EPISCOPUS AD DISMEMBRATIONEM PROCEDERE.

Propositio I^a. — *Justa causa non alia esse potest, quam vel distantia, vel alia difficultas parochianorum accedendi ad*

recipienda sacramenta et audienda divina officia. — Nam jus non aliam exprimit, ob quam licitam faciat Episcopis dismembrationem. *Ob locorum distantiam sive difficultatem*, ait Tridentina synodus : atque pariter decretalis *Ad audientiam* non aliam exprimit causam quam accedendi ad parochiam *difficultatem.* Aliunde vero certum est, et a doctoribus unanimiter receptum principium, licitum non esse Ordinariis parochias dividere aut dismembrare, nisi in casibus a jure permissis ; ex eo quod nempe talis dismembratio habenda sit pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, et quælibet ejusmodi alienatio, vi constitutionis *Ambitiosæ,* sit ipsis etiam Episopis interdicta, extra casus a jure exceptos. Cum ergo jus, dum causas enumerat ob quas facultatem facit Episcopis parochias dismembrandi, non alias exprimat, quam *distantiam* aut *aliam difficultatem*, concludendum omnino est non aliam dari legitimam dismembrationis causam, quam vel *ex distantia* vel ex *alia difficultate* ad parochialem ecclesiam accedendi. Unde merito Fagnanus (in caput *Ad audientiam de Eccles. ædif.*, n. 18) ; « Ad hanc « difficultatem accedendi ad ecclesiam matricem, pro sus- « cipiendis sacramentis et divinis officiis audiendis, aliæ « causæ omnes reducuntur. « Atque idem auctor (loco citato, « n. 23), sic eamdem sententiam exprimit : « Ex prædictis « collige, in effectu unicam esse causam erigendi novam pa- « rochiam, videlicet magnam difficultatem accedendi ad eccle- « siam matricem pro sacramentis percipiendis, et divinis « officiis audiendis : nam aliæ causæ, videlicet distantia loci, « flumina intermedia, portæ civitatis clausæ, necessitas le- « prosorum, et alia id genus impedimenta, in tantum jus- « tificant erectionem, in quantum pariunt difficultatem hu- « jusmodi : alias secus, ut ex jam dictis constat. »

Propositio II^a^. — *Ingens populi multitudo non est per se causa legitima dismembrationis.* — Sequitur ex præcedenti propositione. Nam ingens populi multitudo existere potest absque nimia distantia et absque nimia difficultate accedendi. Cum ergo, ex præcedenti propositione, ratio nimiæ distantiæ et difficilioris accessus, sint *solæ* causæ legitimæ dismembrationis, sequitur ingentem parochianorum multi-

tudinem inter ejusmodi causas non esse numerandam. Quod cæteroquin satis indicat ipsummet Tridentinum decretum (cap. 4, sess. 21) : nam ibi Tridentini Patres suum etiam remedium huic nimiæ multitudinis inconvenienti attulerunt: atvero remedium illud non est dismembratio, sed plane diversum ; ut nempe cogatur parochus tot sibi adjungere vicarios, quot necessarii erunt ad sacramenta ministranda, aliaque ad curam animarum opportuna peragenda. Remedium vero dismembrationis non sanxerunt, nisi quoad casum nimiæ distantiæ, seu difficilioris accessus.

Conclusionem autem firmant communis doctorum sententia, et Sacræ Congregationis Concilii declarationes, prout satis patebit ex sequentibus citationibus.

« Glossa ultima in caput *Nulli* (99 distinctionis), adducit « aliam causam construendi novam ecclesiam in parochia « antiqua ; videlicet, cum multitudo fidelium excrevit : et « movetur argumento illius textus, ibi : *Nisi aliqua gens « deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem eorum primatem constitui...* Tu dic contra « quoniam hoc casu nova parochia non debet erigi ; sed utendum est remedio concili Tridentini, dicto capite 4 (in principio) sessionis 21, ubi statuitur ut *Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quod sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum*, Unde « Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres, jampridem « censuit, ex ea sola causa, quod populus alicujus parochiæ « adeo sit numerosus, ut unus rector non possit sufficere « sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, mi« nime quidem licere Ordinario novam parochiam erigere, « nisi et alia concurrant, quæ exprimumtur in constitutione « Alexandri III, quæ incipit *Ad audientiam*, et innovatur « decreto concilii (capite 4, sessionis 21): sed ob magnum « hujusmodi numerum debere Ordinarium uti remedio dicti

« capitis 4, scilicet cogendo rectores ut sibi sacerdotes ad-
« jungant quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum
« divinum celebrandum. » (Fagnanus, in caput *Ad audientiam, de Ecclesiis ædific.*, n. 24 et seq)

« Item responsum (*nempe a Sacra Congregatione Concilii*),
« non potuisse Episcopum erigere in ecclesia parochiali duas
« vicarias perpetuas eo quod populus esset numerosus. » Fagnanus, loco citato, n. 27.)

« De cætero, ubi in ecclesiis parochialibus, vel etiam bap-
« tismalibus, populus ita fit numerosus, ut unus rector non
« possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, vel
« pluribus infirmis providendis, et divino cultui peragendo,
« non est causa sufficiens dividendi parochiam, aut consti-
« tuendi aliam cum præcedentis præjudicio. neque etiam eri-
« gendi coadjutoriam; sed in vim Tridentini concilii (ses-
« sione 21, capite 4) cogendi per Ordinarium rectores, vel
« alios ad quos spectat, ad adjungendum sibi tot sacerdotes,
« quot sufficiunt ad administranda sacramenta et cultum
« divinum peragendum (Lotterus... Barbosa... Corradus...,
« citantes desuper declarationem Sacræ Congregationis);
« multoque minus reputabitur pro justa causa constituendi
« parochiam novam, si ecclesia non sit capax totius populi,
« ac ita deformis; tum quia neque Tridentinum, neque cita-
« tum caput *Ad audientiam* id consideravit; tum quia huic
« difficultati occurri potest per ampliationem ecclesiæ, vel
« per exstructionem novæ capellæ in proprietate parochialis
« antiquæ. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, quæst. 154, n. 4.)

Eamdem doctrinam reperies apud Pignatellum (tomo 4, consult. 230, n. 13) Sacræ Congregationis Concilii necnon Rotæ decisionibus firmatam. In causa *Massanensi*, 9 maii 1840 (in *Thesauro resolutionum*, tomo 100), illud idem sic exponebat Sacræ Congregationis Concilii secretarius : « Inter
« necessitatis et utilitatis exempla recensentur etiam magnus
« oppidanorum numerus, ac nimia distantia a parœciali ec-
« clesia... Verum adnotant doctores, *ob solum parochiano-*
« *rum numerum*, etsi exorbitanter sit auctus in eodem loco
« ecclesiæ parochialis, ad subsidiarium dismembrationis re-

« medium non deviniri, cum succurri possit semper per « unius vel plurium vicariorum deputationem. » (Atque ibi in probationem adducuntur variæ decisiones Rotæ.)

Nota. — *Quoad hodiernas parochias civitatis Parisiensis.* — Quamvis citati doctores tanquam causam legitimam dismembrationis non admittant populi numerum, etiam *exorbitanter* adauctum, difficile mihi persuadeam id eos intellexisse de numero ita exorbitante, ut ad triginta millia et amplius animarum pertingat, prout in Parisinis parochiis reperitur. Id nempe ante recentiora tempora inauditum fuerat. Ut adeo dici posse videatur, casum hunc non fuisse prævisum, nec proinde sub dicta regula comprehendi. Quod autem bonum spirituale animarum expostulet ejusmodi ingentissimas parochias in plures dividi (ubi id per circumstantias licet), ne in quæstionem quidem adducendum videtur. Id certe dubium nequaquam habuit Pius VI, qui (in suo brevi *Quod aliquantum*, diei 10 martii 1791) statutas per *civilem cleri* Gallicani *constitutionem* sex millium animarum parochias, tanquam *longe longeque unius parochi vires excedentes* lamentabatur in hunc modum : « In maximam Nos etiam adduxit « admirationem innumerabilis earum (*nempe parochiarum « Galliæ*) suppressio, cum jam nationalis decreverit conven- « tus, ut in urbibus aut oppidis, in quibus sex capitum millia « tantummodo censeantur, nonnisi una constitueretur pa- « rœcia. Et quo unquam modo unus parochus sufficere tanto « curando populo poterit ? Quam ad rem opportunum hic « videtur referre, Cardinalem Conradum, a Gregorio IX ad « præsidendum Coloniensi synodo delegatum, hisce verbis « interrogasse quemdam, qui aderat, parochum, quique vehe- « menter contendebat ne illuc fratres ordinis Prædicatorum « inducerentur : *Quis est numerus hominum in parochia tibi « subditorum* ? Cumque ille *esse novem millia* respondisset, « tum Cardinalis admiratione iraque commotus : *Quis es, « inquit, tu miserrime, qui tot millibus sufficis debitam gu- « bernationis curam impendere ? Nescis, hominum perditis- « sime, quia in illo debes tremendo judicio, ante tribunal « Christi, de his omnibus respondere ? Et tu si tales habes « vicarios* (fratres Prædicatores) *querularis, qui onus tuum*

« *gratis relevent, sub cujus pondere nescius conqua ssaris*
« *Quia igitur ex hac querela indignum te cura omnimode*
« *judicasti, ideo privo te omni beneficio pastorali.* Et quam-
« vis illic de novem hominum millibus agebatur, hic vero,
« nimirum a conventus decreto, sex tantum millia unius pa-
« rochi curæ tribuantur, nihilo tamen minus quis non fa-
« teatur, talem etiam numerum longe longeque unius parochi
« vires excedere ; ac consequi propterea debere, ut multi ex
« parochianis necessario priventur spiritualibus subsidiis,
« pro quibus ad regulares, qui jam suppressi sunt, confu-
« gere non valebunt ? » Nec dicatur questum esse lauda-tum Pontificem, quod solus *absque vicariis* parochus sex millia parochianorum curare deberet : neque enim *constitutionis civilis* decretum vicarios excludebat. Imo ipsammet sex millium animarum in unica parochia coacervationem reprehendebat, prout totus contextus aperte indicat. Jam vero quid dicturus fuisset Pius VI de hodiernis Parisinis parochiis, triginta et amplius animarum millia complectentibus? Et quæ ipsius mens de parochis illis, qui, dismembrandis hisce parochiis pro pastorali suo officio adlabor antibus præsulibus, omni qua possunt arte obnituntur ?

Propositio III[a]. — *Distantia et difficultas accedendi non sunt causa justa dismembrationis, nisi quando ex ipsis oritur magnum incommodum.* — Probatur ex toties citato Tridentino decreto (sess. 21, cap, 4). Nam ibi pro causa legitima dismembrationis assignatur, non quælibet distantia, aut quælibet accedendi difficultas, sed ea dumtaxat quæ talis est, ut parochiani accedere nequeant *sine magno incommodo*. Item in citata decretali *Ad audientiam*, non de qualibet, sed dumtaxat de *magna* accedendi *difficultate* agitur. Ergo revera nisi difficultas accedendi magna sit, seu (quod idem est) magnum generans incommodum ; et pariter nisi distantia talis sit ex qua magnum incommodum oriatur, non aderit justa dismembrationis causa.

Valde autem notanda sunt verba illa *sine magno incommodo* (in Tridentino textu), *sine magna difficultate* (in capite *Ad audientiam*) : nam ex iis concludendum venit, non sufficere distantiam vel aliam difficultatem quæ *mediocre* dumtaxat

incommodum generet; sed talem requiri ex qua *magnum* oriatur. « Caput citatum *Ad audientiam*, inquit Leurenius, « non quamcumque distantiam, sed talem quæ est cum « magno incommodo ; item necessitatem non quamlibet, sed « evidentem (quæ est talis, ut ei aliud remedium aptari « nequeat), pro causa sufficiente talis dismembrationis et « novæ parochialis constitutione requisivit. » (*Forum beneficiale*, parte 1, quæstione 154.)

Propositio IV^a^. — *Ad legitimam dismembrationem, non simul requiritur distantia et difficultas accedendi ; sed una ex istis causis absque altera sufficere potest.* — Contingere potest ut parochianorum pars aliqua, licet parum a parochiali ecclesia distet, nequeat tamen ad eam accedere absque magno incommodo : eo quod nempe interfluat torrens, vel intersit via ferrea, aut aliud ejusmodi obstaculum. Porro dicimus sufficere posse solam distantiam, vel solam prædictam accedendi difficultatem. Atque id concludimus ex Tridentina lege (sess. 21, c. 4). Ibi siquidem disjunctive ponitur, *ob locorum distantiam sive difficultatem* : ex qua formula rigorose concluditur sufficere unam ex istis causis; id est, vel distantiam, vel difficultatem.

Et ita legem illam esse intelligendam tradunt communiter canonistæ, inter quos sic Fagnanus (in caput *Ad audientiam, de Eccleiis ædific.*, n. 19) : « Infertur secundo ut similiter « justa sit erectionis causa, si inter populum alicujus villæ, « et parochialem torrens vel flumen aliquod intercedant, quæ « nec pontem habeant, nec vado transiri possint... Unde- « cumque enim proveniat magna difficultas percipiendi « sacramenta, dicitur subesse justa causa erigendi novam « parochiam, ut ex dictis patet. Ideoque concilium Triden- « tinum (in dicto capite 4 sessionis 21) alternative loquitur, « ibi *ob locorum distantiam, sive difficultatem.* Ita ut propterea alterutrum sufficiat. »

Propositio V^a^. — *Ut constet de magno incommodo ex distantia vel ex alia difficultate accedendi, necesse non est aliquos infantes absque baptismate, vel alios absque sacramentis decessisse.* — Nam citatum decretum Tridentinum et decretalis *Ad audientiam*, requirunt dumtaxat magnum ex dis-

tantia vel alia difficultate incommodum; sed magnum illud incommodum et existere et probari potest, antequam infantes sine baptismate, vel adulti sine sacramentis decesserint: ergo ut satis constet de justa dismembrationis causa, nequaquam requiritur jam evenisse lugendum ejusmodi casum.

Quæ cæteroquin doctrina communiter a canonistis traditur, et fuit a Sacra Congregatione Concilii expresse decisa, prout satis constat ex sequentibus Fagnani verbis : « Causa « quæ justificat erectionem novæ parochiæ, est magna difficultas, seu magnum incommodum parochianorum adeundi ecclesiam matricem ad percipienda sacramenta et divina « officia audienda; ut hic (*nempe in decretali Ad audientiam*) « patet expresse, et in præallegato decreto concilii Tridentini (cap. 4, sess. 21), Aliqualis ergo incommoditas non « sufficit. Non tamen requiritur ut parochiani aliquando « decesserint sine sacramentis : neque id exigunt Ostiensis « Abbas et doctores ; sed tantummodo hujusmodi casus mentionem faciunt per modum exempli. Unde satis est ad validitatem erectionis, ut immineat periculum ne sic decedant : neque hujusmodi eventus est expectandus ; quia « potius prævenientum ne contingat ; cum satius sit occurrere in tempore, quam post exitum vindicare. Et ita censuit Sacra Congregatio Concilii, videlicet pro erectione « novæ parochiæ non esse expectandum ut parochiani absque sacramentis decesserint. Quod bene nota, quia frequenter audivi parochorum querelas, quod Episcopi processerint ad erectionem novæ parochiæ, absque eo quod « ullus ex parochianis unquam obierit sine sacramentis. » (In caput *Ad audientiam, de Ecclesiis ædific.*, n. 16 et seq.)

Propositio VI^a^. — *Quando adest magnum incommodum, sed cui occurri potest aliter quam per dismembrationem, sat recepta est apud doctores sententia, non posse tunc Episcopum ad dismembrationem procedere : cui tamen sententiæ validæ rationes opponi posse videntur.* Ut quæstio hic solvenda recte intelligatur, exemplo eam illustrabimus. Supponatur in aliqua parochia notabilem populi partem adeo procul ab Ecclesia degere, ut revera nequeat *sine magno incommodo* congruis temporibus ad eam accedere. Supponatur insuper

posse occurri huic incommodo capellam exstruendo in hac parte nimis dissita, et deputando aliquem parochi vicarium sive coadjutorem, qui ibidem commoretur et sacramenta ministret. Quæritur utrum in hoc casu Episcopus possit parochiam dismembrare et novam erigere ; an vero id nequeat, ex hoc ipso quod adhiberi tunc possit aliud dictum remedium ! Porro de hac quæstione duo in thesi posuimus : 1° sat receptam videri opinionem quæ in hoc casu Episcopo denegat facultatem dismembrandi ; 2° huic tamen sententiæ opponi posse rationes, quæ gravitate non carent. Probandum nunc utrumque assertum.

1° Multorum doctorum opinio est, non posse Episcopum in dicto casu ad dismembrationem et novæ parochiæ erectionem procedere. « Dato etiam (ait Pignatellus, tomo 4, « consult. 230, n. 20) quod bene probaretur talis distantia « loci ac difficultas accessus, ita ut vere parochianis inferret « *magnum incommodum* requisitum, tam ex dispositione ca- « pitis *Ad audientiam*, quam ex sacro concilio Tridentino (capite 4, sess. 21), non tamen exinde videtur statim deduci « sufficiens causa dismembrationis; cum ad hunc effectum « ut dicatur sufficiens, necesse sit ulterius quod aliter com- « moditati parochianorum consuli non possit (Rota, in dicta « *Albinganensi* decisione 464, n. 4, *recentiorum* ; ac resolvit « Riccius).Et generatim dispositionem dicti capitis *Ad au- « dientiam* et decretum Tridentinum procedere, quando ali- « ter provideri non potest necessitati nisi ex dismembra- « tione, judicavit Rota (in sæpe allegata *Comensi*, 22 junii « 1648, coram Cardinali Corrado).

Consonat Leurenius *Forum beneficiale*, parte 1, quæst. 154, n. 4) : « Caput *Ad audientiam*, inquit Leurenius, uti « et caput 1 *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, in 6, non « quamcumque distantiam, sed talem quæ est cum magno « incommodo; item necessitatem non quamlibet, sed evi- « dentem, quæ est talis *ut ei aliud remedium aptari nequeat* « pro causa sufficiente talis dismembrationis et novæ paro- « chialis constitutione requisivit. »

Idem videtur innuere Cardinalis de Luca, dum (discursu 42, n. 5, *de Parochis*) adjustum dismenbrationis causam re-

quirit, *ut sit talis, quod alias consuli non valeat cum provisione ecclesiæ adjutricis et capellani in ea residentis pro aliquo impedimento temporaneo et accidentali.* Et simile quid reperies in ejusdem auctoris annotationibus ad concilium Tridentinum (discursu 16, n. 2). Unde revera valde vigere apud doctores dictam opinionem fatendum est.

2° Validis tamen rationibus propugnari posse videtur contraria conclusio, quod nempe in dicto casu possit Episcopus ad dismembrationem procedere. Id enim concludi potest.

Primo, *ex ipso legis textu.* — Nam Tridentini patres (cap. 4, sessione 21) expresse decernunt, ut Episcopi *novas parochias, etiam invitis rectoribus constituere possint*, in iis locis, in quibus *ob locorum distantiam seu difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt.* Ibi autem nequaquam ponitur illa restrictio, *modo non adsit aliud medium occurrendi incommodo*; sed absolute et expresse tribuitur Episcopis dicta potestas, in casu *magni incommodi ex distantia vel alia difficultate* Ergo revera hanc potestatem habent Episcopi absque prætensa restrictione. Ergo ubi datur casus magni incommodi ex distantia vel alia difficultate, licet posset consuli huic incommodo per deputationem vicarii vel coadjutoris in loco nimis dissito commorantis, et ibi sacra ministrantis, non tamen obligari censendus est Episcopus ad hoc remedium adhibendum; sed potest etiam, si velit, ad dismembrationem et novæ parochiæ erectionem tunc procedere. Nec videntur contrariæ opinionis canonistæ ulla satis solida ratione fundari, ad ponendam restrictionem quam lex non posuit.

Secundo, *ex natura ipsa prætensæ restrictionis*, quæ fere inane redderet Tridentinum decretum. — Nam si nequeat Episcopus novam parochiam, dismembrata antiqua, erigere, nisi in casu, quo satis consuli non posset parochianis nimium distantibus, per capellam et vicarium apud ipsos commorantem, vix videtur quandonam dismembrationi locus esse possit Ubi enim constitui posset parochialis ecclesia, a fortiori et facilius constitui poterit simplex capella; et ubi degere posset novus parochus, a fortiori degere poterit vicarius aut coadjutor. Aliunde per ejusmodi capellam et vicarium removetur

magna illa parochianorum difficultas sacramenta recipiendi et divina officia audiendi. Ergo vix unquam daretur casus quo Episcopo liceret ad dismembrationem procedere. Ergo Tridentini patres Episcopis contulissent potestatem fere chimericam; quod nequaquam admitti posse videtur.

Cæteroquin et ipse Pignatellus (loco citato, n. 9) huic posteriori opinioni suffragari videtur; sic enim habet : « Quin « imo si constiterit quod via sit montuosa, aspera, lutuosa, « ac ita ardua ut parochiani sine magno incommodo, imo « etiam periculo ad parochialem accedere nequeant.., non « solum reputatur necessaria deputatio vicarii, verum etiam « dismembratio sive erectio novæ parochiæ, juxta ea quæ « tradit Rota (in Lucana, dismembrationis 9 maii 1611 coram « Ottembergo; et decisione 59, n. 2, coram Martino Andræa).» In hoc certe casu tolli posset incommodum per solam capellæ constitutionem et vicarii deputationem. Et nihilominus, ipso fatente Pignatello, datur tunc locus dismembrationi.

Hinc forte dicendum, voluisse Tridentinos patres ut Episcopi possent ad dismembrationem devenire, etiam in casu quo aliter removeri posset incommodum; quando ad salutem animarum utilior ipsis videtur novæ parochiæ erectio; nec requiri a Tridentina synodo aliam conditionem, quam ut verificetur magnum parochianorum incommodum.

Propositio VII[a].— *Ad determinandum quando adsit magnum incommodum, sive ex distantia, sive ex difficultate accedendi, nulla datur a jure regula; ac proinde id Ordinarii judicio relinquitur.* — Textus juris, quibus facultas fit Episcopo ad dismembrationem procedendi, sunt caput 4 sessionis 21 Tridentinæ synodi, et supra citata decretalis *Ad audientiam*. Porro in istis textibus nullatenus declaratur quodnam incommodum pro magno habendum sit, quænamve difficultas inter magnas sit reponenda. Nec alibi in jure reperitur hujusmodi declaratio. Hoc ipso autem quod jus, dictam facultatem faciendo Episcopis in casu *magni incommodi*, non declaraverit in quo stet ejusmodi incommodum, id ipsorum æstimationi et judicio relictum voluit. Quam conclusionem sic exponit Fagnanus (in caput *Ad audientiam, de Eccles. ædific.*, n. 18) : « Quanta autem debeat esse hujusmodi dis-

« tantia seu parochiæ amplitudo, ad hoc ut parochiani di-
« cantur non posse *sine magno incommodo*, ad ecclesiam ac-
« cedere, cum jure definitum non sit, judicis arbitrio relin-
« quitur » (capite *de causis*, *de Officio deleg.*). « Circa hu-
« jusmodi distantiam, ait Pignatelli, vel difficultatem acce-
« dendi ad ecclesiam parochialem, totum pendet ab ejus
« (*nempe Ordinarii*) judicio atque arbitrio. » (Pignatelli, tomo 4, consult. 130, n. 3.).

Dum autem dicitur æstimationem de magno incommodo stare penes Episcopum, id ita intelligendum est, ut simul penes dismembratæ parochiæ rectorem, et alios quorum interest, remaneat facultas appellandi a decreto Episcopi : de qua appellatione, quæ devolutivum dumtaxat effectum habet, infra disserimus.

Propositio VIII^a^. — *Regulariter loquendo, duo millia passuum habentur pro distantia sufficienti, ut ad dismembrationem procedi possit.* — Cum nempe notabilis aliqua pars parochianorum plus quam duobus passuum millibus a parochiali ecclesia distat, communiter æstimant canonistæ adesse *magnum* incommodum, ac proinde justam dismembrationis causam ; idque pro generali regula tradere solent : pro *generali*, inquam, regula; nam simul monent id non esse ita rigorose accipiendum, ut ex variis aliis circumstantiis ab ea quandoque recedi nequeat.

De hac communi doctorum æstimatione sic adnotatur in *Thesauro resolutionum* (tomo anni 1800, pagina 178) : « Quæ
« distantia, cum a sacris canonibus definita non sit, ex com-
« muni canonistarum sententia idonea ad dismembrationem
« obtinendam æstimatur, si duplicis sit milliaris, ut docet
« Ursaya (discept. 14, n. 11, tom. 1), et Rota (decis. 39, n.
« 4. coram Peutinger). »

Item in tomo anni 1803, pagina 92, in Anconitana 30 aprilis 1803, § *Cum nullus* : « Satis reputatur distantia duplicis
« milliaris ut dismembratio fiat, teste Fagnano (in caput
« *Ad audientiam*, *de Ecclesiis ædificandis*, n. 19), Pirrhing
« (in *Jus canon.*, cap. 16, n. 19) et Sacra Congregatione (in
« *Ariminensi* erectionis parochiæ, 18 junii 1789 ; et in *Pla-*
« *centina* dismembrationis, 28 maii 1791). »

Sed, ut diximus, quantumvis hæc duplicis milliaris regula communiter a doctoribus tradatur, in unoquoque casu particulari ex circumstantiis præcipue æstimandum est *magnum* illud *incommodum*, a jure requisitum, ut dismembrari parochia queat. Nec etiam pro regula sumi potest hæc aut altera Sacræ Congregationis Concilii, aut Rotæ, decisio; quia, pari stante distantia vel asperitate itineris, fieri potest ut dicta Congregatio in uno casu dismembrationem approbet, in altero autem rejiciat; ob alias nempe quæ intervenire possunt diversas circumstantias; prout sapienter adnotat Cardinalis de Luca (*Annotationes ad concilium Trid.*, discursu 16, n. 2). Cæterum ad Ordinarium pertinet de magno illo incommodo judicare : ad rectorem autem parochiæ dismembratæ appellare, si putet non adfuisse justam causam; quæ tamen appellatio (ut dicitur infra) non habet nisi effectum devolutivum.

Propositio IX[a]. — *Ex eo quod adsit justa dismembrationis causa, non potest Episcopus partem populi distrahere a sua parochia, et alteri jam existenti parochiæ addicere.* — « An « autem quibus in casibus ex decreto Concilii (sessionis 21, « capite 4) potest Episcopus novas parochias erigere, possit « etiam, loco erectionis faciendæ, certam partem populi se- « parare ab antiqua parochia, et alteri commodiori appli- « care, si vel exiguus numerus populi, vel inopia, vel alia « causa impediat erigi novam parochiam? — Responsum est « (*nempe a Sacra Congregatione*) non posse ex decreto Con- « cilii. » (Fagnanus, in caput *Ad audientiam, de Eccles. ædific.*, n. 25.). Et ita reperies communiter a doctoribus traditum.

CAPUT V.

QUÆNAM SINT FORMALITATES REQUISITÆ UT CANONICE FIAT AB EPISCOPO DISMEMBRATIO ET ERECTIO.

Superiori capite diximus quanam ex causa procedi possit ad novæ parochiæ erectionem, antiquam dismembrando. At non

sufficit adesse causam legitimam. Ut enim canonice fiat ejusmodi erectio et dismembratio multa insuper observanda sunt, ne alioquin nullitate laboret Episcopi decretum. De iis formalitatibus seu requisitis nunc venit disserendum.

Requisitum I. — *Debet fieri processus ad verificandum an revera adsit justa causa novam erigendi parochiam.* — De hoc requisito sic habet Leurenius (*Forum beneficiale*, parte 1, quæstione 157, n. 2): « Respondeo (1), ex Corrado, ser« vanda esse sequentia ; ob quæ et similia non servata, sæpe « hujusmodi erectiones pro invalidis declaratas esse habet ex« perientia, eodem Corrado teste : primo, ut Episcopus in« quirat an dictæ causæ sufficientes hic et nunc vere adsint ; « verbi gratia, an prima parochialis tam sit ampla, ut tem« pore hiemali ob inundationes et nives parochiani non pos« sint sine magno incommodo congruis temporibus adire « parochiam. Nam, ut addit Lotterus, hujusmodi causæ ve« ritas non debet dependere ex assertione partium, vel etiam « ipsius Episcopi, aut alterius dismembrationem auctorizan« tis ; sed de ea debet positive constare ex processu desuper « facto, etsi non scrupuloso et juxta juris subtilitatem, sed « simplice (ut dicitur in una Toletana, parochialis, de Ma« drito, 19 novembris 1601). Sufficiet tamen pro verifica« tione causæ accessus Ordinarii ad locum, illiusque ins« pectio. »

Requisitum II. — *Ut sufficiens sit numerus parochianorum, novæ parochiæ adscribendorum : ubi et quinam sit ille numerus.* — Non posse novam parochiam erigi absque sufficienti parochianorum numero, extra controversiam est : at vero quisnam sit ille sufficiens numerus, non una fuit doctorum sententia. « Principaliter (ait Fagnanus, n. 28, in caput *Ad* « *audientiam, de Ecclesiis ædific.*) ad erectionem novæ pa« rochiæ requiritur, ut in illa parte parochiæ antiquæ ubi « nova parochia est erigenda, sit competens numerus paro« chianorum. Et quidem Rota (decisione 380, n. 8 et 29, « partis 5, recentiorum) videtur tenere, ad hoc non sufficere

(1) Nempe ad quæstionem, *quænam formalitates requirantur.*

« quatuor domos et duodecim animas aptas ad communio-
« nem (per caput *Unio*, causæ 10, quæstionis 3). Sed certe
« ille textus magis innuit ut sufficiant decem animæ: ait
« enim: *Ecclesia quæ ad decem habuerit mancipia, super se*
« *habeat sacerdotem*: *quæ vero minus decem mancipia ha-*
« *buerit, aliis conjungatur ecclesiis.* Et merito ; quia decem
« faciunt plebem, ut ait ibi glossa. Item concilium Triden-
« num, dicto capite 4, sessionis 21, videtur requirere ut
« nova parochia habeat populum, ut patet ibi : *compellere*
« *possit populum.* Ad decem homines populum faciunt (ut
« notat glossa... et Bartolus...). Insuper adverte, ne deci-
« piaris, quia dum Rota ad hoc requirit sufficientem nume-
« rum animarum, quæ sint aptæ ad communionem, hæc ap-
« titudo non est necessaria; quia usum rationis habentes,
« tametsi non sint apti ad communionem, tenentur tamen
« semel in anno confiteri proprio sacerdoti, et missam
« audire dominicis et festis diebus; eisque dari debet sacra
« unctio : baptismus vero etiam parvulis. Ergo si parochiæ
« incolæ ad ecclesiam sine magna difficultate ad hujusmodi
« sacramenta recipienda et divina audienda accedere ne-
« queant, sive sint ad communionem apti, sive non, suc-
« currendum est eis remedio hujus capitis. »

Communior videtur opinio quæ requirit saltem decem familias. Quam opinionem sic exponit Leurenius (*Forum beneficiele*, parte 1, q. 160) : « Ad minus decem familiis constare
« debet..., Et licet Corradus dicat sufficere decem personas
« ad constituendam parochiam, id tamen intelligit de paro-
« chia semel constituta, quod ea persistat, modo 10 personæ
« remaneant » Vide in *Thesauro resolutionum*, tomo 100, causam *civitatis Castellanæ*, 14 martii 1840, § *de Hoc*, et § *Atqui*.

Requisitum III. — *Citandus est dismembrandæ parochiæ rector, et alii quorum interest, ut dicant si quid opponendum habeant.* — Hujus formalitatis necessitatem sic exponit Fagnanus (in caput *Ad audientiam, de Ecclesiis ædif.*, n. 29) : « Requiritur ad erectionem novæ parochiæ ut citetur
« rector matricis ecclesiæ : nam etsi erectio fieri possit etiam
« ipso invito, ut ostensum est supra, tamen non potest fieri

« nisi eodem citato et requisito (ut capite *Multis consiliis*, et « capite *Felix*, et capite sequenti, causæ 16, quæstionis 1; « et tenet glossa... et Lasus...). Et jam censuit Sacra Con- « gregatio ad erectionem novæ parochiæ non esse procedendum « aliter, quam citato rectore parochialis intra cujus « fines nova parochia fuerit erigenda; et erectionem, omissa « hujusmodi citatione ab Ordinario factam, nullius momenti « existere.

« Nec tantum rectoris Ecclesiæ, sed etiam aliorum omnium « quorum interest, prærequiritur citatio. Unde quærenti an « requiritur consensus rectoris, vel commendatoris, aut « magni Magistri ad erigendam novam parochiam, infra « limites parochialis subjectæ ordini sancti Joannis Hierosolymitani, responsum est ad erectionem posse procedi etiam « invito rectore, dum tamen præcesserit citatio tam ipsius, « quam omnium aliorum quorum interest: cæterum etsi nulla videatur erectio ob defectum citationis, tamen si causæ « erigendi subessent, licere Episcopo de novo erigere: ideo « scribendum viciniori Episcopo ut se instruat de causis; « quæ si suberunt, peti poterit confirmatio a Sanctissimo. »

Cardinalis de Luca (*de Parochiis*, discursu 35, n. 6), necnon Leurenius (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 157, n. 4) videntur pro necessaria formalitate habere, non tantum citationem, sed etiam *consensum* rectoris dismembrandæ parochiæ. Sed hoc intelligendum est eo sensu quod, nisi consentiat, potest appellare. At vero appellatio non habebit effectum suspensivum, sed dumtaxat devolutivum, ut dicemus infra. Unde remanet posse Episcopum ad dismembrationem procedere, etiam dissentiente parocho, modo citatus fuerit. Quod cæteroquin certum omnino faciunt Tridentini decreti verba, *etiam invitis parochis*.

Firmata autem præsentis requisiti III regula, solvenda remanet triplex quæ circa eam occurrit difficultas: nempe,

Quæritur 1° : Quisnam citari debeat, quando parochiæ dismembrandæ cura *actualis* penes unum, *habitualis* vero penes alterum residet? — Respondeo citandum esse illum penes quem residet habitualis cura, non vero vicarium illius curatum. « Rector beneficii (inquit Leurenius) cujus hic con-

« sensus (1) requiritur, non est vicarius cui solum curæ exer-
« citium commissum, sed penes quem residet cura habi-
« tualis. » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 157, n. 4.) Pro qua doctrina vide ibidem adductas a Leurenio auctoritates. Hinc si dismembranda foret, verbi gratia, parochia aliqua cathedralis in Gallia, non citandus foret curatus cathedralis, sed capitulum; cum in Galliarum plerisque cathedralibus capitulo unita fuerit animarum cura, et penes capitulum resideat *in habitu*, quamvis per vicarium curatum exerceatur.

Quæritur 2°: Quid agendum in casu quo parochia dismembranda rectore vacaret? — Cum tunc citari nequeat parochiæ rector, vel procrastinanda est dismembratio donec novus parochus præficiatur, vel debet Episcopus aliquem deputare, qui sub *defensoris parochiæ* nomine, quoad hoc vices rectoris agere atque ipsius jura exercere possit. Quod pariter (loco citato) tradit Leurenius his verbis : « Ubi vero va-
« caret Ecclesia dismembranda, debet in ordine ad hunc
« effectum illi deputari ab Episcopo defensor, qui corrumpi
« nequeat, cujus sit disquirere de legitimitate et veritate
« causæ. (Lotterus... citans glossam...) »

Quæritur 3°: Quando parochia dismembranda est juris patronatus, num requiratur consensus, vel saltem citatio patronorum? — Respondeo 1°: « Consensus patronorum mini
« me requiritur vel curatur. Lotterus..., citans late sic de-
« cisum a Rota. » (Leurenius, loco citato.) — Respondeo 2°: videtur tamen citandos esse patronos ; cum, ex traditis supra a Fagnano, citandi sint *omnes quorum interest*, et patroni de hoc numero censendi sint.

Requisitum IV. — *Dum erigitur nova parochia, debet determinari ejus extensio, sive per certi alicujus territorii, sive saltem per certarum familiarum assignationem.* — Etenim distingui ab invicem parochias, et certum unicuique

(1) Non requiritur consensus nisi sensu modo explicato; id est sufficit dismembrandæ parochiæ rectorem citari, et postulari ejus consensum ; quem si renuat, valebit nihilominus decretum episcopale dismembrationis ; et appellatio rectoris dissentientis non habebit nisi effectum devolutivum.

addici populum præscripsit Tridentina synodus. Et regulariter quidem distinguuntur parochiæ, et determinatur uniuscujusque populus per territorialem circumscriptionem. At vero juri canonico non repugnat ut constituatur aliqua parochia per certarum dumtaxat familiarum assignationem ; quia hoc modo satis certus et distinctus est ipsius populus. Et de facto plures post Tridentinam etiam synodum exstitisse ejusmodi parochias, et tanquam canonicam a Sacra Congregatione Concilii haberi eam formam, patet ex variis causis in *Thesauro resolutionum* relatis, et passim adnotant canonistæ. « Respondeo, ait Leurenius, parochiam quamlibet, « *regulariter loquendo* (quod addo ob parochias distinctas « tantum certis familiis, alias promiscue habitantibus) debere « habere territorium suum separatum et divisum, in quo non « est licitum alteri parochiæ aliquid facere. » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 160.)

Requisitum V. — *Requiritur capituli consensus, tum quando Episcopus procedit jurisdictione ordinaria ; tum etiam quando procedit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, modo dismembratio sit de iis quas posset ex jurisdictione ordinaria facere.* — Pro conclusionis hujus gravitate, lectorem præmonemus ut ad ejus sensum sedulo attendat. Potest scilicet contingere ut antiquæ parochiæ dismembratio, et novæ erectio nequeat ab Episcopo fieri ex jurisdictione ordinaria. Id, verbi gratia, contingit quando dismembranda parochia gaudet privilegio exemptionis, ita ut ordinariæ Episcopi jurisdictioni non subjaceat. Tunc eam dismembrare Episcopus nequit, nisi procedendo tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Et in hoc casu dicimus non requiri capituli consensum. At vero in cæteris casibus, sive procedat ex jurisdictione sua ordinaria, sive etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, dicimus necessarium esse assensum cathedralis capituli.

Quomodo autem conclusio hæc nostra, non parum olim fuerit inter doctores controversa, postea vero communiter recepta sit, et variis Sacræ Congregationis Concilii decisionibus firmata, satis patebit ex Fagnano (in caput *Ad audientiam*, 3, *de Ecclesiis ædif.*, n. 49), cujus doctrinæ hæc summa est :

1° Expendit quomodo solvi deberet quæstio si attenderetur dumtaxat ad jus commune ante Tridentinam synodum vigens. « An Episcopus, inquit, in nova parochia intra fines parochiæ alterius erigenda teneatur adhibere consilium vel consensum capituli? — Hostiensis et Joannes Andreas tenent « Episcopum debere hoc facere de capituli *consilio* (per caput « *Pastoralis*, *de Donationibus*); et consentiunt Butrio, Cardinalis et alii. Sed certe ille textus exigit *consensum*, ut « patet in extremis verbis, ibi : *consensus est sui capituli « requirendus ;* ubi hoc tenet glossa... Et merito; quia cum « hæc divisio parochiæ, et dismembratio redituum ad matricem ecclesiam pertinentium, sit instar alienationis rerum ecclesiæ, sine capituli consensu fieri non potest (ut « capite *Cum nos*, capite *Tua*, et capite *Pastoralis*, *de His « quæ fiunt a prælato ;* et capite *Dudum*, *de Rebus ecclesiæ « non alienandis,* in 6). Præterea in ecclesiis adinvicem uniendis necessarius est capituli consensus (Clementina *Si una* 2, « tituli 4, libri 3 ; et capite *Pastoralis*, *de Donationibus*) : « ergo et in parochiis dividendis.. Idcirco autem Hostiensis « et alii requirunt consilium capituli, quia in dismembratione parochiæ præcedere debet tractatus (ut resolvit Rota, « decisione 1, *de Rebus ecclesiæ non alienandis*, in novissimis) ; « unde in consilio includunt etiam consensum... Hæc procedunt inspecta juris communis (1) dispositione. Sed ex « jure novissimo concilii Tridentini res est magis ambigua. »

2° Exponit Fagnanus quomodo ex textu Tridentino oriatur ratio dubitandi, num revera capituli consensus ad legitimam dismembrationem prærequiratur : « Ratio dubitandi, inquit, « oritur ex decreto dicti capitis 4, sessionis 21, ubi facultas « constituendi novas parochias tribuitur Episcopis, *Etiam « tanquam Sedis Apostolicæ delegatis*. Clausula enim illa, « quæ habetur in principio textus censetur repetita in paragrapho *In iis vero*, qui venit continuative ad præcedentia,

(1) Juris *communis* appellatione, ibi intelligit Fagnanus jus commune ante Tridentinam synodum vigens. Quem loquendi modum usurpatum reperies apud cæteros etiam hujus ævi canonistas. Jus autem ex Tridentinis dispositionibus exurgens, *novissimum* vocitant.

« ut alias fuit resolutum. At quando Episcopus procedit tanquam delegatus Apostolicæ Sedis, non requiritur capituli « consensus... Quoniam, etsi potestas Episcopi, propter conjunctionem quæ est inter ipsum et capitulum suæ Ecclesiæ, sit arctata ad consensum vel consilium hujusmodi « adhibendum (ut capite *Novit*, *de His quæ fiunt a Prælato;* « et dicta Clementina *Si una*), tamen in legato, qui cum capitulo hujusmodi unionem non habet, hoc non reperitur « jure cautum... Quia sicut Sedes Apostolica non tenetur requirere consensum alicujus inferioris, ita nec legatus, qui « vices ipsius obtinet...

« In contrarium facit, quia decretum dicti capitis 4, quamvis tribuat Episcopis potestatem delegatam, tamen disertis « verbis exprimit ut ea potestate uti possint *juxta formam* « constitutionis Alexandri III, quæ incipit *Ad audientiam ;* « et sic videtur se restringere ad formam juris communis. « Sed de jure communi in erectione novæ parochiæ adhibendus « est consensus capituli, ut ostensum est supra ; ergo « hujusmodi consensus erit adhibendus etiamsi fiat erectio « auctoritate delegata. Et est simile in capite 5 sessionis 21, « ubi tribuitur Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis « facultas faciendi uniones parochialium ecclesiarum « et tamen quia ibi expressum est ut uniones hujusmodi « fieri debeant juxta formam juris, ex Sacræ congregationis « sententia requiritur capituli consensus, prout requiritur « de jure. »

3° Sic expositis pro et contra rationibus, quid tenendum sit concludit Fagnanus hoc modo : « Quid dicendum ? — Cum « Episcopus hoc casu duplicem habeat potestatem, unam « scilicet ordinariam, quæ illi competit ex dispositione hujus « decretalis (*Ad audientiam*), eique non fuit adempta a concilio Tridentino ; alteram vero delegatam, quæ illi tribuitur in dicto capite 4, et accumulatur potestati ordinariæ per illa verba *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati* (ponderando vocem *etiam*, quæ est augmentativa e « implicativa præcedentium), videtur sic distinguendum : « aut in erectione novæ parochiæ Episcopus procedit jure « delegato *in eo casu in quo jure ordinario non potest proce-*

« *dere* (puta quia erectionem facit in parochia subjecta re-
« gularibus exemptis) ; et hoc casu existimo non requiri con-
« sensum capituli. Capitulum enim hoc casu non potest con-
« queri, quod se inconsulto fuerit processum ad erectionem ;
« cum Papa, cujus vices gerit delegatus, ad illius consensum
« requirendum non adstringatur. — Aut procedit ad erectio-
« nem auctoritate delegata *in eo casu in quo potest jure or-*
« *dinario* (puta in parochia non exempta) ; et tunc censeo ne-
« cessarium esse consensum capituli, sicut erat in jure ve-
« teri, cujus dispositionem hac in parte concilium Triden-
« num non sustulit... Et hanc distinctionem in Legato de la-
« tere probavit in effectu Marianus Socinus... ; ut scilicet si
« procedat *jure ordinario legationis,* teneatur adhibere capi-
« tuli consensum, ad eum modum quo Ordinarius tenebatur
« secus si procedat *speciali jure delegationis*. Et eamdem
« distinctionem probavit Sacra Congregatio in materia ap-
« pellationis interponendæ, ad Metropolitanum, vel ad Se-
« dem Apostolicam. »

Requisitum VI. — *Novæ parochiæ assignanda est dos com-petens, ex qua parochus convenienter sustentari queat.* —
« Requiritur (ait Fagnanus, in caput *Ad audientiam* 3, *de*
« *Ecclesiis ædif.*, n. 31), ut ecclesiæ construendæ dos com-
« petens assignetur (ut capite *Nemo, de Consecr.*, distinct.
« 1). Et jam censuit Sacra Congregatio, in erectione novarum
« parochiarum prius cogitandum de dote. »

Ex illa autem regula, omnino certa, et ab omnibus admissa, duplex statim oritur quæstio : nempe.

Quæritur 1° Unde sit dos illa competens desumenda ? —
« Respondet Cardinalis de Luca (*de Decimis*, discursu 12,
« n. 8), cum ad istius modi novas erectiones cum tali dismem-
« bratione procedi non soleat, nisi cum minimo, quo fieri
« potest, antiquæ ecclesiæ præjudicio, adeoque ut patiatur
« quidem præjudicium illud diminutionis jurisdictionis po-
« puli, alterumque hinc natum dimunitionis emolumentorum
« parochialium, non vero illud diminutionis decimarum, in
« quo frequenter præcipua parochiarum dos consistit ; hinc
« Ordinarios solere ad istas novas erectiones, quæ sunt cum
« formali dismembratione, procedere, quatenus illa paro-

« chianorum pars vel communitas quæ id petit, et cujus in-
« terest istam dismembrationem fieri, congrue dotet novam
« parochiam. Adeo ut antiquæ dos illud detrimentum saltem
« in hac parte non patiatur : possuntque, si necesse est,
« compellere ad hoc parochianos illos Ordinarii. Quibus tamen
« non obstantibus, possunt iidem Ordinarii. præsertim ubi
« proventus matricis copiosi sunt, et parochianorum pars
« illa avulsa egentior, ex fructibus quomodocumque ad ma-
« tricem pertinentibus hanc novæ ecclesiæ dotem, et novi rec-
« toris congruam desumere. » (Leurenius, *Forum beneficiale*
« parte 1, quæstione 159, n. 1.)

Plenior et clarior Fagnani ad eamdem quæstionem res-
ponsio : « Si aliquis reperiatur, qui velit eam ex bonis propriis
« competenter dotare, omnia erunt plana. Alioquin in consti-
« tutione dotis hoc ordine erit procedendum. Primo enim com-
« petens portio pro sustentatione rectoris assignanda erit ab
« Episcopo ex reditibus ad matricem ecclesiam quomodocum-
« que pertinentibus (ut dicto capite 4, sessionis 21). Idque, ex
« sententia Congregationis, procedit, etiamsi ecclesia matrix
« esset cathedralis, et quæcumque matrix ; et posse assignari
« portionem ex reditibus illius matricis dumtaxat, non autem
« ex aliis ecclesiis. Quod si reditus hujusmodi insufficientes
« sint, nec sit aliquis qui velit illos augere, cogendus erit...
« populus ea subministrare, quæ ad vitam rectoris sus-
« tentandam sufficiant. Si populus inopia laboret, tenebitur
« Episcopus ex mensa sua. Demum si nimia egestas omnes ex-
« cuset, sacerdos novæ ecclesiæ præficiendus propriis mani-
« bus victum sibi comparabit... Posse etiam Episcopum facere
« beneficiorum unionem pro nova parochia in terminis con-
« cilii erigenda, si non sint fructus vel obventiones ex quibus
« dedu cipossit portio, ex voto sacræ Congregationis Concilii
« dixit sanctæ memoriæ Gregorius XIII. » (In caput *Ad au-*
« *dientiam* 3, *de Ecclesiis ædif.*, n. 32 et seq.)

Quibus in antecessum adductis auctoritatibus, videtur sic strictius resolvi posse quæstio :

Primo. — Desumenda est dos ex reditibus antiquæ paro-chiæ, modo tamen ita abundent ut, distractione illa facta, adhuc sufficiant ad convenientem parochi sui sustentatio-

nem. In Tridentino enim decreto (c. 4, sess. 21) sic disponitur : *Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus.* Aliunde in capite *Ad audientiam* (3, *de ecclesiis ædif.),* cujus formam servandam esse præscribit Tridentina synodus, providetur ut remanere debeat conveniens sustentatio parochi matricis ecclesiæ. Ergo revera dotanda est nova ecclesia ex reditibus antiquæ, modo hujus parocho reservetur portio, quæ ad convenientem ejus sustentationem sufficiat. Unde si ecclesiæ matricis reditus non sufficiant ad convenientem ipsius parochi sustentationem, non debet quidquam ex illis distrahi ad dotandam novam parochiam. Ita communis doctorum sententia, quæ pro certa regula habetur apud Romanas Congregationes.

Secundo. Casu quo antiqua ecclesia nihil habet præter necessariam sustentationem, tradunt doctores communiter, « cogendum esse (sunt verba Fagnani) ab Episcopo subjectum parochiæ populum, ut presbytero instituendo necessaria ministret. Arguitur capite *Cum sit Romana, de Simonia*; et expresse cautum est decreto concilii Tridentini « (cap. 4 sess. 21), ubi innovatur hoc caput, et statuit ut, si « necesse fuerit, compellere possit Episcopus populum ea « subministrare, quæ sufficiant ad vitam ipsius sacerdotis « sustentandam. Facit caput 7, sessionis 21, ibi : *In illorum « defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad præ- « dicta cogant :* et caput 13 sessionis 24, in illis verbis : *Per « parochianorum symbola aut collectas, aut qua commodiori « ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro rectoris « aut parochiæ necessitate decenter sufficiat.* » (Fagnanus, « in c. *Ad audientiam, de Ecclesiis ædif.*, n. 5.) Unde revera sufficiens proventus ad novi parochi sustentationem, si nequeat ex reditibus matricis ecclesiæ desumi, ab ipso noviter erectæ parochiæ populo est constituendus; qui populus tunc ad id ab Episcopo est cogendus.

Tertio. « Sin autem paupertas parochianos excuset, cogat « Episcopus abbatem vel præpositum, cui parochia illa in « temporalibus subest ad suppeditanda vitæ necessaria sa-

« cerdoti instituendo, ut capite *Sanctorum,* distinct. 70, et « capite *Extirpandæ, de Præbendis.* »

Quarto. « Quod si et illos excuset inopia, provideat Episcopus ex mensa sua (capite *Inter cætera, de Officio ordin.*) : ad hoc enim tenetur Episcopus, si commode potest « (ut capite 2, 16, q. 3; capite *Præcipimus* et capite *Ecclesiasticum* 12, q. 1; capite *Regenda* et *Per totam* 10, q. 1; « et capite *Episcopus habeat potestatem*, 10, q. 2). »

Quinto. « Ad extremum, si neque id fieri possit, et egestate omnes laborent, novus parochus propriis manibus ex « artificio victum sibi quærat (capite *Clericus* 1 et 2, 91 « dist.) : et sic dabitur casus in quo parochialis ecclesia construi poterit sine dote, cum scilicet urget necessitas, et « alia ratio non suppetit; quod nota singulariter, secundum Abbatem..., ad limitationem capitis *Nemo* (*de Consecrat.*, dist. 1), prohibentis ecclesiam ædificari sine competenti dote. Itaque secundum ordinem superius proposito procedendum erit ab Episcopo in assignatione redituum pro sustentatione rectoris novæ parochiæ; prout concludunt Joannes Andreas... Hostiensis... Cardinalis... « Ancharanus... Abbas... et alias declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. « Censuit enim in terminis concilii assignationem faciendam « ex fructibus ad ecclesiam matricem pertinentibus; et si « ii non sufficiant, tunc demum populum compellendum; « quod si nec ipse ob paupertatem compelli possit, Episcopum de suo dare debere. » Fagnanus, in caput *Ad audientiam, de Ecclesiis ædif.*, n. 6 et seq.)

Quæritur 2°, quanta debeat esse dos novæ parochiæ assignanda ? — « Respondet in genere Azor (p. 2, l. 3, c. 12) « dotem parochialis ecclesiæ debere esse tantam, ut ex ea « unus presbyter cum altero clerico ministro commode sustentari possit, et quando opus sit, uti hospitalitate. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 159, n. 2)

Nota. — Oblationes parochianorum novæ parochiæ adscriptorum de jure ad novam parochiam, tanquam pars ipsius dotis, transeunt. Atvero decimæ provenientes ex ea portione territorii quæ novæ parochiæ addicta fuit, non transeunt *de*

jure ad novam parochiam, sed pergunt pertinere ad ecclesiam matricem; nisi tamen ex decreto episcopali novæ parochiæ tanquam dos expresse assignatæ fuerint. Nam potest episcopus, ex istis decimis novæ parochiæ dotem constituere. De quo vide Leurenium, loco citato, quæstione 157, n. 8.

Requisitum VII. — *In dotanda nova parochia ex reditibus seu fructibus antiquæ, curandum est ut rectori antiquæ remaneat conveniens sustentatio.* — Colligitur ex textu ipso decretalis *Ad audientiam* (3, tituli 48, libri 3 decretalium); ubi pontifex novæ parochiæ erectionem non decernit, nisi in hypothesi quod parochus antiquæ, facta dismembratione, *convenienter valeat sustentationem habere.* Unde Leurenius inter requisita reponit, « ut curato prioris parochialis com-« pensetur id quod illi detrahitur, ut commode valeat in « prima ecclesia habere sustentationem, juxta caput *Ad au-« dientiam.* » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 157, n. 5.)

Requisitum VIII. —*Matricis ecclesiæ rectori reservari debet jus patronatus in noviter erectam, si hæc ex alterius reditibus dotata fuit.* — « Si nova ecclesia fuerit dotata ex re-« ditibus ad matricem ecclesiam pertinentibus, planum erit « jus præsentandi sacerdotem pertinere ad rectorem matri-« cis ecclesiæ, ut probat hæc littera (nempe decretalis *Ad au-« dientiam 3, de Eccles. ædif.*) ibi: *ad præsentationem rec-« toris ecclesiæ majoris.* » (Fagnanus, in caput *Ad audientiam 3, de Eccles. ædific.*, n. 35.) Unde tunc quoties nominandus erit novæ parochiæ parochus, jus habebit parochus antiquæ parochiæ illum eligendi et præsentandi; et debebit Episcopus illum, et non alium præficere; nisi forte eum non reperiat idoneum, quo casu rector antiquæ parochiæ alterum præsentare debebit.

Diximus autem, *si antiqua parochia ex reditibus suis novam dotavit.* An vero jus ilud patronatus acquirat antiquæ parochiæ rector, etiamsi antiqua parochia nihil contulerit ad dotandam novam, olim disputatum fuit. Ast jamdudum prævaluit negativa sententia, quam et firmavit Sacra Congregatio Concilii, prout testatur Fagnanus his verbis: « Sacra « Congregatio Concilii declaravit matricem ecclesiam non « acquirere jus patronatus in ecclesia fundata intra fines suos

« nisi de suo aliquid contulerit, non obstante quod oblatio-
« nes futuræ dicantur esse loco dotis » (in caput *Ad audientiam 3, de Ecclesiis ædif.*, n. 39). Notetur autem, præter antiquæ parochiæ rectorem, posse simul alios esse patronos novæ parochiæ ; si nempe et ipsi fundationi vel dotationi aliquid contulerint. Vide Fagnanum, loco citato, n. 35.

Consonat Leurenius, requirens et ipse, « ut curato prioris
« ecclesiæ servetur jus patronatus, seu jus præsentandi rec-
« torem novæ ecclesiæ, idque quasi in recompensationem
« aliquam ; quod tamen intelligendum ait Corradus, secun-
« dum Abbatem, ubi ecclesia antiqua contulit aliquid de suo
« pro dote ecclesiæ noviter erectæ ; ac ita acquiritur jus pa-
« tronatus ecclesiæ matrici, ejusque rectori, non vero hujus
« rectoris consanguineis. » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 157, n. 6.)

Requisitum IX.—*Præter jus patronatus, parochiali antiquæ seu matrici debet competens honor præstandus assignari.* — Id concludunt unanimiter doctores ex textu ipso decretalis *Ad Audientiam* ; in qua sic expresse disponitur : *Providens tamen ut competens in ea honor, pro facultate loci, matrici ecclesiæ servetur* In quibus autem ejusmodi honor consistat, sic exponit Fagnanus (in caput *Ad audientiam 3, de Ecclesiis ædif.*, n. 8) : « Nota (ibi : *competens in ea honor*),
« ecclesiam constructam infra limites alterius parochiæ, te-
« neri aliquem honorem impendere matrici ecclesiæ ; scilicet
« annuum censum in signum subjectionis... ; vel dic clericos
« ecclesiæ noviter ædificatæ teneri majorem ecclesiam adire
« pro baptismo, scrutinio, capitulo et consimilibus ; vel solvere
« illa jura, quæ capellæ debent ecclesiæ matrici. »

Item Leurenius (in suo *Foro beneficiali*, parte 1, q. 157, n. 7), inter cætera in novæ parochiæ erectione observanda, monet, « ut pro facultate loci, competens honor matrici con-
« servetur, juxta caput *Ad audientiam* ; nimirum aliqua pensatio arbitrio Episcopi moderanda ; prout etiam ait Corradus
« ex Lottero... Eidem matrici in signum subjectionis reser-
« vari possunt ea, quæ alias jure parochiæ in filialem trans-
« funderentur, ut sunt jura sepulturæ, baptizandi, etc. »

Requisitum X. — *Requiritur ut Episcopus novam paro-*

chiam erigat per seipsum; *vel, si erigat per vicarium suum generalem, ut is speciale ad id mandatum habeat.* — Ita Fagnanus (in caput *Ad audientiam 3, de Ecclesiis ædif.*, n. 41), adducens in probationem quemdam juris textum, et addens ita jampridem censuisse Sacram Congregationem Concilii.

Requisitum XI. — *In Gallia et nonnullis aliis regionibus, ubi viget concordatum anni 1802, requiritur gubernii assensus.* — Nam in dicto concordato decrevit Pius Papa VII, ut novarum parochiarum erectio et circumscriptio ab Episcopis non fieret nisi de gubernii consensu. Ex qua dispositione sequitur, jam erectas hoc modo parochias non posse dismenbrari, nisi pariter interveniente ejusdem gubernii consensu. Et ita in praxi a tempore concordati fuit observatum.

Requisitum XII. — *Notantur nonnulla alia ad cautelam observanda.* — « Cum ex concilio Tridentino Episcopus pro-
« cedere possit ad erectionem novæ parochiæ, etiam uti Se-
« dis Apostolicæ delegatus, sit cautus ut, vel in decreto ex-
« primat se procedere utraque potestate, ordinaria scilicet et
« delegata (nam si non valebit ex una, valebit ex altera, et
« abundans cautela non nocebit, nec vitiabit adjectio superva-
« cua); vel procedat simpliciter, nulla facta expressione aucto-
« ritatis delegatæ vel ordinariæ (nam duplicem potestatem ha-
« bens censetur ea usus, quæ facit actum valere); vel demum
« exprimat se uti pote state delegata, si procedat contra
« exempptos; a lioquin si procederet jure ordinario (cum in eo
« casu non habeat nisi potestatem delegatam), erectio non
« valeret. »

« His omnibus observatis, et, causa cognita, in processum
« redactis, tuto poterit Episcopus procedere ad erectionem
« novæ parochiæ, *etiam in parochiis exemptorum*: nam cum
« in hoc vota Cardinalium in Sacra Congregatione essent di-
« visa, Sanctissimus respondit facultatem erigendi novas
« parochias, et assignandi portionem novis parochiis, attri-
« butam Episcopis, habere locum etiam in parochiis regu-
larium. » (Fagnanus, in caput *Ad audientiam 3, de Ecclesiis ædif.*, n. 42 et 43.)

CAPUT VI.

DE APPELLATIONE A DECRETO EPISCOPI NOVAM PAROCHIAM ERIGENTIS, DISMEMBRATA ANTIQUA.

Duplex occurrit de ejusmodi appellatione tractanda quæstio: 1° an revera detur a dicto episcopali decreto appellatio aliqua: 2° ad quem detur.

§ I

An et qualis detur appellatio a decreto Episcopi novam parochiam erigentis, dismembrando antiquam ?

1° Certum est in decretali *Ad audientiam* conferri Episcopis dictam dismembrationis et erectionis potestatem, cum expressa clausula, *sublato appellationis obstaculo, appellationis cessante diffugio*. Atque item certum est, nedum sublatam a synodo Tridentina illam clausulam, fuisse e contra confirmatam; cum Episcopis Tridentini patres potestatem parochias dismembrandi et novas erigendi conferant *juxta formam constitutionis Alexandri III quæ incipit* AD AUDIENTIAM, *nec non etiam invitis rectoribus*.

2° At non minus certum est per dictam clausulam tolli dumtaxat appellationem *quoad effectum suspensivum*, non vero quoad *devolutivum*. Nam ita in jure determinata fuit vis ejusmodi clausulæ. Cum nempe ab Innocentio III quæsitum fuisset quænam appellatio inhibita censeri debeat, *quando inhibetur appellatio in rescripto*, id declaravit his verbis: *Respondemus quod quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse: sed si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen ejusmodi per superiorem poterit emendari* (caput *Pastoralis* 52, tituli 28, libri 2 decretalium.) Quibus verbis patet, non obstante clausula *omni appellatione remota*, dari adhuc appellationem quoad effectum devolutivum; ac proinde vi ejusmodi clausulæ tolli dum-

taxat suspensivum appellationis effectum. Et ita intelligendam dictam clausulam pro certo tenent unanimiter doctores.

3° Ex dictis autem sequitur, a decreto episcopali erectionis et dismembrationis dari appellationem quoad effectum devolutivum, non dari quoad supensivum. De quo sic Fagnanus (in caput *Ad audientiam 3, de Ecclesiis ædif.*, n 12) : « Cum « concilium det Episcopis facultatem erigendi ad præscrip- « tum hujus decretalis, et hic tollatur appellationis obsta- « culum, utique ex hoc manifeste liquet Episcopum posse « hoc casu procedere *appellatione remota*. Quæ tamen clau- « sula non impediret appellationem ad effectum devolu- « tivum, sed suspensivum dumtaxat ; ut est textus in capite « *Pastoralis* (*de Appellationibus*) ; et est communis opinio, « ut testantur Abbas... et Præpositus. »

§ II.

Ad quem detur prædicta appellatio : num scilicet ad Papam dumtaxat ; an vero etiam ad immediatum superiorem, verbi gratia, ad Metropolitanum?

« Dic breviter in omni casu posse appellari ad Papam « omisso medio (*hoc ibi firmat Fagnanus multis auctorita-* « *tibus*.) Sed nihilominus regulariter a sententia Episcopi « appellatur ad Metropolitanum... ; quod locum habet etiamsi « Episcopus processerit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus « hujusmodi enim auctoritas attributa est Episcopis, ut fir- « miori jure procedere valeant contra exemptos, Sedi Apos- « tolicæ immediate subjectos, et quia ex auctoritate delegata « exemptiones non violantur : non autem ut per hoc tollatur « jus commune, per quod appellationes deferuntur Metro- « politanis.

« Intellige tamen hanc resolutionem obtinere quando Epis- « copus potest utroque jure procedere, scilicet ordinario et « delegato, ut in casu erectionis novæ parochiæ. Nam cum « Episcopus posset eam erigere auctoritate ordinaria, ex dis- « positione hujus capitis (*nempe decretalis Ad audientiam*), « secundum communem opinionem, nihilominus ex decreto

« concilii Tridentini (cap. 4., sess. 21) potest hoc facere « etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus : merito in hoc et « similibus casibus appellari potest etiam ad Metropolitanum. « Secus autem est quando Episcopus non potest procedere « ordinario jure, puta contra exemptos, contra quos procedere non potest nisi tanquam Sedis Apostolicæ delegatus : « tunc enim appellari non potest nisi ad Papam. Et ita « supra scriptam resolutionem postea declaravit eademmet « Sacra Congregatio. Nam proposito dubio, *an cum Episcopi procedunt uti Sedis Apostolicæ delegati, in causis « quæ sub eorum ordinaria jurisdictione non comprehendantur, possit ad alium quam ad Sedem Apostolicam appellari*, Sacra Congregatio censuit, non posse, neque ex « hoc inferioribus judicibus ullum fieri præjudicium : sed « quando jurisdictio delegata cumulatur cum ordinaria, « Episcopum non posse, hujusmodi delegationis præ« textu, declinare jurisdictionem Metropolitani in casibus « illis, in quibus ante concilium tanquam ordinarius poterat « uti eodem jure eademque potestate.

« Et hinc notabiliter infero ut, si Episcopus erigat novam « parochiam infra limites parochiæ regularibus subjectæ, « (quod potest secundum ea quæ dicta sunt supra), tunc si « gravet, appellari non poterit ad Metropolitanum; quia, cum « contra exemptos non potuerit procedere nisi jure delegato, « necessario appellandum erit ad Summum Pontificem dele« gantem : intellige ad effectum devolutivum, non suspen« sivum ; cum in casu hujus capitis (*nempe decretalis* Ad audientiam) appellatio sit inhibita. » Fagnanus, in caput *Ad « audientiam* 3, *de Ecclesiis ædific.*, n. 45 et seq.)

Exposita Fagnani doctrina, quæ communiter a doctoribus traditur, et est omnino tenenda, sic breviter resumi potest :

1° A decreto Episcopi novam parochiam erigentis cum antiquæ dismembratione, semper potest appellari ad Sedem Apostolicam.

Si erectionem et dismembrationem potuerit Episcopus perficere ex jure suo ordinario, quamvis eam perfecerit ex jure delegato, potest appellari ad Metropolitanum.

3° Si non potuerit Episcopus erectionem et dismembra-

tionem decernere nisi ex solo jure delegato, non potest appellari ad Metropolitanum, sed dumtaxat ad Sedem Apostolicam.

4° Quocumque modo fiat appellatio, non habet nisi effectum devolutivum ; unde firmum remanet Episcopi decretum, nisi a superiore annulletur ; nec impedit interposita appellatio, quin ad executionem deduci possit.

CAPUT VII.

DE UNIONE PAROCHIARUM.

Quæ hic expendenda occurrunt distribuemus sub duplici paragrapho : *primo* nempe nonnullas præmittemus juris dispositiones de unione beneficiorum in genere; *secundo* dicemus quænam sit Episcopi quoad parochiarum unionem potestas.

§ I.

Præmittuntur nonnullæ juris dispositiones de unione beneficiorum in genere.

Quæstio 1ª. — *Quotuplici modo uniri possint duo beneficia* ? — « Unio est beneficiorum seu ecclesiarum ab Episcopo, « seu alio superiore, ob utilitatem seu necessitatem ecclesiæ, « facta annexio. Unio prædicta fit potissimum tribus modis· « *Primo modo* fit talis unio, cum ex duobus beneficiis fit tan- « tum unum ; ita ut neutrum eorum uniatur alteri, sed ambo « simul uniantur. Et talis unio præsertim fit, cum duæ pa- « rochiales ecclesiæ vicinæ, et populo (ratione belli, pestis, « et hujusmodi) valde destitutæ, ita ad invicem uniuntur, ut « ex duabus fiat tantummodo unica. Et tunc illa unica ex « duabus sic unitis resultans, retinet consuetudines et pri- « vilegia favorabilia utriusque ecclesiæ sic in unam redactæ. « Unde hæc unio dicitur *extinctiva* seu translativa ; eo quod « ex duabus ecclesiis fiat unica tantum, sicque altera minus

« privilegiata exstinguatur ac perimatur, et in aliam magis « privilegiatam, ac potioribus juribus gaudentem transfera- « tur, ac cum ipsa omnino incorporetur.

« *Secundo modo* fit talis unio, cum duæ ecclesiæ ita uniun- « tur, ut non coalescant (sicut dicto primo modo) in unum « corpus ; sed una sit superior, et alia inferior ac accessoria « superiori seu principaliori : et solet fieri pro augmento dotis « alterius beneficii, non habentis sufficientes reditus pro « congrua beneficiarii sustentatione. Unde talis unio nuncu- « patur *accessoria* seu *subjectiva*. Sicque Ecclesia accessorie « alteri unita assumit naturam, consuetudines et privilegia « principalis, cui est annexa.

« *Tertio modo* fit talis unio, cum neutra Ecclesia alteri « subjicitur (sicuti dicto secundo modo), nec ipsæ coalescunt « in unum corpus (sicuti dicto primo modo), sed ambæ Ec- « clesiæ ita æque principaliter invicem uniuntur, ut ambæ « adhuc suum titulum atque honoris gradum retineant, et « solum ab uno eodemque rectore regantur ; sicque adhuc « remaneant duo beneficia omnino distincta ; verbi gratia, « duo distincti episcopatus, quamvis sit unicus et idem « utriusque Episcopus. Et talis unio appellatur unio *æque* « *principaliter* facta, quæ aliud non operatur, nisi ut rector « unius sit etiam rector alterius. » (Ferraris, ad vocem *Unio beneficiorum*, n. 1 et seq.)

Hanc de variis unionum speciebus notionem, modo tantisper diverso, quoad rem tamen consonante, tradit Riganti (in primam partem regulæ 9 cancellariæ, § 2, n. 402).

Quæstio 2ª. — *Quisnam potestatem habeat beneficia et ecclesias uniendi* ? — 1° Unire episcopatus ad solum pertinet « Papam... Papa non solum episcopatus, sed eliam' quæ- « cumque alia beneficia unire potest, cum in omnibus be- « neficiis plenariam habeat potestatem. »

2° « Episcopus potest ex legitimis causis unire beneficia « et ecclesias suæ diœcesis... Archiepiscopus nequit unire « beneficia diœcesum suorum suffraganeorum. »

3° « Capitulum, sede vacante, potest unire ea beneficia « quæ potest Episcopus, dummodo per eam unionem juris- « dictioni episcopali nihil detrahatur. »

4° « Legatus a latere in provincia sibi concredita potest « unire beneficia dictæ provinciæ suæ legationis, asbque ta- « men præjudicio Episcopi : Legatus enim a latere potest in « sua provincia omnia quæ Episcopus in sua diœcesi. »

5° « Vicarius generalis Episcopi non potest beneficia unire « nisi specialiter ab Episcopo committatur. » (Ferraris, voce « *Unio*, n. 7 et seq.)

6° « An abbates, quando jurisdictionem habent quasi- « episcopalem, dicta potestate polleant, disputatur. » (Vide Ferraris, loco citato, n. 14.)

Quæstio 3ª — *Quœnam sint conditiones requisitæ, ut legitime fiat unio ab Episcopo* ? — Tres præsertim requiri tradunt communiter doctores : justam causam, citationem omnium interesse habentium, et consensum capituli.

« *Prima conditio* requisita ad faciendam legitimam unio- « nem beneficiorum est causa justa et prævia cognitio de « ejus veritate.. Justa causa est Ecclesiæ *necessitas*, vel ipsius « *utilitas*... Necessitas autem Ecclesiæ tunc censetur inter- « venire, quando præbenda, cui unio facienda est, caret suffi- « cientibus reditibus ad alendum ministrum.... Item quando « Ecclesia est destructa ab hostibus vel desolata... Item « quando Ecclesiæ sunt vicinæ, et restant pauci de populo, « aliis mortuis... Utilitas vero tunc intervenit, quando « propter fructuum tenuitatem non inveniuntur clerici idonei « ad deserviendum.

« *Secunda conditio* requisita ad legitimam beneficiorum « unionem est, quod citentur omnes interesse habentes in « dicta unione facienda, eorumque consensus requiratur... « Unde, si Ecclesia sit subjecta abbati, aut alii inferiori « prælato, non potest Episcopus eam unire absque illius « consilio et assensu. Item si beneficium uniendum pertineat « ad collatores vel electores Episcopo inferiores, etiam isto- « rum consensus requiritur ; quia istis grave damnum in « suis juribus infertur, cum beneficium post unionem non sit « amplius vacaturum, sicque ipsi amittant jus conferendi seu « eligendi... Item si beneficium uniendum sit de jure patro- « natus, requiritur pro tali unione facienda consensus pa- « troni...

« *Tertia conditio* requisita ad legitimam unionem faciendam per Episcopum, est consensus capituli.... Unio fieri « potest sine requisito tali consensu, si adsit alicubi consuetudo legitime præscripta ipsam faciendi sine requisitione « dicti consensus. » (Ferraris, voce *Unio benef.*, 17 et seq.)

Nota 1°. — Si unio facienda esset seminario, præter alia requisita, intervenire deberet consilium quatuor deputatorum; duorum scilicet de capitulo, et duorum de clero. Alioquin unio nullitate laboraret (Ferraris, loco citato, n. 35).

Nota 2°. — Inter eos qui citandi sunt et quorum requiritur consilium vel consensus, non comprehenditur rector beneficii uniendi. Nam cum unio suum effectum non habitura sit nisi post ejus obitum, nullum ei damnum per hancce unionem infertur. Unde quamvis vocandi sint omnes quorum interest non tamen ipse. At si sponte comparuerit, debet audiri. (Vide Ferraris, loco citato, n. 27.)

Nota. 3°. — Item non requiritur consensus plebis ; sed tantum, si sponte comparuerit, audiri debet. (Ferraris, loco citato, n. 29.)

§ II.

De potestate Episcopi quoad parochiarum uniones

Propositio I^a^. *Possunt Episcopi unire parochias inter se.* — Constat ex capite 5 sessionis 21 concilii Tridentini, in quo sic decernitur : « Possint Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque ecclesiarum parochialium et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis, etiamsi dictæ ecclesiæ vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. » Jam ante Tridentinam synodum de jure communi Episcopis competebat potestas, tum beneficia cætera, tum etiam parochias uniendi, justis ex causis, et servata

canonica forma. Atvero per citatum Tridentinum decretum, id possunt insuper *tanquam Apostolicæ Sedis delegati* ; et etiam in casu quo beneficia parochiis unienda Sedi Apostolicæ *reservata* vel *affecta* forent tempore unionis ; in quo casu antea unionem perficere nequibant.

Illa autem Episcoporum potestas uniendi parochias seu beneficia curata inter se, intelligenda est tum de unione translativa, tum de subjectiva, tum de æque principali ; in quo probando non immoramur, cum nulla de hoc controversia moveatur

Propositio II[a]. — *Nequit Episcopus parochiam accessorie unire alicui beneficio non curato.* — Obstat nempe decretum Tridentinum (c. 13, sess. 24), tenoris hujusce modi : *Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur.* Illa nempe locutio *unire parochiam alicui beneficio simplici*, ex sensu obvio et a canonistis unanimiter recepto, significat unionem, qua parochia illi beneficio *subjicitur*, seu qua ipsi *accessorie* adnectitur. Sicut e contra verba hæc, *uniri beneficium simplex alicui ecclesiæ parochiali*, idem sonant ac illud beneficium parochiæ subjici et ei accessorie adnecti. Quo stante sensu, patet prohibitam a Tridentinis patribus fuisse parochiarum unionem accessoriam cuilibet beneficio non curato. Et eum esse decreti sensum patet insuper ex collatione hujus textus cum altero, sub præcedenti propositione citato. Ibi nempe facultas fit Episcopis uniendi beneficia curata *vel non curata cum curatis*. Dum ergo postea Tridentini patres prohibent uniri parochiales ecclesias *beneficio non curato*, procul dubio patet, in priori casu intelligi unionem qua beneficium non curatum *subjiciatur parochiæ ;* in posteriori autem, qua parochia *beneficio non curato subjiceretur*. Et prior quidem unio, utpote parochiis proficua, permittitur ; posterior vero, utpote ipsis nociva, prohibetur. Eo nempe consilio hæc et similia de parochiis a Tridentina synodo disposita sunt, ut prospero earum statui consuleretur.

A fortiori autem censenda est prohibita unio, qua parochia,

non tantum *accessorie*, sed et *extinctive* beneficio simplici uniretur; id est, ita ut perimeretur seu extingueretur parochiæ titulus, et remaneret dumtaxat beneficium simplex parochiæ reditibus auctum.

Propositio III[a]. — *Prohibita videtur æque-principalis etiam unio parochiam inter et beneficium simplex.* — Eam quæstionem sic expendit Fagnanus (in caput *Exposuisti, de Præbendis,* n. 12) : « Quid de unionibus parochialium quæ « fiunt præbendis sine suppressione, ut cum duo beneficia « æque-principaliter uniuntur, et utrumque per se remanet, « nec immutat statum aut naturam suam ? — Et primo in- « tuitu videtur dicendum hanc speciem unionis non compre- « hendi in prohibitione concilii ; quia nullum præjudicium « fit parochiali sic unitæ, sicut fit per unionem accessoriam « seu subjectivam, per quam Ecclesia unita amittit titulum « et nomen beneficii. Item hæc species unionis non facit ca- « nonicatum curatum, nec beneficium simplex(cui sic uni- « tur parochialis) desinit esse simplex. Item concilium non « prohibet ne parochiales et præbendæ ad invicem uniantur, « sed ne *parochiales uniantur præbendis* ; quæ verba viden- « tur importare unionem accessoriam, non autem æque- « principalem. In contrarium facit, quia interest ecclesiæ « habere suum proprium rectorem : at per hujusmodi unio- « nem, tametsi unumquodque beneficium retineat sua jura « et privilegia, tamen unus est rector utriusque. Præterea « unio requirit causam necessitatis vel utilitatis ecclesiæ ; « alioquin non valet, etiamsi fiat ab Ordinario servata juris « forma : hujusmodi autem unio tantum abest ut habeat « causam necessitatis vel utilitatis, ut potius utrique bene- « ficio sit damnosa. » Concludit Fagnanus, sibi videri ve- rius, prohibitam etiam esse dictam unionem æque princi- palem.

Atque idem tenet Riganti (in reg. 13 cancellariæ, n. 158) : « Nihil interest, inquit, an unio sit exstinctiva tituli, vel « æque principalis ; cum hæc quoque a concilio prohibeatur.

Nota. — Dicta prohibitione parochias beneficio non cu- rato subjective uniendi, correctum fuit jus commune ante Tridentinam synodum vigens. « Respondeo (ait Leurenius,

Forum beneficiale, pag. 1, q. 164, n. 2), tametsi olim cum « capituli consensu posset Episcopus loco alicui pio seu reli- « gioso donare jura et reditus ecclesiarum parochialium, « cum patroni consensu (juxta caput *Pastoralis, de Dona-* « *tionibus*), nunc autem per Tridentinum (sess. 24, c. 13) «prohibitum esse Episcopis, parochialem monasterio, ab- « batiæ, dignitati, canonicatui, vel alteri beneficio simplici « unire. »

Propositio IV^a^. — *Potest Episcopus beneficium non curatum accessorie unire parochiæ.* — Nam citato sessionis 21 capite 5, decernit Tridentina synodus ut *possint Episcopi facere uniones perpetuas beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis.* Quod quidem non ita intelligendum est, ut possit parochia accessorie uniri alicui beneficio non curato et ei subjici ; siquidem id e contra eadem synodus prohibuit, ut modo probavimus : sed intelligendum est de unione accessoria beneficii simplicis ecclesiæ parochiali.

Propositio V^a^. — *Episcopus nequit valide dictas parochiarum uniones peragere, nisi ex causa necessitatis vel utilitatis.* — Nam neque a Tridentina synodo, neque a jure communi antea vigente tribuitur Episcopis *absolute* hujuscemodi unionum peragendarum potestas ; sed dumtaxat ob certas quasdam causas. Istæ vero causæ, ad legitimam unionem requisitæ, duæ sunt, necessitas et utilitas. Quod sic ex juris textibus probatur : capite *Exposuisti* 33 (*de Præbendis*) permittitur quidem unionem fieri *si evidens necessitas vel utilitas exigat* ; non autem extra hunc necessitatis vel utilitatis casum. Atque olim ante Tridentinam synodum, non potuisse ab Episcopis uniones fieri, nisi ex dicta necessitatis vel utilitatis causa, pro comperto habent canonistæ omnes. Jus vero Tridentinum id nequaquam immutavit. Equidem aliis terminis utitur, dum (capite 5, sess. 21) uniones parochiarum concedit *propter earum paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis* : sed ea verba nec plus nec minus exprimumt, quam in citato capite *Exposuisti* exprimitur. Nam dicendo *in cæteris casibus a jure permissis*, æquivalenter dicit *ex causa necessitatis vel utilitatis,* cum jus tum vigens non ex alia uniones permitteret. Addendo vero *ob earum paupertatem*,

non exprimit causam a necessitate vel utilitate diversam, sed quæ formula *necessitatis vel utilitatis* comprehenditur. Unde remanet hodiedum etiam fieri non posse dictas parochiarum uniones, nisi ex necessitatis vel utilitatis causa; quæ causa si desit, invalida erit unio, prout adnotat Fagnanus (in cap. *Exposuisti* 33, *de Præbendis*, n. 15): « Unio, inquit, requirit causam necessitatis vel utilitatis ecclesiæ; alio- « quin non valet, etiamsi fiat ab Ordinario servata juris forma. »

Nota. — Circa modum recte intelligendi hanc necessitatem vel utilitatem. Necessitas tunc censetur intervenire, quando parochia, cui unio facienda est, adeo *tenues* habet reditus, ut non reperiatur qui velit eam acceptare: item quando ecclesia est destructa vel desolata: item quando supersunt nimis pauci de populo. Utilitas vero tunc intervenit, quando ob tenuitatem fructuum non reperiuntur idonei, sed tantum minus apti, qui parochi ibi esse velint. (Vide Ferraris, ad vocem *Unio benef.* n. 20.)

« Quod si parochiani se offerant, vel ecclesiam parochialem « restaurare, vel sacris supellectilibus (si destituta sit) ornare, « aut congruam sufficientem pro rectore assignare, tunc Epis- « copo permissum non est ex motivo paupertatis ecclesiam « præfatam alteri parochiali unire; sed congruum tempus « præfigere debet parochianis ad promissa adimplendum, ut « decrevit Sacra Congregatio Concilii in *Aversana*, 5 aprilis « 1704, ad 1. » (Riganti, in regulam 13 cancell., n. 137.)

Propositio VI^a^. — *Ut valide fiant ab Episcopo dictæ parochiarum uniones, requiritur consensus cathedralis capituli.* — « Sunt qui existimant non requiri; ea ducti ratione « quod Episcopi hujusmodi uniones explent vigore facultа- « tis ipsis a concilio impertitæ, etiam tanquam delegatis Se- « dis Apostolicæ, quæ ad consensum præfatum adhibendum « non adstringitur. (Navarrus... Riccius... Gallemart... Ze- « rola...) Sed contraria opinio verior est magis recepta. Non « enim concilium (laudato capite 5 sessionis 21) delegat abso- « lute et simpliciter Episcopis facultatem uniendi beneficia « curata curatis, vel simplicia curatis, sed eam imper- « titur *juxta formam juris*. De jure autem in unionibus

« beneficiorum per Episcopum faciendis omnino requiri-
« tur consensus capituli, ut sancitur in Clementina *Si una*
« (*de Rebus Ecclesiæ non alien.*). Proindeque si Episco-
« pi deveniendo ad unionem parochialium, etiam tanquam
« Sedis Apostolicæ delegati, tenentur vigore concilii servare
« *formam juris*, debent utique consensum capituli a jure
« requisitum adhibere. Et ita firmant Fagnanus..., Mona-
« celli..., Cardinalis de Luca..., Ventriglia..., Pignatelli...,
« Sanchez..., Riccius..., Garcias..., Pax Jordanus.., Rota,
« decisione 1078, n. 5 coram Seraphino, et decisione 222,
« n. 5, parte 9, *recentiorum*. Sicque etiam decrevit Sacra
« Congregatio Concilii, 20 novembris 1600, his verbis : *Con-*
« *gregatio censuit, Episcopum in unione facienda, vigore de-*
« *creti ejusdem concilii* (*sess.* 21, *c.* 5), *teneri adhibere con-*
« *sensum capituli : quod si illum consensum in unione præ-*
« *termiserit, unionem nullam atque irritam esse.* Quod de-
« cretum habeo in antiquo codice resolutionum Sacræ Con-
« gregationis ad usum Cardinalis Pauli Senensis ; in quo le-
« gitur ulterius alterum decretum Sanctæ Congregationis
« (in *Sancti Severini*, *19* decembris 1620), his verbis : *Cum*
« *sessionis 21 capite 5 caveatur, Episcopum juxta formam*
« *juris posse simplicia beneficia unire curatis, et curata cu-*
« *ratis ; quæritur, an in hoc consensus capituli requiratur*
« *cum ex Clementina* Si una (*de Rebus Ecclesiæ non alien.*)
« *consensus capituli in hoc casu requiri videatur, de quo in*
« *concilio nulla mentio est habita. — Congregatio censuit re-*
« *quiri, juxta tamen terminos Clementinæ* Si una (*de Rebus*
« *Eccl. non al.*). Non est tamen necesse, quod capituli consen-
« sus interveniat ante, vel in ipso actu unionis ; sed sufficit
« quod accedat post actum jam perfectum... Quod si capi-
« tulum irrationabiliter consensum præstare detrectet, de fa-
« cili Sacra Congregatio Concilii Episcopis indulget, ut non
« obstante illius dissensu, ad unionem deveniant. » Hæc præclarus Riganti (in regulam 13 cancellariæ, n. 138 et seq.) ; cujus verbis ita plene soluta videtur quæstio, ut nihil addendum existimemus.

Propositio VII[a]. — *Requiritur insuper citatio et consensus eorum quorum interest.* — Nam Tridentina synodus vult ab

Episcopis fieri parochiarum uniones *juxta formam juris* (sess. 21, c. 5.) Porro inter requisitas a jure formalitates in uniendis beneficiis, habetur et illa, ut exquiri debeat consensus omnium quorum interest, prout superiori paragrapho dictum est. « Citari itaque debent, ait Riganti, omnes quo-« rum interest : alias unio remanet nulla... Et non solum ci-« tari debent ii qui habent principale interesse, sed opti-« mum etiam esset, ad omne dubium tollendum, citare ha-« bentes interesse secundarium ; et sic citare per proclama « seu edictum omnes et quoscumque sua interesse putantes » (in regulam 24 cancell., n. 39).

Propositio VIII[a]. — *Si beneficium, parochiæ uniendum, sit iuris patronatus, requiritur patroni consensus.* — Nam ex præcedenti propositione, necesse est citari et assentire eos quorum interest. Porro patronus est præcipue de iis quorum interest; siquidem per beneficii unionem amittit suum jus præsentandi. Textus autem juris quibus præsens conclusio a doctoribus unanimiter recepta probari solet, sunt præcipue sequentes : caput *Suggestum* 20, *de Jure patronatus,* ubi dicitur, *cum assensu patroni... consensu domini.* Caput *Pastoralis*, 7, *de Donatibus*, ubi habetur, *de consensu patroni.* Caput 6 sessionis 7 Tridentinæ synodi, ubi hæc clausula, *vocatis quorum interest.* Et caput 15 sessionis 24 ejusdem synodi, ubi iterum conditio hæc, *cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint.*

Dum autem dicitur requiri patroni consensum, id intelligendum etiam de jure patronatus *ecclesiastico*, tenent communius doctores ; contra paucos, qui necessitatem consensus ad jus patronatus laicale restrictam volunt. De quo vide Riganti (in regulam 22 cancellariæ, n. 41 et seq.).

Propositio IX[a]. — *Si ecclesia parochialis unienda sit juris patronatus, et patronus nolit consentire unioni, et Episcopus nequeat parochiæ illius necessitati subvenire remediis indicatis capite 13 sess. 24 Tridentinæ synodi, potest talis patronus cogi ab Episcopo ad consentiendum, vel ad tribuendum necessaria* — « Quod si, in casu denegati pro unione « consensus patroni, necessitatibus talium parochialium suc-« curri non potest remediis positis capite 13 sessionis 24

« compelli possunt patroni illarum ecclesiarum ad præstan-
« dam congruam sustentationem rectoris, vel permittendam
« unionem; ut habet altera ejusdem Sacræ Congregationis
« declaratio. » Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 162, n. 1. Idem tradit Layman ad caput 4, *de Ætate et qual. præf.*, n. 4.

Propositio X^a^. — *Unio parochiarum ab Episcopis facta, suum effectum habere nequit, nisi post mortem aut resignationem rectorum, qui has parochias obtinent.* — Nam in citato decreto Tridentinæ synodi (c. 5, sess. 21) expresse cavetur, ut fiant uniones ejusmodi *sine præjudicio obtinentium*: porro si unio effectum suum sortiretur ante mortem aut resignationem rectoris illius parochiæ, qnæ alteri unitur, illi rectori præjudicium afferret; siquidem eum titulo suo privaret. Et cœteroquin etiam ex jure communi ante Tridentinam synodum vigenti, idem in unionibus beneficiorum servandum fuisse dubium non est, et tradunt unanimiter canonistæ.

Propositio XI^a^. — *Requiritur consensus rectoris parochiæ uniendæ, ut unio effectum habere possit ante ipsius mortem aut resignationem: ut autem effectum habeat post ejus obitum vel resignationem, nec ipsius consensus, nec ipsius citatio aut consilium requiritur.* — Patet *prima pars* propositionis ex eo quod unio fieri nequeat cum ipsius præjudicio: fieret autem cum ejus præjudicio si, ipso non consentiente, statim ad effectum deduceretur. Patet *secunda pars* ex eo quod, præter cathedrale capitulum, citandi non sint nisi *interesse habentes*: porro si unio effectum habitura sit dumtaxat post ejus mortem aut resignationem, ipse non est de nnmero eorum *quorum interest,* seu quibus unio præjudicat. Unde nec ejus consensus nec ejus consilium requiritur. « Mi-
« nusque citari debet rector beneficii, ait Rigantius, si unio
« non sit effectum sortitura durante ejus vita, sed solum
« post obitum... Curandum non est de illo præjudicio, quod
« ei obvenire posset, ex quo stante unione, beneficium re-
« signare aut permutare nequeat » (in regulam 22 cancellariæ, n. 58). Si tamen sponte compareat, audiendus est, ut superiori paragrapho dictum est, loquendo in genere de unionibus beneficiorum.

Propositio XII[a]. — *Nequaquam requiritur consensus aut citatio plebis parochiæ uniendæ.* — « Nec itidem (inquit Ri-« ganti, loco citato, n. 60) vocanda est plebs ecclesiæ paro-« chialis quæ unitur ; quia præsumitur allegatura id quod « sibi utilius et convenientius sit, et sæpe contra propria « commoda laborat. Si tamen de facto unioni se opponat, et « justam aliquam alleget causam, ob quam ad unionem de-« veniri non expediat, audienda est ; quia sua interest bonum « habere pastorem ; ut fuit sensus Sacræ Congregationis « Concilii, in *Fulginatensi*, 21 novembris 1722. »

Nota 1°. — De appellatione a decreto episcopali unionis, idem currit jus, ac de appellatione a decretis episcopalibus dismembrationis. Unde cum jus illud supra exposuerimus quoad erectiones parochiarum per viam dismembrationis, non est cur eadem huc revocemus.

Nota 2°. — In Gallia præter cætera ad unionem parochiarum requisita, intervenire etiam debet gubernii consensus. Id sequi videtur ex articulo concordati anni 1801, quo Pius VII concessit ut ab Episcopis fieri non possint parochiarum circumscriptiones, nisi de consensu Gubernii.

CAPUT VIII.

QUA NORMA PAROCHIÆ SUB JURE PATRONATUS CANONICE CONSTITUANTUR.

Antequam propositam quæstionem solvamus, præmittemus breviter generalem de jure patronatus, et de variis illud acquirendi modis notionem : tum subjiciemus requisitas conditiones, ut parochia sub jure patronatus constituatur.

§ I.

De jure patronatus, et variis illud acquirendi modis generalis notio.

I. *Unde ortum jus patronatus.* — « Attento primitivæ Ec-« clesiæ usu, fundatio vel dotatio ecclesiarum seu præben-« darum jus istiusmodi non gignebat ; cum hæc omnia fie-« rent ex solo impulsu pietatis, et amore religionis propa-

« gandæ et conservandæ. (Cardinalis de Luca, *de Jure patronatus*, in *Summa*, n. 3.) Quin et sacris canonibus cautum, « ut beneficii seu ecclesiæ fundator dotatorve nullam hinc « potestatem consequeretur (canone *Noverint*, 10, q. 1), « non solum quoad dispositionem, sed etiam quoad honorem præcessionis, præter illum, qui Christi fidelibus indifferenter exhibetur. Frigescente deinde charitate, ex « prudenti Ecclesiæ consilio, ad alliciendos fideles laicos « ad ecclesias fundandas et dotandas, per viam gratiæ et « privilegii inductum indultumque iis jus *patronatus honorifici*, per speciem protectionis et defensionis (quæ alias « advocationis titulo veniebat) ecclesiarum seu beneficiorum, « maxime ab alienationibus rerum et redituum, in eis a se « collocatorum (canone *Filiis* 16, q. 7). Mox etiam gratitudinis ergo concessum, ut patrono ejusve filiis vergentibus ad egestatem, ab Ecclesia de alimentis prospiceretur « (canone *Quicumque* 16, q. 7). Præterea ex Toletano concilio 9 inductum, *ut quamdiu viverent* ipsimet fundatores, « eis permitteretur etiam offerre rectores idoneos Episcopis, « per eos ordinandos et promovendos (canone *Decurrimus*, « eadem causa 16, q. 7); sacris canonibus interim necdum « agnoscentibus facultatem ullam seu potestatem hoc ipsum « jus offerendi (quod hodie jus præsentandi vocamus) transferendi de persona fundatoris in successores, seu in ultima voluntate. Denique, dum exinde fundatores consuesent in fundationis limine hanc legem adjicere, ut sibi alterive a se designato jus tale offerendi seu præsentandi, « una cum aliis prærogativis advocatiæ, honoris, alimentorum, præservaretur; Pontifices, rati id minime eis invidendum, ut passim invitarentur tam clerici quam laici ad « fundandas ecclesias, jus generaliter iis concessere; adjecta « insuper permissione idem jus in alios transferendi: ac ita « usu receptum est, ut modo non sit jus amplius extraordinarium et exorbitans, sed commune et ordinarium, ut satis ostendit totus iste *de Jure patronatus* titulus in jure canonico. Atque ex his vides, prærogativam illam juris patronatus unice provenire et dependere a concessione Ecclesiæ. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, quæstione 29).

II. *Quomodo acquiratur jus patronatus.* — 1° Acquiritur *ordinarie* triplici modo, nempe : ex *fundatione* seu concessione fundi pro ecclesia ædificanda, ex illius *constructione*, et ex illius *dotatione*. « Per hæc enim tria deducitur ecclesia « seu beneficium de non esse ad esse ; et his tribus constrin- « gitur tota activitas juris communis, ut videlicet concessio « juris patronatus, ex quavis alia causa facta, nullatenus « possit referri ad ipsum jus commune, sed ad merum et nu- « dum privilegium. » (Leurenius, loco citato, q. 30.) 2° Acquiritur *extraordinarie* consuetudine et præscriptione. 3° Ut quis prædictis tribus modis ordinariis jus patronatus acquirere possit, non requiritur ut simul sit fundator, exstructor et dotator ; sed satis est si vel fundum dederit, vel construxerit, vel dotaverit. Atque id tanquam omnino certum tradunt canonistæ unanimiter (vide inter alios Leurenium, modo citato loco). 4° Hinc ejusdem ecclesiæ vel beneficii plures esse possunt patroni, ut quando unus fundum dedit, alter exstruxit, tertius dotavit. Et tunc sunt patroni *in solidum*, et cum æquali jure, quamvis unus plus cæteris erogaverit. (Vide laudatum Leurenium *Forum beneficiale*, parte 2, q. 31.) 5° Imo si plures simul dent fundum. vel si plures simul construant ecclesiam, vel si plures simul dotent, omnibus inde competere potest jus patronatus ; sed si plures, verbi gratia, construxerunt, unicus vero sit fundator, et totam dotem pariter unicus erogaverit, illi plures qui construxerunt non habebunt nisi unicum suffragium ad præsentandum : duo autem alia suffragia ad fundatorem et dotantem pertinebunt : et idem dicendum de pluribus concurrentibus ad fundum dandum, vel erogandam dotationem (quod pariter vide expositum apud Leurenium, citato loco). 6° Præfatum *jus præsentandi*, in eo consistit ut, vacante beneficio, novum quem maluerit rectorem possit patronus ei præficere. Nam tenetur Episcopus præsentatum, seu designatum a patrono, in vacante beneficio instituere ; nisi tamen aliqua obstaret ratio canonica ; quo casu rejici quidem potest ab Episcopo præsentatus ; sed remanet patrono jus alterum præsentandi.

§ II.

Requisitæ conditiones ut parochia sub jure patronatus canonice constituatur.

1° Requiritur ut is, qui jus patronatus vult acquirere, vel fundum pro ecclesia ædificanda, vel expensas pro eadem exstruenda, vel convenientem dotem erogaverit. Nam, ut supra dictum est, his tribus dumtaxat regulariter niti potest jus patronatus. Dicimus *regulariter*, quia absolute posset Papa per viam veri privilegii jus patronatus in aliquam ecclesiam illi etiam concedere, qui nihil ex dictis tribus præstitisset.

2° Requiritur insuper et omnino necessarius est consensus Ordinarii. « Respondeo, ait Leurenius, dictum consensum « omnino et necessario ad hoc requiri, ut colligitur ex capite « *Nobis, de Jure patronatus.* » (*Forum beneficiale*, parte 2, q. 36.) Sicut nempe causa efficiens erectionis beneficii est Episcopus, ita etiam Episcopi auctoritas dicitur a canonistis causa efficiens reservationis juris patronatus in beneficio; quatenus, dum erigitur beneficium, approbat leges in erectionis limine adjectas, ac proinde etiam reservationem patronatus, si reservatio hæc inter dictas leges reperiatur. « Et « certe sicut sine superioris potestate ædificari non potest « ecclesia, ita nec servituti patroni subjici. » (Leurenius, loco citato.)

3° Non tamen necesse est ut dictus consensus sit expressus, sed sufficit etiam tacitus. Quod vide probatum a laudato Leurenio (*Forum beneficiale*, parte 2, q. 36, n. 2).

4° Nequit vicarius generalis, absque speciali mandato Episcopi, necessarium illum consensum præstare. (Leurenius, ibidem, q. 37, n. 2.)

5° « Potest tamen hanc facultatem concedere capitulum, « sede vacante, quia loco Episcopi succedit. » (Leurenius, « ibidem).

6° « Si Ordinarius noluerit præstare consensum, recurrendum est ad superiorem antistitem, qui illum compellat. » (Leurenius, ibidem, n. 4.)

CAPUT IX.

DE ECCLESIARUM PAROCHIALIUM ALTERATIONE ET SUPPRESSIONE.

Quæstio 1ª. — *Quid sit beneficiorum alteratio seu mutatio?* — Alterari dicitur beneficium, quando ita mutatur ejus status, ut ejusdem speciei esse desinat; prout contingit, verbi gratia, quando ecclesia non curata mutatur in parochiam, vel simplex parochialis in collegiatam aut cathedralem.

Quæstio 2ª. — *Penes quem sit potestas parochiarum statum alterandi?* — Respondeo: 1° solus Papa potest aliquam ecclesiam parochialem mutare in cathedralem. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale,* parte 3, q. 964, n. 1.) 2° Item solus Papa potest mutare aliquam ecclesiam, sive parochialem, sive aliam, in collegiatam. (Vide id probatum a Leurenio, loco citato, n. 2.) 3° Item solus Papa potest mutare ecclesiam regularem in sæcularem, et sæcularem in regularem (ibidem, n. 3.) 4° « Potest Episcopus potestate sua ordinaria « mutare ecclesiam simplicem in curatam et parochialem. » (Leurenius, loco citato, n. 5.) 5° « Episcopus nequit paro- « chialem ecclesiam convertere in simplicem, potestate ordi- « naria; quia id ei inhibetur a Tridentino, sess. 25, c. 16. » (Leurenius, loco citato, n. 6.)

Quæstio 3ª. — *Quid sit suppressio beneficiorum?* — « Sup- « pressio est extinctio tituli beneficialis, per quam bene- « ficium desinit esse in rerum natura, ejusque fructus seu re- « ditus, si qui sunt, applicantur aliis beneficiis aut locis « piis. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 3, q. 966, n. 1.)

Quæstio 4ª — *Quandonam possit Episcopus aliquam parochialem ecclesiam supprimere?* — Potest tum parochialem ecclesiam, tum cætera etiam beneficia supprimere, in iis casibus, in quibus potest ea aliis accessorie unire. « Quippe « illa unio non fit sine suppressione, et suppressionis filia est « unio. » (Leurenius, loco citato, q. 972, n. 16.)

Requiri autem ad ejusmodi suppressionem eamdem justam causam, easdemque solemnitates, ac in unione accessoria, vide apud laudatum Leurenium, citato loco, quæstione 967, et sequentibus.

PARS III.

DE CANONICA NORMA PAROCHOS

CONSTITUENDI ET REMOVENDI

Dicemus 1° quis valeat parochos constituere ; 2° quis valeat constitui parochus ; 3° qua forma constituendi sint parochi ; 4° quomodo canonice removeri possint.

SECTIO I.

Ad quem pertineat potestas rectores parochiis præficiendi.

Ob multiplices materias, quæ sub hac quæstione expendendæ veniunt, eam in duplicem subsectionem dividimus ; prout nempe parochiæ sunt vel non sunt liberæ collationis.

SUBSECTIO I.

Ad quem pertineat rectores præficere iis parochiis quæ non sunt collationis liberæ.

Dicitur beneficium aliquod esse *collationis liberæ,* quando potest quis, independenter a quolibet alio, quem voluerit (ex iis tamen qui requisitas a jure qualitates habent) huic beneficio præficere, seu illud ei conferre. Econtra dicitur non esse collationis liberæ, quando, etsi quis possit contribuere ut aliquis beneficio donetur, non tamen per se solum et independenter ab aliis potest facere ut is beneficium obtineat. Sic, verbi gratia, quando parochia vacans est juris patronatus, nequit patronus eam novo rectori conferre, sed dumtaxat eum præsentare : atque item Episcopus nequit quem voluerit parochiæ præficere, sed dumtaxat præsentatum a patrono instituere. In hac porro subsectione expendendum venit, a quibusnam personis, et a quibusnam ipsarum actibus pendeat provisio ejusmodi parochiarum, quæ liberæ col-

lationis non sunt, id est, parochiarum juris patronatus, et parochiarum alicui capitulo, monasteriove, aut beneficio unitarum.

CAPUT I.

A QUIBUS PERSONIS ET ACTIBUS PENDEAT PAROCHIARUM JURIS PATRONATUS PROVISIO.

I. *De necessaria præsentatione ex parte patroni.* — 1° Certum est nullum clericum posse rectorem constitui in parochia juri patronatus obnoxia, nisi per patronum ei, ad quem, pertinet institutionem facere, præsentetur. Nam in hoc præsentandi jure, et in hac præsentationis a patrono necessitate præcipue consistit juris patronatus prærogativa, ut dictum est supra (parte 2, capite 8, § 1). 2° Per præsentationem præsentato acquiritur jus *ad beneficium*, non autem *in beneficio* ; id est, per solam præsentationem non adhuc efficitur legitimus beneficii possessor (siquidem ad hoc requiritur insuper institutio) ; sed jus habet tantum ut instituatur, et judicialiter agere potest ut institutio, tanquam quid sibi debitum, concedatur. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 121.) 3° Ut valeat præsentatio, debet a præsentato acceptari. (Leurenius, ibidem, q. 122.) 4° Si plures præsententur, habent tantum jus ut unus ex ipsis instituatur. (Leurenius, ibidem, n. 3.) 5° « Præsentatio necessario debet fieri coram « habente instituere. Pendet enim validitas præsentationis « ex concursu trium personarum, præsentantis, præsen- « tati, et habentis instituere. » (Leurenius, ibidem, q. 123.) 6° Necesse non est ut patronus corporaliter per seipsum præsentet ; sed potest id per procuratorem facere, vel etiam per litteras. (Leurenius, ibidem, q. 124.) 7° Item necesse non est præsentatum corporaliter præsentem sisti coram illo ad quem pertinet jus instituendi ; sed potest etiam absens valide præsentari. (Leurenius, ibidem, q. 125.) 8° Neque requiritur ut præsentatio fiat per scripturam publicam ; sed fieri potest oretenus, vel per privatas litteras. (Leurenius, ibidem, q. 126.) 9° Is ad quem pertinet instituere debet

præsentationem factam acceptare ; non tamen absolute, sed cum formula conditionali *si et in quantum*, id est, si et in quantum de jure admitti debeat, ac præsentanti jus competat, et præsentato nihil de jure objici possit. Si vero rejiciatur præsentatio legitime facta, possunt præsentans et præsentatus contra rejicientem agere apud ipsius superiorem. 10° Intra quod tempus a die vacationis beneficii fieri debeat præsentatio ut sit valida, vide a Leurenio fuse expositum (*Forum beneficiale*, parte 2, q. 135). 11° Si patronus intra tempus debitum non præsentet, vel si præsentet indignum, collatio ad superiorem devolvitur. Hæc de præsentatione cursim adnotavimus : cum enim multis in regionibus hodie nullæ exstent parochiæ juris patronatus, minus utilem duximus pleniorem hujusce materiæ enucleationem.

II. *De necessaria institutione, ut quis parochiæ juris patronatus legitime præficiatur.* — 1° « Institutio est concessio « beneficii, facta legitima auctoritate Episcopi, vel alterius, « clerico a patrono præsentato. Differt *a collatione* proprie « tali; quod supponat præsentationem, sitque concessio ob- « ligatoria (obligatur enim prælatus conferre beneficium ei, « qui a patrono est præsentatus) ; collatio autem proprie « talis sit *voluntaria* beneficii concessio, seu quæ fit su- « perioris arbitratu, sine ulla electione, postulatione, aut « præsentatione. Differt a *confirmatione*, quod sit collatio « vel provisio illius qui præsentatus est a patrono ; confir- « matio sit illius qui electus est. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 6.)

2° Omnino necessaria est institutio, ut quis evadat rector legitimus parochiæ juris patronatus ; nam per solam præsentationem nullam in parochia jurisdictionem acquirit præsentatus ; nec fit parochus nisi quando instituitur, et ipsomet institutionis actu.

3° Ad Episcopum seu Ordinarium de jure communi pertinet instituere omnes a patronis præsentatos ad beneficia diœcesis suæ. « Competitque ei hæc potestas *instituendi* (uti et *con-* « *firmandi)* jure magistratus ; reputaturque inter jurisdic- « tionalia, tanquam fructus jurisdictionis : secus ac contingit « in potestate *conferendi* ; hanc enim nulla ratione compe-

« tere Episcopo ratione magistratus, seu spectare ad ejus « jurisdictionem, ait Lotterus (libro 2, q. 2, n. 5) ; sed esse « potestatis accidentalis cujusdam, eodem nihilominus tem- « pore concessæ, quo conceduntur seu imprimuntur ei ju- « risdictionalia, nimirum ex speciali concessione legis... : in « hoc jure *conferendi* esse quid longe majus, et superare jus « quodcumque eligendi, confirmandi, instituendi, quod non « solum reputetur inter fructus episcopales, sed et contineat « meram gratiam, seu potestatem gratificandi ; cum jus ins- « tituendi et confirmandi sint de mera justitia. » (Leure- nius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 169).

4° Sede episcopali vacante, potest capitulum antequam electus fuerit vicarius capitularis, et postea ipsemet dictus vicarius præsentatos instituere ; quamvis nequeant beneficia liberæ collationis Episcopi conferre. Ratio est, quia *instituere* pertinet ad Ordinariam Episcopi jurisdictionem, quæ ad capitulum ipsiusque vicarium transit : potestas autem *conferendi* non est proprie de jurisdictionalibus Episcopi, quamvis ei a lege concedatur statim ac jurisdictionem episcopalem acquirit. Et notetur per institutionem nullum creari præjudicium subsequenti Episcopo ; cum illa institutio sit actus justitiæ, quem debuisset ipse explere, si vicarius capitularis non explevisset. E contra per *collationem* præjudicium pateretur succedens Episcopus, quia potuisset beneficium alteri conferre. (Vide Leurenium, loco citato, q. 170).

5° Item instituere potest vicarius generalis ex commissione generali officii sui ; quamvis absque speciali mandato nequeat conferre beneficia, quorum collatio ad Episcopum pertinent. Vide id probatum a laudato Leurenio (ibidem, q. 171.).

6° Posse etiam ex speciali titulo (verbi gratia, ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ) ad alios Episcopo inferiores pertinere instituendi potestatem, vide apud eumdem auctorem (ibidem, q. 172).

7° « Prævie ad institutionem requiritur *examen* a locorum « Ordinariis super instituendi idoneitate (capite *Ex frequen-* « *tibus*, *de Jure patronatus*) .Sic quoque in Tridentino (sess. « 7, c. 13) præcipitur, ut præsentati vel nominati a quibus- « cumque personis ecclesiasticis (multo magis ergo a laicis),

« etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis ecclesiastica « beneficia non instituantur, nec confirmentur, nisi fuerint « prius a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti ; et « nullus appellationis remedio se tueri possit quominus exa- « men subire teneatur. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 185, n. 1).

8° « Prævie ad institutionem in beneficio curato requiritur « quoque *approbatio* Ordinarii ; ita ut nulla consuetudine in- « duci possit ut in ecclesiis Episcopo subjectis ministri curati « sine ejusdem approbatione instituantur : consuetudo enim « perniciosa ecclesiis prævalere nequit ; esse autem perni- « ciosissimum ecclesiis, si sine cognitione et consensu su- « premi in diœcesi pastoris, nempe Episcopi, inferiores cu- « rati instituerentur... Unde licet inferior prælatus per con- « suetudinem acquirere possit jus instituendi, etiam ad cu- « rata beneficia, sed non sine examine et approbatione Epis- « copi.» (Leurenius, loco citato, n. 2.)

9° Ad valorem institutionis non requiritur scriptura. Nihilominus expedit scripturam adhiberi ; et ita servatur in praxi. (Leurenius, loco citato, q. 186).

10° Intra quod tempus fieri debeat institutio, jus non determinavit. Esset tamen contra justitiam notabiliter eam differre absque necessitate. Quæ dilatio notabilis communiter reputatur existere, si ultra semestre institutio protrahatur ; ita ut nequeat ultra id tempus prorogari, quin ad superiorem devolvatur. (Leurenius, loco citato, q. 189.)

11° Ante institutionem debet publicari edictum, quo citentur omnes interesse habentes : alioquin institutio foret ipso jure nulla. Vide id probatum apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 2, q. 192) ; qui auctor nonnulla alia ad institutionem spectantia tractat ; quæ hic, utpote minus necessaria, omittuntur.

CAPUT II.

A QUO, ET QUIBUS ACTIBUS, CANONICE CONSTITUANTUR VICARII PERPETUI PAROCHIARUM UNITARUM.

Prænotandum. — Loquimur hic de parochiis alicui capitulo, vel monasterio, vel beneficio, etc., ita unitis, ut tota cura exerceatur per vicarium aliquem perpetuum; et rector principalis, id est capitulum, vel monasterium, etc., non retineat nisi curam *habitualem,* nec possit in exercitio curæ sese intromittere. Qui casus locum habet, verbi gratia, in plerisque cathedralibus Galliæ, ubi cura adnexa fuit capitulo, et exercetur per vicarium perpetuum. Ejusmodi autem vicarios perpetuos esse in re veros parochos, sub prima tractatus parte ostendimus. Et licet proprie dici nequeant *rectores parochiarum* quibus præsunt, vere tamen et proprie dicuntur *rectores curæ* animarum. Porro de iis vicariis perpetuis hic quæritur, ad quos pertineat eos constituere, et quinam sint actus ad hoc necessarii.

I. « Respondeo, inquit Leurenius, vicarios perpetuos in « parochialibus unitis, non ad liberam Ordinariorum depu- « tationem, sed ad deputationem illorum ad quos spectant « ecclesiæ unitæ vel beneficia, in quibus erigitur vicaria, « spectare. Sic ex presse statuit Pius V (1)... Atque ita *no-* « *minatio* ac veluti institutio vicarii perpetui pertinet ad « rectorem principalem, præcedente tamen examine et con- « sensu Episcopi sive Ordinarii. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 116, n. 2.) Hinc, verbi gratia, in iis cathedralibus, in quibus animarum cura adnexa fuit capitulo,

(1) In sua nempe constitutione *Ad exequendum,* in qua sic habetur, §4: *Volumus insuper et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui, non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum seu eorum vicariorum examine et approbatione, deputentur.* (*Bullarium Romanum,* tom. 4, parte 2, pag. 402, edit. Coquelines).

vicarii perpetui curam exercentis nominatio, non ad Episcopum, sed ad capitulum pertinet, prout plenius probavi in meo tractatu *de Capitulis*; atque ibi etiam disserui de contraria consuetudine, in Gallia, a tempore concordati anni 1802 vigente ; qua nempe solent Galliæ Episcopi ejusmodi perpetuos cathedralium vicarios, absque ullo capituli interventu, nominare et constituere.

II. Constitui tamen nequeunt prædicti vicarii curati absque prævio examine et approbatione Episcopi. « Tametsi, ait « Leurenius, nominatio vicarii perpetui spectet, ut dictum « est, ad rectorem principalem, is tamen ab eo institui nequit « sine prævio examine et consensu Episcopi seu Ordinarii » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 121). Constat ex modo citata constitutione *Ad exequendum* sancti Pii V (1). Atque id verum remanet quantumvis capitula, monasteriave, quibus unita est cura, exemptionis privilegio gaudeant ; quod a Cardinali de Luca, aliisque doctoribus tanquam certum tradi, et a Sacra Congregatione Concilii fuisse declaratum, vide apud Leurenium, citato loco.

III. Ad constituendos dictos vicarios perpetuos non requiritur prævius concursus, sed sufficit nominatio a capitulo vel collegio cui adnexa est cura, cum examine et approbatione Ordinarii. « Respond eo (ait Leurenius, loco citato, q. 120, n. 2) « vicarias perpetuas parochialium unitarum (quas admi- « nistrat extraneus, seu qui non est de collegio cui annexa « est ecclesia curata) non conferri per concursum ; cum illæ « provideantur ad nominationem et præsentationem illo- « rum, quorum beneficio, dignitati vel collegio parochiales « ecclesiæ sunt annexæ, et non ad liberam Ordinariorum elec- « tionem ; sed solum ad simplicem eorum approbationem « prævio examine deputentur tales vicarii. De Luca, *de Pa- « rochis*, discursu 37, n. 38. »

IV. « Sed neque requiritur ut examen præsentati fiat ab

(1) Ibi siquidem expresse dicitur *cum examine et approbatione Ordinariorum*. Et quamvis ejusmodi vicariorum nominatio ad Ordinarios non pertineat, ut dictum est, decernit tamen Tridentina synodus (sess. 7, cap. 7,) eos esse ab Ordinariis *deputandos*.

« examinatoribus synodalibus, sed sufficit examen et appro-
« batio Ordinarii. Atque ita in hac provisione ecclesiarum
« talium unitarum per vicarios perpetuos, locus non est dis-
« positioni Tridentini (sess. 24, c. 18) super forma provi-
« dendi per concursum ; utpote quod loquitur de ipsis paro-
« chialibus, et non de vicariis parochialium unitarum...
« Neque res illa ullam amplius habet difficultatem, cum sit
« manifeste decisum per citatam constitutionem Pii V *Ad exe-*
« *quendum,* quatuor annis posteriorem publicatione Tri-
« dentini. Unde etiam decretum concilii Toletani, statuentis
« servandum quoque in provisione harum vicariarum con-
« cursum, contra jus est, et eget confirmatione Papæ, et alias
« non valet. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 120, n. 2.)

SUBSECTIO II.

Ad quosnam pertineat parochias liberæ collationis conferre.

Parochiis juris patronatus, vel alicui capitulo, monasteriove unitis, quis valeat parochos præficere, superiori subsectione diximus. Idem nunc quoad cæteras parochias per se stantes, quæ liberæ collationis dicuntur, expendendum occurrit. Exponendum nempe quinam sint, de jure communi, ejusmodi parochiarum collatores.

CAPUT I.

DE PRIMARIO COLLATORE, SIVE PAPA.

Dicemus 1° quænam sit Romani Pontificis potestas circa beneficia ; 2° quænam ipsius potestas beneficia sibi reservandi; 3° quandonam parochiarum collatio sit ipsi reservata, vi reservationis in corpore juris expressæ ; 4° quandonam sit

ipsi reservata per regulas cancellariæ ; 5° quodnam jus particulare hodie vigeat in Gallia quoad parochiarum collationem.

§ I.

Quænam sit Romani Pontificis potestas circa beneficia.

« Respondeo, Papæ a Christo concessum esse in beneficiis « jus plenum, seu summum, absolutamque potestatem, et « plenariam dispositionem (Castropalo, tractatu 13, *de Be-* « *neficiis,* q. 2, p. 14, n. 2. — Layman, in caput *Quæ ad* « *ecclesiarum, de Const.* — Lotterus, c. 2, q. 22, n. 9, dicens « catholicorum neminem id negare, juxta caput 2 *de Præ-* « *bendis*) ; ita ut non solum dicatur beneficiorum *adminis-* « *trator absolutus*, ut cum divo Thoma (2, 2, q. 100, ad 7) tam « theologi omnes quam canonistæ, sed etiam *dominus*... ; « in tantum ut, ubi constat de ejus voluntate, frustra quæ- « ratur de potestate, stante ei in his pro ratione voluntate... « Quemadmodum enim, quamdiu beneficium persistit in suo « esse, negari non potest Papæ absoluta ejus adminis- « tratio, ita nec absolutum dominium respectu ipsius formæ seu tituli beneficialis ; qui uti creatur per Papam, ita « et per illum destrui et annihilari potest. Utitur proinde « Papa jure suo, nec alterius juri contravenit aut de- « trahit, dum fructus beneficiorum gravat pensione, etiam « invito beneficiato, aut alteri ecclesiæ applicat... ; dum be- « neficia quæcumque, in quantumcumque alienis diœcesibus « (quamquam totus terrarum orbis stet Papæ pro diœcesi) « confert. Quin et utendo hac libera et plena dispositione, « beneficiatum, etiam sine causa, privare potest beneficio. « (Garcias, parte 5, c. 1, n. 2 ; addens hinc omnia beneficia « respectu Papæ esse manualia.) Sed neque prærogativam « hanc et potestatem ullum ei concilium adimere et minuere, « aut restringere potest : aut etiam Papa concedens Ordinariis « aliisque facultatem conferendi beneficia, se privat aut pri- « vare potest dicta potestate a Christo accepta.» (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, quæstione 512).

Potest autem Romanus Pontifex variis modis uti hac potestate sua de beneficiis diœcesis cujuslibet disponendi ; et prout hoc vel illo modo utitur, dicitur hoc vel illo jure suo in beneficia uti. Hinc multiplex distinguitur jus Romani Pontificis beneficia conferendi : potest nimirum ea conferre :

« 1° *Jure concursus*, quatenus tanquam Episcopusuni versalis, Ordinariusque Ordinariorum, et totius orbis, in quo « (veluti in capite et origine) residet ecclesiastica jurisdictio, « et potestas ordinandi ecclesias, *concurrit* cum cæteris omnibus collatoribus inferioribus in provisione beneficiorum « quorumcumque, etiam in mensibus (1) ordinariis Ordinariorum, hoc est, a jure illis concessis. Non enim nisi cumulative cum Papa pro his mensibus Ordinarii habent faculatem conferendi ; dum Papa pro his mensibus non abdicavit a se totaliter potestatem conferendi, aut manus sibi « ligavit.

« 2° *Jure devolutionis*, dum ex causa aliqua a collatoribus « inferioribus ad Papam fit devolutio juris conferendi.

« 3° *Jure prœventionis*, dum nimirum præveniendo vacationem beneficii, mandat hac vacatione subsecuta conferri, « vel etiam ipse extunc confert certæ personæ.

« 4° *Jure reservationis*, dum confert certa beneficia, quæ « ipse sibi privative reservavit. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 513.)

De jure Papali *concursus* et *prœventionis* non est cur fusius disseramus, cum de facto Sedes Apostolica hoc jure uti non soleat. Item quoad *jus devolutionis,* sat erit hic generatim adnotasse, fieri ad Papam devolutionem, quando inferiores ad quos pertinebat beneficii collatio, illud conferre neglexerunt intra tempus a jure præscriptum, vel eo modo contuleruni, quem jus irritat, et propter quem devolutionem decernit.

Atvero de jure pontificio *reservationis* quoad parochiarum cæterorumque beneficiorum collationem, diligenter exponen-

(1) Id est, etiam quando vacant in iis mensibus in quibus collatio ex juris communis dispositione ad Ordinarios pertinet.

dam duximus doctrinam catholicam: tum quod materia hæc quotidianam praxim attingat; tum etiam ob infensas declamationes, quibus protestantes, necnon janseniani et gallicani systematis sequaces in ejusmodi pontificias reservationes insectati sunt.

§ II.

De potestate Romani Pontificis beneficiorum collationem sibi reservandi.

1° Romano Pontifici competere jus sibi reservandi beneficiorum cujuslibet diœcesis collationem, omnino certum est; atque illud negare temerarium prorsus esset atque erroneum (prout suus erit in tractatu *de Papa* probandi locus). Nam, ex dictis superiori paragrapho, est Romanus Pontifex, et quidem jure divino, omnium beneficiorum mundi supremus administrator; ergo et supremus collator. Unde repugnat ad aliquem pertinere posse, exclusive quoad Papam, jus beneficia conferendi; sed eo sensu dumtaxat existunt alii præter Papam collatores, quod de facto et libere eis Papa faciendam collationem relinquit.

2° Ad quæstionem *quandonam ejusmodi pontificiæ reservationes induci cœperint*, respondet Leurenius : « Olim Pon-
« tifices nulla sibi reservasse beneficia, saltem ex juris com-
« munis dispositione : nam in toto decreto Gratiani nullæ be-
« neficiorum reservationes reperiuntur; et hinc post Gra-
« tiani sæculum cœpisse videntur, quamvis ex antiqua con-
« suetudine multa sibi reservaverint. Quas reservationes
« fere omnes concilium Basileense abolere tentavit; cujus
« tamen concilii decreta, paucis exceptis, ab Ecclesia fuere
« rejecta. Demum a Joanne XXII, et a Benedicto XII reser-
« vata fuerunt Sedi Apostolicæ beneficia omnia electiva, et ea
« omnia quæ per obitum Cardinalium et quorumcumque of-
« ficialium Romanæ curiæ vacarent. Postmodum ab Inno-
« centio VIII, aliisque subsequentibus Pontificibus eædem
« reservationes auctæ, innovatæ et declaratæ fuerunt, ut in
« regulis cancellariæ continetur. Sæculo 13 cœpisse Sedem
« Apostolicam aliqua beneficia in aliena diœcesi existentia

« sibi reservare (prius ratione loci in quo vacarent, puta in cu-
« ria Romana ; dein ratione personarum, puta familiarium
« Papæ ; ac demum ratione temporis, aliquot menses sibi
« servando), ait Cardinalis de Luca, *de Beneficiis*, in *Summa*,
« n. 224. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 526.)

Ex eo vero quod recentioribus dumtaxat sæculis illo jure sibi beneficiorum collationem reservandi usa sit Sedes Apostolica, perperam concluderetur eo jure antea caruisse Romanos Pontifices. Esto recens sit exercitium juris, non tamen jus ipsum. Potuisset Sedes Apostolica, statim ex quo cœpere existere beneficia, ea sibi reservare. At cum non expediant omnia quæ licent, recentioribus tantum sæculis opportunum æstimavit hujus sui juris exercitium. Atque idem quoad jus confirmandi Episcopos, aliaque non pauca Sedis Apostolicæ jura advertere est : ab initio scilicet et a Christo ipso ista jura, quamvis nonnisi multa post sæcula exerceri cæpta.

3° Solet autem describi reservatio, « beneficii vacaturi ad
« se avocatio, vi cujus nimirum ligantur manus aliis omnibus
« collatoribus, subduciturque beneficium Ordinariorum po-
« testati (qua alias, cessante hac avocatione, quilibet Epis-
« copus in suo episcopatu beneficia omnia conferre potest),
« ita ut attentata jam ab aliis provisio evadat nullius valoris...
« Verum melius videtur definiri a Lottero...: Interdictum
« Papæ, factum inferiori circa usum potestatis ordinandi be-
« neficium, gratia providendi bene meritis. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 522.)

4° Quando Papa ponit actum aliquem, ex quo sequitur beneficii reservatio (verbi gratia, quando beneficium, statim ac vacabit, concedit alicui), ille reservationis modus dicitur *affectio*, et tunc beneficium dicitur *affectum* ; nequit scilicet ordinarius collator de eo disponere, quia jam de eo Papa disposuit. Unde *reservatio* solet fieri verbali dispositione, qua declarat Summus Pontifex se sibi tale beneficium reservare, et solet esse pro semper, seu quoad omnes in perpetuum beneficii vacationes : *affectio* vero fit facto aliquo, et dispositione transitoria ; qua scilicet semel expleta, et beneficio iterum vacante, jus suum recuperat ordinarius collator.

5° Quod si quæratur qua de causa Sedes Apostolica sibi re-

servandam duxerit multorum beneficiorum collationem, respondemus cum Leurenio: « Causam finalem reservationum « esse bonum commune reipublicæ ecclesiasticæ; de quo ele- « gantissime discurrentem, et defendentem reservationes « apostolicas contra obtrectatores earum, ex verbis ipsiusmet « Pii V, vide Lotterum (l. 2, q. 36, potissimum a n. 12). « *Prima* itaque causa est, quod, cum ad Papam spectet re- « munerare bene meritos de Ecclesia, præsertim qui sibi aut « suis antecessoribus servierunt, et erga egentes clericos, qui « undequaque ad Sedem Apostolicam confluunt, se libera- « lem exhibere, iisque subvenire; hinc, inquam, æquum fuit « amplissimam esse Papæ potestatem, beneficia vacantia, « quasi bona communia, aliis conferendi; adeoque et quam- « plura eorum suæ collationi reservandi. *Altera* causa est, « ut ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum toto orbe « existentium major sit communicatio cum Ecclesia Romana « omnium matre, dum non solum in spiritualibus, sed et « in temporalibus beneficiorum proventibus ab ea dependent. « Quo enim in pluribus ab ea dependent et ad eam confu- « gere debent, eo magis reverentur et amant, et in eis quæ « ad fidem, mores et sacra ministeria spectant se ei submit- « tunt. » (*Forum beneficiale*, parte 2, q. 525.)

6° Ad perpetuo recantatam objectionem de periculo, ne Sedes Apostolica ejusmodi potestate abutatur, beneficia indignis conferendo, præsto est responsio. Equidem accidere potest, ut quandoque Romanus Pontifex minus dignis beneficia conferat, cum nequaquam hac in re infallibilis sit. At, quæso, numquid magis infallibiles Episcopi, aliique collatores? Ingentes olim, inquis, ex reservationibus pontificiis diœceseon pertubationes, ingentes querelæ, ingentia scandala. — Existimo ego ingentia hac de re declamata mendacia: esto tamen nonnullos Pontifices in exercenda hac potestate sua aliquid humani passos fuisse: quam inde conclusionem intendis? non agnoscendam esse hanc in Romano Pontifice potestatem? At numquid ex abusu potestatis, legitime unquam fieri poterit ad ejusdem potestatis negationem illatio? Vide ne infensus ille in reservationes pontificias animus tibi sit in scandalum, quo de sana doctrina ad erroris abyssum misere deturberis.

Qui enim offenderit in hanc Petram collidetur ab ea. Neque legimus pios et sanctos viros pontificiarum reservationum obtrectatores exstitisse, aut pravam eam Romanæ Sedis potestatem existimasse. Quamquam autem hæc scribens non paucorum forsan invidiam in me concitem, absit ut ejusmodi declamationibus subscribam unquam, aut Romanæ Ecclesiæ, matri meæ, quam sibi vindicat reservationum potestatem in dubium revocare audeam, eive crimini vertam. Qua si forte abuti contingat aliquem Romanum Pontificem, qui zelum Dei habet eum obsecret ut Patrem; at piam et reverentem obsecrationem prætergredi non audeat; quia ultra non sincera in Ecclesiam Christi devotio, sed in felle amaritudinis contentio.

§ III.

Quandonam parochiarum, cæterorumque beneficiorum collatio sit reservata Papæ, vi reservationis in corpore juris sancitæ.

Ex legibus in corpore juris clausis, non reperitur nisi unica reservatio proprie dicta, beneficiorum nempe quæ vacant *apud Sedem Apostolicam,* seu *in Romana curia*; quod probat Leurenius in suo *Foro beneficiali* (parte 2, q. 529), ostendendo cæteras dispositiones, quibus aliæ reservationes sanciri videntur, non præcise reservationem decernere, sed vel devolutionem, vel privationem beneficii, aliudve hujusmodi. Hinc in præsenti paragrapho agendum nobis est dumtaxat de beneficiorum in curia Romana vacantium reservatione. Quam quæstionem expediemus hoc ordine: 1° leges transcribemus quibus hæc reservatio decernitur; 2° exponemus quid intelligendum sit per vacationem in Romana curia; 3° quid ex dictis legibus sequatur quoad parochiarum collationem expendemus.

I. *Præmittuntur textus legum, quibus reservantur beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia.* — Capite 2, tituli 4, libri 3 decretalium, in sexto, sic decernitur: « Licet ecclesia-« rum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum « ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum nosca-

« tur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa cum va-
« cant potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tri-
« buere vacaturis; collationem tamen ecclesiarum, persona-
« tuum, dignitatum et beneficiorum apud Sedem Apostoli-
« cam vacantium, specialius cæteris antiqua consuetudo Ro-
« manis Pontificibus reservavit. Nos itaque laudabilem repu-
« tantes hujusmodi consuetudinem, et eam auctoritate Apos-
« tolica approbantes, ac nihilominus volentes ipsam inviola-
« biliter observari, eadem auctoritate statuimus, ut ecclesias,
« dignitates, personatus, et beneficia, quæ apud Sedem ipsam
« deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pon-
« tificem (quacumque super hoc sit auctoritate munitus, sive
« jure ordinariæ potestatis ipsorum electio provisio seu col-
« latio ad eum pertineat...), conferre alicui seu aliquibus non
« præsumat. Nos enim, si secus actum seu attentatum, de-
« cernimus irritum et inane. »

Item in sexto decretalium (c. 34, *de Præbendis*) sic occurrit a Bonifacio VIII decretum : « Præsenti declaramus edicto,
« statutum felicis recordationis Clementis Papæ prædecesso-
« ris nostri, de beneficiis apud Sedem Apostolicam vacanti-
« bus, per alium quam per Romanum Pontificem minime
« conferendis, locum habere in beneficiis, quæ Legati aut
« Nuntii Sedis ejusdem, vel quivis alii ad Romanam cu-
« riam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa, obtinere
« noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi curiæ mori con
« tingat, quemadmodum si in loco ubi eadem curia residet,
« morerentur... Loca vero intelligantur vicina eidem curiæ
« in præmissis, quæ remota ultra duas dietas legales, a loco
« ubi moratur ipsa curia non existunt. »

II. *Quid sit vacatio beneficiorum in Romana curia.* — 1° Tunc dicitur beneficium vacare in curia Romana, seu apud Sedem Apostolicam, quando ille, qui beneficium possidebat, moritur in eo loco ubi residet Pontificia curia, verbi gratia Romæ. Ubicumque autem residet Papa cum sua cancellaria, suisque officialibus, tribunalibus et consiliariis, ibi adesse curia Romana censetur. 2° Etiamsi beneficiatus moreretur in loco ubi Papa resideret absque sua curia, censendum foret beneficium vacare apud Sedem Apostolicam, ac proinde re-

servatione affici; prout tenent communiter canonistæ (Vide Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 532.) 3° Si beneficiatus non moriatur in loco ipso ubi residet Romana curia, vel Papa; sed tamen in loco non plus distante quam duabus dietis, id est, quadraginta millibus passuum, adhuc censetur beneficium vacare apud Sedem Apostolicam.

III. *Concluditur quomodo parochiarum* COLLATIO *sit reservata Papæ, ex eo quod vacent in curia Romana.* — 1° Certa est generalis regula, parochiarum, sicut et cæterorum beneficiorum in curia Romana vacantium, collationem esse Romano Pontifici de jure communi reservatam. Id enim ex supra citatis duabus decretalibus aperte sequitur; siquidem hoc ibi decernitur de *beneficiis* absque distinctione; ac proinde etiam de beneficiis curatis seu parochialibus.

2° Dari tamen ad prædictam generalem regulam nonnullas exceptiones, tradunt communiter canonistæ. Excipiuntur nempe : *primo* beneficia collata quidem, sed nondum acceptata; quo casu si is cui collatum est moriatur apud Sedem Apostolicam, non manet reservatum beneficium. *Secundo* excipiuntur pariter episcopatus, seu ecclesiæ cathedrales, et abbatiæ vacantes in curia, aliæque dignitates electivæ. *Tertio* item beneficia manualia, seu ad nutum revocabilia, sive sint sæcularia, sive regularia. *Quarto* beneficia juris patronatus laicalis. *Quinto* beneficia regularia. *Sexto* beneficia parochialia vacantia in curia *dum Sedes Apostolica vacat*. Quæ exceptiones quomodo probentur, vide apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 2, q. 534). Attentis autem his exceptionibus, ad parochias quod attinet, dicendum eas, dum vacant in curia, esse reservatas, nisi sint vel juris patronatus laicalis, vel manuales seu ad nutum revocabiles, vel vacent in curia dum vacat ipsamet Sedes Apostolica.

3° Dum autem parochia vacans in curia, et reservata Sedi Apostolicæ, non confertur a Papa intra mensem a die vacationis computandum, cessat reservatio, et eam ordinarius collator conferre potest. Ita expresse sancitum, quoad omnia generaliter beneficia, a Gregorio X in concilio generali Lugdunensi, his verbis : *Statutum felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri, de dignitatibus et beneficiis in*

curia Romana vacantibus nequaquam per alium quam per Romanum Pontificem conferendis, decernimus taliter moderandum : ut illi ad quos eorumdem beneficiorum et dignitatum spectat collatio (statuto non obstante prædicto), demum post mensem, a die quo dignitates seu beneficia vacaverint numerandum, ea conferre valeant, tantummodo per seipsos; vel (ipsis agentibus in remotis) per suos vicarios generales, in eorum diœcesibus existentes, quibus id canonice sit commissum (caput *Statutum 3, de Præbendis*, in 6).

§ IV.

Quandonam parochiarum collatio sit Romano Pontifici reservata per cancellariæ regulas.

Dicemus 1° quid sint regulæ cancellariæ, et an jus commune seu universale constituant; 2° quandonam reservetur collatio parochiarum per primam cancellariæ regulam; 3° quandonam per regulam nonam, quæ vocari solet regula *de mensibus*.

I.

Quid sint regulæ cancellariæ, et an jus universale constituant.

« Sunt constitutiones quædam pontificiæ, majore ex parte « concernentes causas et reservationes beneficiales... Sic « dictæ, vel quia bona earum pars concernunt expeditionem « litterarum, quæ in cancellaria expediuntur, vel quia in « cancellaria publicantur et regestis consignantur, idque « auctoritate Papæ. Solet quilibet Pontifex initio sui Ponti- « ficatus has regulas renovare et publicare... Primus om- « nium eas edidisse et sic appellasse dicitur Joannes XXII. « Initium eas habuisse circiter anno 1330 ait Cardinalis de « Luca (*de Beneficiis*, discursu 1, n. 23).

« Regulæ hæ... revera jus universale inducunt, seu legum « generalium rationem habent, ita ut extra curiam per orbem « totum ligent. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 539 et 540.) Id fusius probatum vide a Rigantio, in eximio ipsius commentario in cancellariæ regulas.

« Per mortem cujuslibet Pontificis, vis et auctoritas dic-
« tarum regularum expirat; adeoque cessant regulæ reser-
« vatoriæ Sede Apostolica vacante. Unde beneficia vi earum
« reservata, Sede Apostolica vacante, libere conferunt Epis-
« copi seu ordinarii collatores. » (Leurenius, loco citato.) Atque id intelligendum est, non tantum sede vacante, sed etiam donec novus electus Pontifex eas regulas renovaverit. (Leurenius, ibidem.) Solet autem eas renovare die sequenti ipsius electionem.

II.

Quandonam reservetur Sedi Apostolicæ parochiarum collatio per primam cancellariæ regulam.

Inter alia quæ in hac regula statuuntur, reservata Sedi Apostolicæ declarantur beneficia omnia, quæ ab Ordinariis aliisve collatoribus contra præscriptam a Tridentina synodo formam collata fuerint: *Et ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios aut alios collatores, contra ejusdem concilii decretorum formam, dispositum fuerit.* Quod ad parochias applicando, si de iis ordinarius collator disposuerit contra Tridentinæ synodi decreta, verbi gratia, eas conferendo absque prævio concursu, vel ætatem requisitam non habentibus, etc., jus suum collationis amittit; nec poterunt jam ejusmodi parochiæ ab alio quam a Romano Pontifice conferri. (Vide Leurenium, *Forum benef.*, p. 2, q. 543, n. 3.)

III.

Quomodo Sedi Apostolicæ reservetur parochiarum collatio; vi regulæ nonæ, quæ dicitur regula de mensibus.

In hac regula sic disponitur: *Cupiens Sanctissimus Dominus Noster Papa pauperibus clericis et aliis bene meritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine*

cura, sæcularia et quorumvis ordinum regularia, qualitercumque qualificata, et ubicumque existant, in singulis januarii, februarii, aprilis, maii, junii, augusti, octobris et novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum, extra Romanam curiam, alias quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem et quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum... quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reservavit...

Insuper Sanctitas Sua, ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis intenta, ipsis, quandiu apud ecclesias aut diœceses suas vere ac personaliter resederint dumtaxat, de omnibus et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, cum et cura sine cura, sæcularibus et regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis, dispositionem... pertinentibus), quæ antea in mensibus februarii, aprilis, julii, augusti, octobris et decembris extra curiam ipsam vacare contigerit..., libere disponendi facultatem concedit...

Illi vero qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras, manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque civitate vel diœcesi datas declarare, et litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis Suæ transmittere teneatur.

Ex hac lege ecclesiastica, quoad parochiarum collationem hæc deducenda veniunt:

1° Nisi acceptata fuerit ab Episcopo alternativa, parochiæ quæ vacant in aliquo ex supra nominatis octo mensibus, conferri nequeunt nisi a Romano Pontifice. Quæ autem vacant in quatuor aliis mensibus, a collatoribus ordinariis conferri possunt; modo tamen ex alio aliquo titulo (verbi gratia, ex eo quod vacent in Romana curia) non sint Apostolicæ Sedi reservatæ.

2° Si acceptetur ab Episcopo alternativa, tunc parochiæ (quæ, seclusa reservatione Papali, pertinerent ad liberam Episcopi collationem) conferri poterunt ab Episcopo, si vacent in aliquo ex mensibus sex, in secunda parte regulæ designatis: si vero vacent in sex aliis mensibus, ad Romanum Pontificem earum collatio pertinet.

3° Quando parochiæ vacantis collatio ad Papam pertinet, non ideo omittendus est concursus; sed etiam tunc instituendus est, ut dicetur postea. Quo casu partes Episcopi sunt, ut facto concursu, nomina eorum, qui ab examinatoribus synodalibus approbati sunt, ad Romanum Pontificem transmittat, quod infra suo loco explanabimus.

4° Sub hac regula de mensibus, non comprehendi parochias juris patronatus laicalis, neque etiam parochias manuales, id est, quarum rectores sunt ad nutum amovibiles, vide probatum a Leurenio (*Forum beneficiale*, parte 2, q. 556).

§ V.

Ex hodierno jure particulari Galliæ videtur parochiarum collatio ad Episcopos pertinere, absque ulla ad vedem Apostolicam reservatione.

In superioribus paragraphis jus commune descripsimus. Quoad Galliam vero valde notabilis intervenit per concordatum anni 1801 juri huic communi derogatio. Articulo enim decimo hujus conventionis, a Pio Papa VII per bullam *Ecclesia Christi* confirmatæ, sic statuitur: *Episcopi ad parœcias nominabunt; nec personas seligent, nisi gubernio acceptas.* Porro ex isto textu colligendum videtur, omnium Galliæ parochiarum collationem ad Episcopos, absque ulla Pontificia reservatione, pertinere. Etenim certa erit conclusio, si vox *nominabunt* ibi intelligenda sit, non tantum de nominatione, sed etiam de collatione. Atqui hoc sensu ibi usurpatum fuit illud vocabulum. Quod probatur, tum ex circumstantiis nonnullis, tum ex analogia cum concordato reipublicæ Italicæ, tum ex eo quod de facto sic res a quinquaginta annis intellecta fuerit, tum denique decreto Cardinalis Caprara pro erectione singulorum episcopatuum et archiepiscopatuum.

1° Et primo quidem id suadet modus, quo hujus concordati textus compositus et determinatus fuit. Propositus a Napoleone fuerat articulus sub hac formula: *Ils* (les Evêques) *nommeront à toutes les cures. Ces nominations seront sou-*

mises à l'approbation du gouvernement, Postulavit Cardinalis Consalvi immutationem in hunc modum: *Ils nommeront à toutes les cures, et choisiront des pasteurs doués des qualités requises par les lois de l'Eglise, et qui n'auront pas démérité la confiance du gouvernement.* Quonam autem consilio sic moderari articulum procurasset, Pio VII indicabat idem Cardinalis his verbis: « La scelta de' parochi nell' attuale situa-
« zione delle cose dev'essere un punto assai geloso per il go-
« verno, trattandosi di persone che si awicinano al popolo piu
« degli stessi Vescovi. Bramava per tanto il governo medesi-
« mo, que le nomine venissero assoggettate alla sua approba-
« zione. Si e combinato l'articolo in guisa di salvar dette no-
« mine ai Vescovi, lo que fissa in loro un tal diritto libero,
« e di ammetere la riserva, che non sceglierano i pastori, se
« non doppo d'essersi assicurati che godono la fiducia del
« governo. I Vescovi colla loro prudenza potranno in atto prattico combinar la cosa in modo plausibile, e senza danno della disciplina della Chiesa. »

Aliunde autem ad dominum Bernier presbyterum, qui pro parte gubernii agebat, hancce notam transmisit Cardinalis Consalvi: *On a cherché à rassurer davantage le gouvernement, en disant que les Evêques, qui nommeront à toutes les cures, ne choisiront les pasteurs qu'après s'être assurés qu'ils sont doués des qualités requises par les lois de l'Eglise, et qu'ils jouissent de la confiance du gouvernement* (1).

Ex quibus patet, lingua gallica primum exscriptam fuisse articuli hujus formulam. Unde sequitur voces illas *Episcopi ad præcias nominabunt* eo sensu intelligendas esse, qui *nominationis* vocabulo in dicto idiomate inhæret. Porro *nominare ad aliquod munus* apud Gallos sensu obvio designat actum auctoritatis, vi cujus potest quis hoc munere legitime fungi; ita scilicet ut facta nominatione nihil aliud requiratur. Et hoc procul dubio sensu propositum a se articulum, *ils*

(1) Hosce textus deprompsi ex quadam documentorum, Pii Pontificatum respicientium, collatione, quæ apud R. P. Angelini in collegio Romano asservatur.

nommeront à toutes les cures, intelligebat Napoleo; ad instar nempe nominationis ad varia gubernii munera. Quem sensum, cum procul dubio intellexerit Sedes Apostolica, censenda etiam est juxta ipsum locuta; ita nimirum ut voces *ad parœcias nominabunt* jus etiam Episcopis tribuant parochias *conferendi*, Quod de omnibus parochiis, proprie (1) vacantibus, et absque ulla exceptione aut reservatione intelligendum est, cum propositio sit generalis.

2° Idem suadetur ex concordato Pium VII inter et Napoleonem inito, quatuor post annis, quoad rempublicam Italicam. Ibi nempe expressis terminis Sedes Apostolica Episcopis tribuit jus parœcias omnes conferendi : *Sanctitas Sua concedit Episcopis jus conferendi parœcias, quæ quovis anni tempore erunt vacaturæ*. Porro verisimile non est alio sensu intelligendam esse formulam *ad parœcias nominabunt*, in concordato anni 1801 adhibitam.

3° Insuper certum est hoc sensu constanter ab initio usque nunc intellectum et ad praxim deductum fuisse illum concordati anni 1801 articulum; ita scilicet ut Episcopi Galliæ non tantum nominationis, sed et collationis ad omnes vacantes parochias plenum jus, et nulla reservatione Pontificia limitatum, sibi vindicaverint, quin ulla unquam de hoc difficultas mota fuerit.

4° Ast dubitationi omnem præcludit aditum decreti formula, qua usus est Cardinalis Caprara, pro singulorum episcopatuum, et archiepiscopatuum erectione. Formula hæc eadem fuit (mutatis dumtaxat nominibus) quoad diœceses omnes. Citabimus formulam pro Mechliniensis diœcesis erectione expeditam, quia juris publici facta est (in opere, *Collectio epistolarum pastoralium diœcesis Mechliniensis*, pag. 51 et seq.; Mechliniæ, 1845). In ea sic legere est : *Iisdem ec-*

(1) In cathedralibus, ubi cura fuit capitulo adnexa, per obitum vicarii curati parochia proprie non vacat; si quidem principalis rector, seu parochus *in habitu*, est ipsummet capitulum. Unde præsens concordati articulus non censendus est ad nominationem vicarii curati cathedralis extendi; sed hæc nominatio spectat ad capitulum, ad normam juris communis, quam alibi exposuimus.

clesiis ita in parochiales erectis, Archiepiscopus ipse RECTORES DABIT. Locutio ista *rectores dabit*, procul dubio jus *conferendi* complectitur, sed et ipsa vox *collatio* paulo post adhibetur, hoc modo *: Eidemque futuro ac pro tempore existenti Archiepiscopo Mechliniensi, ut* PRÆTER COLLATIONEM PARŒCIARUM, *eo modo qui in sæpe memorata conventione ac in præsenti decreto statutus est, quæcumque alia, cum cura et sine cura, ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata, juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis* PLENO JURE CONFERENDI *et de illis providendi, de eadem speciali Apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur.*

Hinc nullatenus annuendum puto cujusdam hodierni canonistæ opinioni, qui mihi dicebat, ita sibi videri articulum interpretandum, ut *nominatio* dumtaxat ad Episcopos quoad omnes vacantes parochias pertineret; *collatio* autem, utpote de qua nihil in concordato expressum, nonnisi ad juris communis normam : proinde vacantibus in curia Romana, vel in mensibus Papæ reservatis Galliarum parochiis, adhuc hodie necesse esse, ut præter nominationem ab Episcopo, collatio a Romano Pontifice obtineatur. Hæc, inquam, opinio mihi videtur nullo solido fundamento niti.

Nota. — Quod autem hic dicitur de Galliæ Episcopis, extendendum est ad nonnullas alias regiones (verbi gratia, ad Belgium), quarum ecclesiæ ex dicto concordato anni 1801 reguntur, utpote quæ tunc temporis intra fines imperii Gallici claudebantur.

CAPUT II.

DE POTESTATE EPISCOPI QUOAD PAROCHIARUM COLLATIONEM.

QUÆSTIO 1ª. — *Quis dicatur ordinarius collator.* — « Respondeo : illum qui jure proprio beneficia confert, tametsi « jurisdictionem nullam habeat, et sive hanc potestatem con- « ferendi habeat a jure, sive ex præscriptione, consuetudi-

« ne, privilegio. Et sic in specie capitulum, dum legitime jus-
« tificavit consuetudinem conferendi privative ad Episcopum,
« venire sub nomine ordinarii collatoris, ait Cardinalis de
« Luca, *de Beneficiis*, discursu 31, n. 15. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 664.)

Quæstio. 2ª. — *Quomodo Episcopus sit de jure communi beneficiorum diœcesis suæ ordinarius collator.* — « Episco-
« pus inter collatores ordinarios primum locum habet ; ut-
« pote cui ex jure communi, et ratione episcopatus, concessa
« est hæc potestas conferendi beneficia diœcesis suæ (jux-
« ta caput *Omnes basilicæ*, et caput *Nullus omnino*, causæ 16,
« quæstionis 7 ; caput *Conquerente*, *de Officio ordin.*; caput
« *Ex frequentibus*, *de Institut.*); cum interim collatoribus
« aliis, quales sunt abbates, priores, collegia canonicorum,
« etc., ea potestas potius ex præscriptione, consuetudine,
« privilegio, quam de jure competat. Ac proinde, cessan-
« tibus reservationibus, omnium beneficiorum in diœcesi
« existentium collatio de jure communi spectat ad Episco-
« pum, isque de iis conferendis de jure communi fundatam
« intentionem habet (sub limitatione tamen et exceptione
« danda inferius circa beneficia ecclesiæ cathedralis). Idque
« non solum ratione beneficiorum tunc existentium, sed et
« in posterum erigendorum. Neque solum respectu sæcula-
« rium, sed et regularium beneficiorum hoc jus commune ei
« assistit : hoc tamen ipsum... intelligitur de non exemptis. »
(Leurenius, loco citato, q. 665.)

Quæstio 3ª. — *Unde hoc jus conferendi originetur in Episcopo* ? — « Respondeo, tametsi bene dicatur originari in Epis-
« copo a jure communi, non tamen originari in Episcopis
« immediate, sed defluxive ; nimirum defluere a Papa in
« eos, utpote in quo sola hujus potestatis plenitudo residet,
« cui omnes alii Episcopi subsunt tanquam membra, et vo-
« cati in partem sollicitudinis. » (Leurenius, loco cit., q. 666.)

Quæstio 4ª. — *An hæc potestas Episcopi circa conferenda beneficia spectet ad ejusdem jurisdictionem* ? — « Respondeo :
« nullatenus, saltem proprie, ad potestatem jurisdictionis
« spectat, seu competit ei jure magistratus. Non enim om-
« nia quæ magistratui alicui competunt, competunt ei jure ma-

« gistratus ; sed aliqua competere possunt a lege, citra im-
« perium et jurisdictionem. Multoque minus hæc potestas
« est potestas ordinis ; cum (ut dicitur capite *Nosti, de*
« *Elect.*) conferre possit statim ac electio ejus fuit confir-
« mata, etsi nondum sit consecratus : sed est accidentalis
« cujusdam potestatis, eodem nihilominus tempore impressæ,
« quo imprimuntur jurisdictionalia; nimirum ex spéciali
« concessione legis, nempe capitis *Omnes basilicæ.* » (Leure-
nius, loco cit., q. 667.)

Quæstio 5ª.—*Quid sequatur ex præmissa doctrina, quoad potestatem episcopi conferendi parochias?* — Præmissa hac Leurenii doctrina, quæ communiter a canonistis tradi solet, facilis jam præsentis quæstionis solutio. 1° Nempe nequibit Episcopus parochiam vacantem conferre, si reservata sit Romano Pontifici, juxta normam superiori capite expositam. 2° Pertinere potest parochiæ alicujus collatio ad alios quam ad Episcopum, quamvis Episcopo inferiores ; jure scilicet præ-criptionis, consuetudinis, aut privilegii ; quo etiam casu non poterit Episcopus eam conferre. 3° Quando autem parochia vacans, neque est reservata Sedi Apostolicæ, neque ullus alius jus suum conferendi probare potest, hoc ipso ad Epis copum collatio pertinet. Tunc scilicet Episcopus, ex sola episcopatus sui ratione, et quin ullo speciali ad hoc titulo indigeat, hanc potestatem habet ex jure communi.

Nota. — Posse autem Episcopum jus illud parochias et cætera beneficia conferendi exercere ante consecrationem suam, non tamen antequam ejus electio confirmata fuerit, et possessionem cœperit, vide apud laudatum Leurenium (loco cit., q. 668).

Quæstio 6ª. — *An hodie in Gallia præter Episcopos alii existant parochiarum collatores?* — Respondendum negative ; ob expressam nempe concordati anni 1801 dispositionem, *Episcopi ad paræcias nominabunt.* Quæ verba excludunt (ut superiori capite diximus) quamlibet pontificiam reservationem, necnon simul quemlibet alium collatorem. Si quidem ibi vox *nominabunt* conferendi etiam jus exprimere censenda est. Atque id firmat perpetua praxis a dicti concordati tem-

pore usque ad præsentem diem. Extendenda autem est conclusio hæc ad alias regiones, quæ etsi intra fines Galliæ comprehendi desierint, præfati tamen concordati jure reguntur.

Notetur tamen nos hic loqui dumtaxat de parochiis liberæ collationis; non autem de parochiis alicui capitulo vel monasterio unitis. Nam in vicina quadam ex dictis regionibus quæstio hodie movetur, num quædam monasteria, quibus ante perturbationem anni 1793 unita erat animarum cura, adhuc hodie jus habeant præsentandi unum ex religiosis suis qui curam exerceat; ita ut nequeat ibi Episcopus quem voluerit parochum præficere, sed dumtaxat præsentatum et nominatum ab abbate seu capitulo monasterii. Et quidem in favorem liberæ collationis Episcopi militat ratio, quod auctoritate Pii VII omnes hujus regionis parochiæ *exstinctæ fuerint*, ut nova dein circumscriptio fieret : ex quo sequitur exstinctum simul fuisse jus dictorum monasteriorum in hujusmodi parochias, cum noviter erectæ parochiæ, etsi antiquis territorialiter correspondeant, non tamen sint illæ antiquæ *restitutæ*, sed *novæ* exstinctis succedentes. In favorem autem monasteriorum urgetur gravissimum argumentum; potuisse nempe primo primos Episcopos, ex subdelegatione Apostolica, a delegato Cardinali Caprara sibi facta, novas parochias constituere, etiam cum antiquis monasteriorum in eas juribus. Atque ita revera factum fuisse a primis post concordatum Episcopis contendunt hodie eorum monasteriorum religiosi; quod concludunt ex eo quod, sicut antiquitus, denuo fieri cœperit a monasterio præsentatio religiosi qui curam exerceret; atque ita jus antiquum monasterii, etsi per parochiarum omnium suppressionem exstinctum, restitutum tamen fuisse a primo post concordatum Episcopo; idque auctoritate Apostolica, ita ut nequeant jam successores ejus idipsum immutare.

CAPUT III.

DE POTESTATE, TUM VICARII GENERALIS EPISCOPI, TUM (SEDE VACANTE) CAPITULI ET VICARII CAPITULARIS QUOAD PAROCHIARUM COLLATIONEM.

I. *Quid valeat quoad parochiarum collationem vicarius generalis Episcopi?* — 1° Ex eo solo quod sit vicarius generalis, neque parochias, neque ulla alia beneficia conferre potest: « Sed eget ad hoc speciali concessione; illi enim ex « concessione vicariatus concessa solum est episcopatus ad- « ministratio, in his quæ necessitatis sunt et utilitatis; unde « instituere et confirmare potest præsentatos et electos, ex « generali mandato: quia hæc sunt justitiæ et necessitatis: « non autem *conferre;* quia beneficiorum collatio est quædam « donatio libera. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 2, q. 683.)

2° « Posse vicario generali concedi hanc facultatem con- « ferendi beneficia, habet communis (doctorum sententia). « Quin et Castro-Palao ait, fere semper solere illi concedi « hanc facultatem. » (Leurenius, ibidem, q. 683, n. 2.)

3° Est pariter communis doctorum sententia, « posse vi- « carium generalem, ratione vicariatus sibi concessi, sine « speciali mandato, interim dum beneficium vacat et non « providetur de rectore, vel rector impeditus est, constituere « vicarium, qui beneficium regat et animarum curæ pros- « piciat; quia hæc designatio rectæ episcopatus ad minis- « trationi necessaria est, et non est collatio. » (Leurenius, « ibidem, q. « 682, n. 3.)

II. *An capitulum sede vacante, conferre possit parochias cæterave beneficia, quæ sunt liberæ collationis Episcopi?* — « Quoad conferenda beneficia quæ sunt de collatione Epis- « copi, capitulum sede vacante, nullam habet potestatem, « sive non succedit Episcopo in collatione horum beneficio-

« rum. Licet enim capitulum succedat in iis quæ Episcopo « jure ordinario competunt, attamen collatio beneficiorum « casus unus est, isque præcipuus, ab ista regula exceptus, « per caput 2, tituli *Ne sede vacante* ; et caput unicum ejus- « dem tituli, in sexto. » Leurenius, loco citato, q. 708).

Parochiæ autem, cæterave beneficia ad liberam Episcopi collationem pertinentia, quando vacante sede episcopali vacant, de jure communi reservantur Sedi Apostolicæ, non autem successori Episcopo ; ita scilicet disponente regula 2 cancellariæ. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale,* parte 2, q. 709.)

Atvero hodie in Gallia, ejusmodi parochiarum collatio videtur ad successorem Episcopum pertinere, ob memorata nempe concordati anni 1801 verba, *Episcopi ad parœcias nominabunt.* Hac enim formula videtur Romanus Pontifex renuntiasse etiam juri suo conferendi parochias, episcopali vacante sede, vacantes. Et sic in praxi rem a tempore dicti concordati intellectam fuisse certum est.

III. *Quid valeat vicarius capitularis quoad parochiarum collationem* ? — Quæ modo dicta sunt de capitulo, sede vacante, applicanda sunt et capitulari vicario ; cum ipsius potestas sit ipsamet jurisdictio capituli, ad ipsum transmissa, et non amplior. Unde nec ipse potest parochias conferre ; sed dumtaxat vicarium in eis constituere, usque dum de parocho provideantnr.

Nota. — Potest etiam pertinere jus parochias conferendi, ad privatas personas ; et a fortiori ad aliquod monasterium collegiumve, aut dignitatem ; vi nempe et titulo privilegii, vel præscriptionis, vel consuetudinis ; prout supra dictum fuit. Neque id episcopalis jurisdictionis subversivum videri debet. Nam (ut supra a canonistis communiter traditum vidimus) beneficiorum collatio proprie ad episcopalem jurisdictionem ordinemve non pertinet ; sed est quid a lege episcopatui alligatum. Lex autem ita voluit Episcopos esse ordinarios collatores, ut aliis etiam hoc jus competere posset : cum hoc tamen discrimine, quod Episcopus jus illud habeat hoc ipso solo quod sit Episcopus : alii vero illud sibi vindicare nequeant, nisi mediante speciali titulo privilegii, præscriptionis aut consuetudinis.

Cæterum quando quis, præter Episcopum, jus conferendi aliquam parochiam habet, eam conferre nequit nisi illi, qui examinatus et approbatus ab Episcopo fuerit, prout ex ipsa episcopalis muneris essentia deduci posset, et fuit a Tridentina synodo expresse sancitum his verbis: *Liceat Episcopo præsentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen, juxta alias statuta ab hac sancta synodo, examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit et inanis* (sess. 25, c. 9.)

SECTIO II.

Quis valeat constitui parochus, seu de requisitis ad parochiale officium qualitatibus.

Quæstio I[a]. — *Quænam requiratur ætas*? -- 1° Omnino certum est constitui non posse in parochum, nisi qui annum vigesimum quintum attigit, id est, inchoavit; atque hac deficiente ætate, irritam prorsus et nullam fore parochiæ provisionem. Ita nempe expresse sancitum ab Alexandro III in Lateranensi concilio, constitutione *Quia nonnulli*. Quam constitutionem postea confirmavit Gregorius X his verbis : *Licet canon, a felicis recordationis Alexandro Papa III prædecessore nostro editus, inter cætera statuerit, ut nullus regimen ecclesiæ parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum ætatis annum attigerit.. ; quia tamen in observatione canonis memorati se multi exhibent negligentes : nos periculosam illorum negligentiam volentes juris executione suppleri, præsenti decreto statuimus : ut nullus ad regimen parochialis ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia et ætate : decernentes collationes de parochialibus, his qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cætero faciendas, viribus omnino carere.* (Caput *Licet* 14, tituli 6, libri 1, in 6.) Utriusque dicti Pontificis constitutiones confirmavit Tridentina synodus in hunc modum : « Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia « personis dignis..., juxta constitutionem Alexandri III, « in Lateranensi, quæ incipit *Quia nonnulli*, et aliam « Gregorii X in generali Lugdunensi concilio, quæ incipit « *Licet canon*, editam, conferantur : aliter autem facta collatio « sive provisio, omnino irritetur : et ordinarius collator

« pœnas constitutionis concilii generalis, quæ incipit *grave* « *nimis*, se noverit incursurum » (sess. 7, c. 3). Vide etiam caput 12, sessionis 24, ubi expresse dicta ætas requiritur pro dignitatibus curam animarum habentibus.

2° Intelligendam hanc legem etiam de vicariis perpetuis parochialium ecclesiarum, et generatim de omnibus habentibus jurisdictionem spiritualem, quamvis fori externi tantum vide apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 217, n. 2).

3° Cum prædicta lex de requisita ad parochiale officium ætate, univer salis sit, non posse Episcopum ab ea dispensare concludendum est. (Vide Leurenium, citato loco, q. 217, n. 3; et q. 228). Hinc ad Sedem Apostolicam recurri solet pro hacce dispensatione; quæ et nonnunquam conceditur; prout concessa est, verbi gratia, in causa *Nucerina* 10 aprilis 1802, ut videre est in *Thesauro resolutionum,* tomo 68, pag. 73.

Quæstio 2ª. — *An et qualis ordo requiratur ut quis constitui possit parochus*?—1° Hujus quæstionis solutio præcipue pendet a duobus sequentibus textibus : *Præterea, licet ad regimen parœcialis ecclesiæ non debeat aliquis, nisi subdiaconus sit ad minus, admitti; dispensative tamen in minoribus ordinibus constituti consueverunt assumi : dum tamen tales sint, quod infra breve tempus possint in presbyteros ordinari.* Ita decreverat Alexander III (capite *Præterea* 5, tituli *de Ætate et qualitate* 14, libri 1 decretalium). Postea vero prodiit decretalis Bonifacii VIII, disponens in hunc modum : *Si pro clericis pauperibus, vel aliis, nostras litteras, ut eis de beneficiis provideas etiamsi animarum cura sit annexa eisdem, recipere te contingat ; ipsis (licet nec in sacris sint constituti ordinibus, nec de defectu ordinum in eisdem litteris mentio habeatur) poteris de beneficiis curam habentibus licite providere ; nec prætextu dicti defectus tua poterit provisio impugnari. Oportebit tamen ut ipsi ad ordines, quos requirunt collata eis beneficia, se faciant in proximis statutis a jure temporibus promoveri* (caput 8, tituli *de Præbendis* 4, libri 3, in 6.)

2° Est communis doctorum opinio non requiri subdiaconatum, ut quis parochus constitui valeat. Etenim, licet supra ci-

tata decretalis *Prœterea* subdiaconatum requirat, id correctum est per subsequentem decretalem *Si pro clericis*. Equidem nonnulli olim canonistæ, cum glossa, putarunt dictam decretalem *Prœterea* correctam fuisse dumtaxat quoad clericos qui parochiam obtinent per *viam impetrationis* seu collationis ; non autem quoad eos qui eam obtinent per viam *præsentationis* et *electionis* : sed prævaluit omnino contraria sententia ; quod nempe, post decretalem *Si pro clericis*, nullo modo et in nullo casu remanserit subdiaconatus necessitas. Quod vide optime discussum a Fagnano (in caput *Prœterea, de Ætate et qual.*, n. 5.)

3° An saltem requirantur ordines, disputant doctores. Etenim decretalis *Si pro clericis* dicit quidem non requiri *sacros* ordines ; at non dicit non requiri ordines *minores*. Hinc non liquet an, quemadmodum necessitatem subdiaconatus sustulit ita et minorum ordinum necessitatem sustulerit. De quo vide Fagnanum (loco citato, n. 6.)

4° Non obstante illa canonistarum controversia, ob praxim et decisiones Sacræ Congregationis Concilii, dicendum est, neque minores ordines requiri, ut quis in parochum constitui valeat ; sed sufficere simplicem tonsuram. De quo probationem ex laudato Fagnano desumemus. Postquam nempe clarissimus doctor rationes congessit, quæ minorum ordinum necessitatem evincere videntur, sic addit : « Negari « tamen non potest quin in practica servetur oppositum. « Nam parochiales conferuntur etiam clericis primæ tonsuræ. « Et Sacra Congregatio Concilii alias consulta, an matri- « monium contractum coram parocho, adhuc intra annum « ad sacros non promoto, sed prima tantum tonsura initiato, « sit validum, necne ; censuit esse validum. Quam senten- « tiam Clemens VIII ad se relatam approbavit. » (In caput *Prœterea de Ætate et qual.*, 8.)

5° Omnino requiritur ut qui parochiam, nondum sacerdos, obtinuit, presbyteratus ordinem recipiat *intra annum, a die adeptæ pacificæ possessionis computandum*. Etenim supra citatum caput *Prœterea* jam olim decreverat, ut tenerentur ejusmodi parochi presbyteratus ordinem recipere *infra breve tempus*... « Nunc vero (ait Pirrhing, in tit. 14, libri 1 decret.,

« n. 41) determinatum est hoc *breve tempus*, ut sit annus, a « die quo provisus pacificam possessionem beneficii consecutus est, numerandus (capite *Cum in cunctis* 7, *de* « *Electione* ; et expressius in capite *Licet* 14, eodem titulo, « in 6). »

Nota. — Advertere potest lector, quoad ordinem ad parochiale munus requisitum, immutatum a Tridentina synodo non fuisse jus commune, ante ipsam vigens.

Quæstio 3ª. — *Quænam scientia requiratur in parochis*?— « Respondeo, ait Leurenius, requiri ut tales sciant inter « peccata distinguere, evangelium declarare, sacramenta rite « administrare (Tridentinum, sess. 24, c. 18 *de Ref.*) Adeo- « que major in iis requiritur scientia quam in simplice sacerdote » (*Forum beneficiale* parte 1, q. 246). De jure communi non requiritur ut sint sacris facultatibus doctores vel licentiati. De cætero æstimanda etiam necessaria parocho scientia ex conditione parochiæ cui præficiendus est, prout dicetur infra, ubi de forma concursus in provisione vacantium parochiarum observanda.

Nota. — Præter dictas qualitates, iis a fortiori instructus esse debet parochus, quæ requiruntur ad presbyteratus ordinem ; siquidem in parocho requiritur vel jam susceptum, vel infra annum suscipiendum sacerdotium.

Quæstio 4ª, — *An regulares possint esse parochi* ? — Remissive ad tractatum *de Jure regularium*.

SECTIO III.

Qua forma constituendi sint parochi.

Inter cæteras Tridentini concilii dispositiones, quibus antiqua disciplina immutata est, gravissima procul dubio illa, qua sancitum fuit, ut in vacantium parochiarum provisionibus, institui deberet concursus, atque examen, et digniori inter eos, qui idonei reperti forent, parochia conferri. Cujus Tridentini instituti tota nunc exponenda ratio. De quo postquam jus commune descripserimus, num in Gallia hodiedum etiam vigere censendum sit exquiremus.

CAPUT I.

RECENSENTUR LEGES ECCLESIASTICÆ, QUÆ SERVANDAM IN CONSTITUENDIS PAROCHIS CONCURSUS FORMAM PRÆSCRIBUNT.

1° Transcribemus Tridentinum hac de re decretum ; 2° exponemus quid sanctus Pius V et Innocentius XI addiderint ; 3° quid et a Clemente XI adjunctum ; 4° quid tandem a Benedicto XIV statutum.

§ I.

Tridentina lex de servanda in constituendis parochis concursus forma,

Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochias gubernari : id ut diligentius ac rectius perficiatur,

statuit sancta synodus, ut cum parochialis ecclesiæ vacatio, etiamsi cura ecclesiæ vel Episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum vel resignationem, etiam in curia, seu aliter quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctæ Romanæ Eclesiæ Cardinalium seu Abbatum, vel capitulorum : debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur. Porro Episcopus et qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et, si Episcopo aut synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive, eo impedito, ab ejus vicario generali, atque ab aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus; quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in diœcesana synodo, ab Episcopo vel ejus vicariis, ad minus sex proponantur qui synodo, satisfaciant, et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant ; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores, magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico ; vel alii clerici, seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id vide-

buntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant : alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant ; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant ; et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur ; a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis ; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit ; atque illi et non alteri, collatio ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero juris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum et non alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut suppra, examinari, et nonnisi idoneus repertus fuerit admitti. In omnibusque supra dictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, et ab examinatoribus approbatis, juxta supra dictam regulam, de ecclesia provideatur : nec prædictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates vel Patriarchas interposita, impediat aut suspendat ; alioquin vicarius, quem ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab ejus ecclesiæ custodia et administratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri, qui

probatus et electus fuerit, ut supra, sit provisum: alias provisiones omnes seu institutiones, præter supradictam formam factæ, surreptitiæ esse censeantur : non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscumque. Si tamen adeo exigui redditus dictæ parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant ; aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere ; aut ob apertas factiones seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus possint excitari; poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere.

§ II.

Quomodo sanctus Pius V et Innocentius XI Tridentinam legem magis determinaverint.

Ne totam transcribamus sancti Pii V constitutionem, quæ incipit *in conferendis* (16 maii 1567), quoad substantiam dumtaxat sancitas in ea dispositiones referimus : sunt autem hujusmodi :

1° Nullas irritasque decernit *omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones et quasvis dispositiones parochialium ecclesiarum, præter et contra formam ab eodem concilio Tridentino præsertim in examine per concursum faciendo, præscriptam, factas aut in futurum faciendas* (§ 3).

2° Parochiarum quæ prædicto modo nulliter collatæ fuerint, collationem reservat Sedi Apostolicæ (§ 3).

3° Eadem reservatio decernitur, si ordinarii collatores *intra sex mensium spatium a die vacationis* vacantem parochiam non contulerint.

4° Eadem reservatio statuitur quando parochia est juris patronatus ecclesiastici vel mixti, si infra tempus patronis a jure præfinitum non fiat præsentatio ; atque item si *intra duos menses* a die præsentationis non fiat institutio (§ 4).

5° Quoad parochias quarum collatio pertinet ad Sedem Apostolicam, eo quod vacent in mensibus reservatis, aliave de causa (cum etiam ab Ordinariis tunc instituendus sit concursus et faciendum examen), si intra *quatuor menses* a die vacationis, Ordinarii Sedi Apostolicæ non designaverint digniorem inter approbatos, reservatur Romano Pontifici omnimoda dispositio (§ 4).

6° Verba Tridentini, *intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum*, ita determinat, ut nequeat tempus illud ultra viginti dies protrahi (§ 5).

7° Si inter approbatos ab examinatoribus Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, decernit sanctus Pius V dari appellationem ad Metropolitanum, aut ad Sedem Apostolicam, et, si de ipsius Metropolitani electione agatur, ad viciniorem Ordinarium tanquam Sedis Apostolicæ delegatum : statuitque ut tunc fiat novum examen a judice appellationis et ejus synodalibus examinatoribus (§ 7). Sed ea sancti Pii V dispositio tantisper postea moderata est, ut patebit infra.

Prædicta appellatio non habet effectum suspensivum ; ita ut qui parochiam post primum examen obtinuit, in ejus possessione turbari nequeat, donec judex appellationis sententiam de minore ipsius idoneitate tulerit (§ 8). Hæc a sancto Pio V statuta.

Innocentius vero XI eorum damnavit opinionem, qui tenebant a Tridentina synodo præscribi dumtaxat eligendum ab Episcopo dignum, non autem digniorem ; prout refert Benedictus XIV, his verbis : « Quia vero perniciosa apud pluri-
« mos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non præs-
« criptam esse dignioris electionem ; sed caveri tantummodo,
« ne indignis ecclesiæ parochiales conferrentur ; sanctæ me-
« moriæ Innocentius XI, prædecessor noster, erroneam
« doctrinam, a vera et sincera Patrum mente longius deflec-
« tentem damnavit, et edocuit quam prudens ac diligens
« esse debeat pastoralis officii dispensatio. » (Constitutio *Cum illud*, 14 decembris 1742, sub numero 68 in bullario Benedicti XIV reposita.)

§ III.

Quid Clementis XI auctoritate statum fuerit,

Prodiit die 10 januarii 1721, et ad locorum Ordinarios transmissum est Sacræ Congregationis Concilii decretum, Clementis Papæ XI assensu firmatum, tenoris hujuscemodi :

« Reverendissime domine, uti frater. Quo parochiales ec-
« clesiæ dignioribus personis gubernandæ traderentur,
« statuit, ut notum est, sacrosancta Tridentina synodus (sess.
« 24, c. 18) ut vacante ecclesia parochiali, indiceretur et fieret
« concursus ; ac postquam concurrentes ab Episcopo vel
« ejus vicario generali, atque ab examinatoribus synodali-
« bus saltem tribus, examinati et approbati essent, Episcopus
« eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia
« aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam neces-
« sariis et opportunis, digniorem cæteris, magisque idoneum
« judicaret. Adjecitque ad hanc consilii sanctionem validius
« confirmandam, re et nomine sanctissimus Pontifex Pius V
« quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis
« magis idoneis, elegisset, possent ii, qui rejecti essent, a
« mala ejusmodi electione ad Metropolitanum, vel, si ipse
« eligens Metropolitanus aut exemptus foret, ad viciniorem
« Ordinarium, ut Sedis Apostolicæ delegatum, vel alias ad
« ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad
« novum examen coram ipso appellationis judice, et ejus
« examinatoribus, provocare : ea tamen cautione, ut appel-
« latio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet ;
« quemadmodum in ejus constitutione, quæ 33 est, latius
« cavetur ; concludendo, quod, constituto de prioris eligentis
« irrationabili judicio, eoquo revocato, parochialis ecclesia
« magis idoneo conferatur.

« Cum autem neque concilii decreto, neque Pontificis
« bulla, examinis in concursu peragendi forma, seu methodus
« ulla certa ac peculiaris servando proponatur, difficile dictu

« est quanta examinum aliorum alibi diversitas exstiterit,
« atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi cum non
« eædem omnibus quæstiones, non iidem casus propositi
« fuissent, erant identidem qui, vel in judicio, vel extra con-
« quererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, prælecto
« autem faciliores ad solvendum quæstiones obtigisse. Alibi
« vero eædem quidem omnibus quæstiones præpositæ fue-
« runt, sed neque hæ, nequæ datæ a concurrentibus res-
« ponsiones, scripto seu litteris consignabantur. Cumque
« postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quis-
« piam, jure bullæ supradictæ, novum ad examen coram
« judice appellationis, ejusque examinatoribus, electum pro-
« vocaret, Sacra Congregatio usque ab anno 1603, conside-
« rans gravamen non alia ratione, quam novo examine pro-
« bari posse, provocationem ad novum examen censuit ad-
« mittendam, gravamine necdum probato, et requisitis tan-
« tummodo probationibus in subsequenti judicio : in quo,
« probato per novum examen appellantis gravamine quoad
« doctrinam, probanda superest ejusdem præ jam electo in
« reliquis ad regendam ecclesiam requisitis præstantia ut de
« majore alterutrius ad parochialis ecclesiæ gubernium idonei-
« tate sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est do-
« ctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen ha-
« beatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacræ Congregationis
« sententiam scriptores, et tribunalia laudarunt. Aliis demum
« in diœcesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eædem
« omnibus quæstiones, iidemque casus proponantur; ac
« (ne qua detur ansa cancellario quidquam suo marte ad-
« dendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet concurrentes, qui in-
« terrogati fuerint, quæque responderint, sua manu perscri-
« bant. Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum
« in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam
« atque etiam considerandum reliquerunt, his qui sic exa-
« minati essent atque postpositi, in posterum, ut solent,
« appellantibus, indulgenda necne statim electi novum ad
« examen provocatio, nulla gravaminis prærequisita proba-
« tione, videretur ; cum isti ex actis primi examinis grava-
« men doctrinæ facile alioquin probare possint ; quod alii,

« aliter nimirum examinati, probare, nisi secundo seu novo « examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis ac pe- « ritiæ in administrandis diu ecclesiis laude præstantes, qui « monerent, frænum aliquod hujusmodi appellantium li- « centiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras « novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe « quæ vix unquam sine magno ecclesiarum damno contin- « gunt. Nam cum novum examen coram judice appellationis « longe procul a parochia peragendum sit, electus ab Epis- « copo qui provocatur, parochiam quam possidet cogitur « interea temporis deserere, eamque œconomo, vel vicario « cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus relinquere, « sponso non parumper, sed diu sane abfuturo; dum nempe, « implicita, ut fit, lite, etiam terna vel quaterna alia ex aliis « examina, super præstantia primum doctrinæ, tum deinde « aliorum quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, « contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, « transigantur, antequam deliberari possit utri concurren- « tium parochia sit adjudicanda.

« Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quam in- « commodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii « Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repe- « titam in gemina sessione, 1 octobris et 16 novembris 1720, « summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam an- « nuente, statuit (quod per præsentes litteras encyclicas exe- « quitur) omnes et singulos Episcopos aliosque prælatos, « penes quos sit jus et auctoritas faciendi concursum, hortari, « ut examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam « et multæ diœceses, et Urbs ipsa observat, atque Apostolica « etiam dataria postulat, sive cum, Sede vacante, vacat ali- « qua ecclesia parochialis, cujus collatio ad Sedem Aposto- « licam pertineat, sive cum vacat parochialis aliqua, ut di- « citur, juxta decretum, sive demum, cum, vacante in colle- « giatis aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua majori, « annexam habente curam animarum, faciendus est con- « cursus atque ad Apostolicam datariam transmittendus, ut « notum est, atque in litteris, quæ de ordine Sanctissimi tunc « e dataria prodeunt, clare præscribitur.

« Vacante itaque ecclesia parochiali, quæ conferenda sit « per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, hœc quæ « sequuntur, ex Sacræ Congregationis sententia, consilio, « suasione, servanda proponuntur :

« Primum nempe, ut assignentur eædem omnibus con- « currentibus quæstiones, iidem casus, iidemque textus « Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad pro- « bandam dicendi pro concione facultatem.

« Alterum, ut casus et quæstiones resolvendæ dictentur « omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem « tempore textus Evangelii tradatur.

« Tertium, ut certum idemque omnibus spatium temporis « constituatur, intra quod casus resolvant, quæstionibus res- « pondeant, conciunculam componant.

« Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi clau- « dantur, unde quandiu scribent (dabitur enim omnibus « scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam « eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et ex- « hibuerint.

« Quintum, ut omnes sua quisque manu, tum responsa, « tum sermonem scribant subscribantque.

« Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea qua « ad populum haberi solet lingua scribatur.

« Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquis- « que sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, « non solum ab eo qui scripsit, atque a cancellario concursus, « verum etiam ab examinatoribus, et ab Ordinario, vel ejus « vicario, qui concursui interfuerunt, subscribatur.

« Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque « ei qui magis idoneus ac dignior judicatus fuerit, ecclesia « parochiali, non admittatur appellatio, aut a mala relatione « examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi « intra decem dies a die collationis interponatur.

« Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque « concursus petat ad judicem appellationis transferenda, mit- « tantur vel acta ipsa originalia concursus clausa, et obsi- « gnata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exem- « plum, a cancellario concursus, atque altero notario colla-

« tum et auscultatum coram vicario, vel alio in ecclesiastica « dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam « notarii cancellario adjungendi electio pertinebit; necnon ab « examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt, « subscriptum.

« Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi « gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmit- « titur, examinatus, aut a mala relatione examinatorum, « aut ab irrationabili judicio Episcopi appellaverit, novum « ad examem provocandi facultatem a Sacra Congrega- « tione frustra postulabit.

« Quemadmodum et in judicio appellationis persequi jus « suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat « quoadreliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, ab « irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa osten- « derit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attesta- « tionibus et documentis, extrajudicialibus etiam sed non « levibus. Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, et « Sanctissimus assensit.

« At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descrip- « tum est, concurrentium examina instituere perrexerit, per- « get et Sacra ipsa Congregatio more pristino appellantibus, « qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum exa- « men, nulla gravaminis prævia probatione, indulgere. In- « terim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, « vult eadem Sacra Congregatio, eas in uniuscujusque Or- « dinarii cancellaria perpetuo conservari. Cujus interea con- « silium, tum voluntatem, dum ego omnibus significo, Am- « plitudini tuæ fausta omnia e cœlo precor. Romæ hac die « 10 januarii 1721. » Has encyclicas Sacræ Congregationis litteras inseruit Benedictus XIV constitutioni suæ *Cum illud*, quæ est sexagesima octava in ipsius bullario.

§ IV.

Quid a Benedicto XIV statutum.

Dici potest a Benedicto XIV negotio huic determinandæ

in conferendis per concursum parochiis formœ ultimam fuisse manum appositam. Id præstitit clarissimus Pontifex citata jam pluries constitutione *Cum illud*; ubi postquam ostendit statutam normam adhuc aliquo indigere complemento et moderamine, sic rem totam auctoritate Apostolica ordinat et servandam præscribit : « Ut in hujusmodi negotio apte « omnia atque composite peragantur, officii nostri esse duxi- « mus eum vobis, venerabiles fratres, gerendarum rerum « ordinem præscribere quem longo usu utilem agnovimus « instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi « præesse et prodesse possint.

« I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiæ, statim, ad « præscriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium, « cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, « qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore « provideatur.

« II. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo « et ab Episcopo præfinito tempore celebrandi : eodemque « edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim de- « currente termino assignato, coram cancellario episcopali « vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatum, me- « ritorum et munerum probationes, attestationes tam judi- « ciales quam extra judiciales, aliaque id genus docu- « menta, quœ fraude vacent, exhibeant : alioquin, dicto ter- « mino elapso, documenta hujusmodi, quæcumque et qua- « liacumque ea sint, nullatenus recipientur.

« III. Eveniente die concursus, a cancellario episcopali sin- « gulorum merita, qualitates et requisita (ut vocant), incor- « rupta fide deprompta a juribus tempore habili exhibitis, « in scriptis summatim redigantur : porro copia epitomes « tradetur non solum Episcopo, vel vicario generali vices « illius obeunti, sed sigillatim omnibus examinatoribus ad « concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, mo- « ribus aliisque regendæ ecclesiæ necessariis dotibus ferant « judicium.

« IV. Die præstituta ab Episcopo habeatur concursus, ser- « vata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis

« litteris (1) anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum « series scriptis diligenter enucleetur. Porro examinatores, « ad assequendam certam et indubiam conjecturam scientiæ, « postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in « evolvendo explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticæ doc- « trinæ capite, vel a sanctis Patribus, vel a sacro consilio Tri- « dentino, vel a catechismo romano excerpto, ac pari diligen- « tia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quæstio- « nibus propositis ; et postquam demum deprehenderint qua « quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermo- « nis in conciuncula, scripto pariter exarata, et textui evange- « lico, vel alteri dato themati accommodata ; parem ni forte « majorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutan- « dis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis ; mo- « rum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, præs- « tita hactenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis mune- « ribus laudem aliaque spectabilium virtutum ornamenta, « doctrinæ arcto fœdere consocianda ; hisque omnibus con- « junctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, et « idoneos Episcopo renuntient.

« V. Absoluto concursu ab Episcopo, vel, eo impedito, a « vicario generali una cum examinatoribus synodalibus, non « paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisi- « torum antea distributa tradatur cancellario qui illam com- « burat, vel penes acta secreta custodiat, et nemini ostendat, « nisi de mandato Episcopi, vel ejus vicarii generalis. Su- « binde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex « approbatis digniorem ; nec illi possessio ullo appellatio « nis vel inhibitionis obtentu retardetur.

« VI. Si quem clericum appellare contigerit a mala rela- « tione examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi, « coram judice appellationis acta concursus integra omnino « producat. Et judex, nisi illis visis, et gravamine comperto, « sententiam non pronuntiet. Præterea in ferenda sententia « ac reparando gravamine, idem judex innitatur solummodo « probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinæ,

(1) Quas nempe superiori para grapho transcripsimus.

« quam aliorum meritorum. Quia vero, a publica indictione « usque ad diem habiti concursus, tantum temporis inter- « cessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessario « juribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum do- « cumentis, idcirco, ut quævis via fraudibus præcidatur, « volumus ac districte mandamus, ne dictæ attestationes, « fides, tam judiciales quam extra-judiciales, et documenta « quæcumque studiose conquisita, et post concursum (ut « aiunt) expiscata, ullo modo recipiantur : non obstantibus « supra memoratis litteris a Congregatione Concilii Triden- « tini interprete anno 1721 editis, quibus ad præmissorum « effectum in hac parte derogamus. Illis tamen in reliquis, « una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore « permansuris.

« VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex « approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo, ob aliquam « sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari « oportere judici appellationis, ad detergendam injustæ for- « tasse præelectionis notam; familiaribus litteris judicem cer- « tiorem efficiat, inviolabilis secreti legé adjecta... Sciant « porro judices, delatas ab Episcopo causas et rationes in- « violabilis secreti fide esse custodiendas ; nec parvi pen- « dendum esse testimonium illius pastoris, cui divino man- « datur eloquio oves suas agnoscere...

« Si vero Episcopo fuerit suspecta fides judicis ad quem « appellatum est, nec eidem revelanda censuerit hujusmodi « occulta rationum momenta, illa significet secretis litteris « sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali præfecto pro tempore « Congregationis Concilii; qui nec consilio, nec auctoritate « deerit, quominus a judice appellationis debitus justitiæ lo- « cus tribuatur...

« Ubi a judice appellationis lata sit sententia, quæ preelec- « tioni factæ ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat « novæ appellationi aditus, sed auctoritate rei judicatæ con- « troversiæ finis imponatur. Sin vero judex appellationis « aliter quam Ordinarius pronuntiaverit, liceat præelecto ab « Episcopo, qui causa cecidit, ad alium judicem appellare, « firmiter interim retenta parochialis ecclesiæ possessione.

« Tandem postquam tertius quoque judex sententiam dixe-
« rit..; is legitimum regendæ ecclesiæ jus obtineat, cui duæ
« conformes assistunt sententiæ, nec ullum novæ appellatio-
« nis remedium succumbenti suffragetur... »

Quoad casum vero quo parochiæ vel beneficii curati collatio est, quacumque ex causa, Sedi Apostolicæ reservata, decernit Benedictus XIV in hunc modum:

« Nos, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes,
« præcipimus et mandamus ut concursus ab Episcopo...,indi-
« catur, nulla ad hunc actum petita venia vel licentia, quam
« nostris hisce litteris tributam Episcopi intelligant. Abso-
« luto concursu, si res sit de beneficiis curatis quæ tantum
« *ratione mensium* reservata sint, Episcopus inter approbatos
« eligat magis idoneum, et datariæ significet; nec acta con-
« cursus transmittat, nisi a dataria, cum id opportunum
« duxerit, requiratur. Sin vero dicta beneficia, quibus cu-
« ra imminet animarum, *ex alio quovis capite quam men-*
« *sium Apostolicorum*, Sanctæ Sedi reservata sint, eo sane
« casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a
« ferendo dignioris judicio, et acta concursus ultro datariæ
« exhibeat. »

Nota. — Præmissarum legum textus totam concursus formam ita patefacit, ut supervacaneum sit de ea per singulas partes disserere. Unde nonnulla dumtaxat, quæ difficultatem facere possent sub sequentibus capitibus expendemus: tum quid juris in Gallia quoad ejusmodi concursus legem hodie vigere censendum sit, subjiciemus.

CAPUT II.

ENUMERANTUR BENEFICIA CURATA, PRO QUIBUS ADHIBENDA NON EST FORMA CONCURSUS.

I. *Adhibendus non est concursus quoad vicarios curatos parochiarum unitarum.* — Loquimur hic de vicariis, quibus competit cura *actualis* parochiæ, remanente cura *habituali*

penes alium, verbi gratia, collegium aliquod; prout sunt, in Gallia vicarii curati cathedralium; siquidem in iis cathedralibus cura parochiæ unita fuit capitulo; ita ut capitulum sit pachus in habitu, et cura per vicarium exerceatur. Cujusmodi vicarios supra (parte 1 *tractatus*) ostendimus pro veris parochis esse habendos. Porro quoad ejusmodi vicarios curatos adhibendus non est concursus : « Respondeo, ait Leurenius, vica-
« rias perpetuas parochialium unitarum, quas administrat ex-
« traneus, seu qui non est de collegio cui annexa est ecclesia
« curata, non conferri per concursum; cum illæ provideantur ad nominationem et præsentationem illorum, quorum
« beneficio, dignitati, vel collegio parochiales ecclesiæ sunt
« annexæ, et non ad liberam Ordinariorum electionem; sed
« solum ad simplicem eorum approbationem, prævio exa-
« mine, deputantur tales vicarii (Cardinalis de Luca... Rota...
« Sacra Congregatio Concilii). Sed neque requiritur ut exa-
« men præsentati fiat ab examinatoribus synodalibus; sed
« sufficit examen et approbatio Ordinarii. Atque ita in hac
« provisione ecclesiarum talium unitarum per vicarios per-
« petuos, etiam intitulatos, locus non est dispositioni Tri-
« dentini (sess. 24, c. 18) super forma providendi per con-
« cursum, utpote quod loquitur de ipsis parochialibus, et
« non de vicariis parochialium unitarum Neque res illa ullam
« amplius habet difficultatem; cum sit manifeste decisum
« per constitutionem Pii V *Ad exequendum* (1), quatuor annis
« posteriorem publicationi Tridentini... Quinimo ait Corra-
« dus, hæc in tantum procedere, ut si concursus adhibeatur,
« ubi in prædictis vicariis adhibendus non esset, nulla pror-
« sus sit provisio vicariæ inde secuta, ob decretum irritans
« in constitutione Pii V. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 120, n. 2 et seq.)

(1) En S. Pii V verba : *Volumus insuper et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum vicariorum, prævio examine et approbatione deputentur.* (Constitutio 47, § 4.)

II. *Adhibendus non est concursus quoad parochos ad nutum amovibiles.* — Dari posse beneficia parochialia manualia, seu quorum rectores sint ad nutum amovibiles, in prima tractatus parte probavimus. In constituendis autem ejusmodi parochis amovibilibus adhibenda non est concursus forma; quia Tridentinum decretum loquitur simpliciter de *Beneficiis* curatis; quæ vox *beneficium*, quando sola et sine adjuncto adhibetur, de jure intelligenda est dumtaxat de *perpetuis* beneficiis. « Pro « ipso vero parocho amovibili examinando (inquit Giraldi), « non tenetur Ordinarius uti examinatoribus synodalibus, « sed uti potest quibus ipse maluerit; nec pariter fieri debet « concursus: Sacra Congregatio Concilii, 12 januarii 1619. » (Giraldi *Addimenta ad tractatum Barbosæ, de Officio Parochi*, pagina 341, n. 13, edit. Romæ 1831.)

III. *Non requiritur concursus quando parochia est juris patronatus laici.* — Satis id patet et ipso textu supra transcripti capitis 18 sessionis 24 Tridentinæ synodi. Sed notetur ab eadem synodo requiri ut præsentatus examinetur *a synodalibus examinatoribus* : « Quod si jus patronatus laicorum « fuerit, debeat qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem « deputatis ut supra examinari, et nonnisi idoneus repertus « fuerit admitti. »

Si vero parochia sit juris patronatus *ecclesiastici*, certum est observandam esse concursus formam. Tunc scilicet tenetur patronus præsentare unum ex illis, qui ab examinatoribus synodalibus idonei reperti sunt, et quidem eum ex illis quem *digniorem* existimabit; prout expresse in citato capite 18 sessionis 24 Tridentinæ synodi præscribitur.

Quod si parochia sit juris patronatus *mixti*, ita ut nempe ejus patroni alii ecclesiastici sint, laicique alii, an adhibonda sit concursus forma, disputabant olim auctores (vide Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 206, n. 11); sed concludendum negative, et ita decisum a Sacra Congregatione Concilii, vide apud Benedictum XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 1, c. 8, n. 9).

IV. Non adhibendus concursus, qnando parochia unita est *accessorie* alicui canonicatui vel dignitati, etiamsi cura exerceatur per ipsummet, qui canonicatum vel dignitatem

obtinet: secus si parochia unita sit *æque principaliter*. De quo vide Leurenium (loco citato, n. 7).

V. Non adhibendus concursus in parochiis regularibus, seu quæ religiosos pro parochis habere consueverunt. (Vide Leurenium, loco citato, n. 13.)

VI. Non adhibendus concursus in sequentibus casibus : *Si adeo exigui redditus dictæ parochiales fuerint, ut totius hujus examinis operam non ferant ; aut nemo sit qui se examini quærat subjicere ; aut ob apertas factiones seu dissidia facile graviores rixæ et tumultus possint excitari.* Sunt ipsamet Tridentini decreti verba (sess. 24, c. 18). Poterit tunc Ordinarius, *si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, privatum aliud examen, cæteris tamen ut supra servatis, adhibere.*

VII. Nonnullos alios casus, scitu minus utiles, in quibus necessaria non est concursus forma, vide apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 206).

CAPUT III.

QUÆSTIONES NONNULLÆ CIRCA EXAMINATORES SYNODALES.

Quæstio 1ª. — *Quot examinatores in synodo provinciali constitui possint aut debeant* ? — 1° Constitui debent ad minimum sex : alioquin examen, utpote contra formam Tridentinæ synodi habitum, nullitate laborabit. 2° Ad quodlibet autem examen peragendum, requiruntur duntaxat tres. Quæ duo satis constant ex ipso supra citato Tridentino textu. 3° Nominari possunt plures quam sex: « Tamen a Sacra Congre-« gatione decisum refert (Barbosa), non esse ultra viginti « proponendos. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœc.*, I. 4, c. 7, n. 3.)

Quæstio 2ª. — *Quandiu duret eorum potestas, et quid si deficiat senarius numerus.* — « Synodalium examinatorum « officium durat usque ad novam synodum, quæ intra unius « anni spatium esset celebranda, et in qua aut iidem, aut

« alii de novo deputandi forent, sicut idem Tridentinum præ-
« cipit : *Examinatores autem singulis annis in diœcesana*
« *synodo ab Episcopo, vel ejus vicario, ad minus sex propo-*
« *nantur.* » (Benedictus XIV, *de Synodo diœc.*, l. 4, c. 7, n. 7.) 2° Si *infra annum* aliquorum obitu vel migratione, pauciores quam sex remaneant, « Clementis VIII decreto (relato « a Garcia... et Fagnano...) facultas data est Episcopis alios « subrogandi; modo iis qualitatibus præstent, quas Triden-« tinum requirit; a capitulo approbentur; et una simul cum « superstitibus ex electis in synodo senos non excedant. » (Benedictus XIV, loco citato.) Sed hoc intelligitur de casu quo deficit senarius numerus *infra annum* ab ultima celebrata synodo. 3° Si annus elabatur et nova synodus non celebretur, « certum est statim ac effluxit annus ab ultima synodo, « cessare officium examinatorum, qui intra ejusdem anni in-« tervallum in demortuorum seu absentium locum forte fue-« rint ab Episcopo suffecti : ita enim diserte statuit Clemens « VIII in citato decreto. Quoad alios porro non subrogatos, « sed in ultima synodo electos, hoc censuit Sacra Congre-« gatio Concilii : quandiu sex illorum superstites sunt, omnes « perseverant in munere : sed si vel unus ex illis decesserit, « ita ut sex non remaneant, omnium officium expirat, et « nullus adhiberi potest in concursibus. Neque post annum « datum est Episcopo in demortui locum quemquam suffi-« cere. » (Benedictus XIV, loco citato, n. 8.) 4° Quid autem in hoc casu faciendum sit, exponit idem Benedictus XIV, his verbis : « Quapropter ut, elapso anno, et non existentibus « sex examinatoribus in synodo electis, institui valeat vali-« dum experimentum concurrentium ad vacantes ecclesias pa-« rochiales, necesse est ut Episcopus, vel novam synodum co-« gat, vel facultatem petat a Sacra Congregatione Concilii no-« vos examinatores extra synodum deputandi. Etenim si con-« cursus fiat coram examinatoribus extra synodum designatis « ab Episcopo, nulla ad hoc instructo speciali facultate, pa-« rochialium collationes, institutiones seu provisiones erunt « irritæ... Nec Sacra Congregatio facultatem, de qua loqui-« mur, renuit unquam petentibus concedere : quoniam, cum

« probe noverit non facile esse Episcopis, singulis prorsus « annis suas synodos cogere, ne idcirco legitimis careant « examinatoribus, statim ac Episcopus eidem exponit, sex « ex electis in postrema synodo amplius non exstare, potes- « tatem ei facit novos eligendi, a majori parte capituli ap- « probandos; quorum tamen officium duraturum decernit « tantum ad annum; quo elapso, iterum ad preces Episcopi « illos in munere confirmat, quod et deinceps semper in an- « num iisdem prorogat. » (*de Synodo diœces.*, l. 4, c. 7, n. 9 et 10.)

Quæstio 3ª. — *Quomodo et quando examinatores suffragia sua ferre debeant.* — « Sua suffragia ferre debent prius- « quam a loco examinis discedant, et ab Episcopo, ejusve vi- « cario sejungantur... Nec quidquam refert an suffragia se- « creto vel palam ferantur, cum nihil de hac re fuerit a Tri- « dentino sancitum. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœce- « sana*, l. 4,c. 8, n. 4.)

Quæstio 4ª. — *An Episcopus, vel ejus vicarius examini assistens, votum cum examinatoribus habeat?* — « In hoc « examinatorum judicio nullæ sunt partes Episcopi, vel vi- « carii, qui Episcopi loco examini assistit, nisi forte exami- « natorum vota sint paria aut singularia (1): tunc enim in- « tegrum erit Episcopo vel vicario cui voluerit accedere, « juxta Tridentinum (c. 18, sess. 24)... At, sicuti ab exami- « natoribus suffragia ferenda sunt statim peracto examine, « ita etiam in eventu, quod Episcopus aut ejus vicarius ali- « cui accedere possit, coram iisdem examinatoribus expli- « care debet cuinam accedat, cum id pertineat ad examinis « complementum. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 4, c. 8, n. 5.)

(1) Vota singularia sunt, verbi gratia, quando tres adsunt concurrentes, tresque duntaxat examinatores, et unusquisque concurrens unum votum obtinet.

CAPUT IV.

NUM TRIDENTINA LEX DE CONCURSU HODIE IN GALLIA VIGERE CENSENDA SIT.

Prænotandum — In omnibus Galliæ diœcesibus, a tempore concordati ad præsentem usque diem, constans praxis fuit, ut rectores parochiis absque ullo prævio concursu præficerentur. Nominatio scilicet et collatio quoad parochias omnes a solis Episcopis fieri consuevit; qui ad id muneris, quos pro sua prudentia magis idoneos existimant, prætermissa Tridentinæ legis observantia, eligunt atque deputant; id tantummodo præcaventes, prout a Pio Papa VII in concordato anni 1801 dispositum fuit, ne eos in parochos nominent. qui gubernio non forent accepti. Leodiensis tamen diœcesis in Belgio (quamvis ea etiam regio dicti concordati statutis subjaceat) forma concursus in collationibus parochiarum utitur.

De præfata porro Galliarum praxi, sponte exsurgit quæstio, an et quo fundamento nitatur; num scilicet vim juris particularis habere censenda sit, ita ut hujus regionis ecclesiæ juri communi de concursu hodie non subjiciantur.

Ut autem legitima probetur hæc ecclesiarum Galliæ praxis, duo duntaxat allegari posse videntur fundamenta : 1° verba concordati anni 1801, *Episcopi ad parœcias nominabunt;* 2° quinquagenaria quæ jam interfluxit consuetudo. Cum enim universalis sit Tridentina lex de concursu, nec aliunde unquam intercesserit expressa Sedis Apostolicæ quoad Galliam dispensatio, nisi valeret alterutrum saltem ex assignatis argumentis, hodiedum in Gallia urgere concursus disciplinam foret concludendum. Si enim neque vi concordati neque vi consuetudinis legitima foret dicta praxis, quonam alio titulo fulciri possit ego prorsus non video. Nam ad priscum jus particulare, quo Galliarum ecclesiæ olim ante concordatum anni 1801 fruebantur, frustra provocaretur; tum quia et in Gallia tunc vigebat Tridentina lex de qua loquimur; tum quia

jus illud Galliis proprium, quodcumque tandem fuerit, suppressis et exstinctis a Pio VII ecclesiis quibus inhærebat, pro antiquato jam et exstincto habendum est, prout in tractatu *de Principiis* probavimus.

Hinc propositæ quæstionis solutio tota pendere videtur ab his duobus: 1° An concordatum anni 1801 evincat non obligare hodie in Gallia Tridentinam de concursu legem; 2° an idem evincat consuetudo.

§ I.

Num ex concordato anni 1801 sequatur Galliarum ecclesias legi Tridentinæ de concursu non subjacere.

1. *Rationes quæ affirmandum suadent.*— Ex citatis dicti concordati verbis, *Episcopi ad parœcias nominabunt,* sic argui potest : ibi vox *nominabunt* intelligenda videtur de potestate nominandi omnino libera et independenti; qua scilicet ad Episcopos independenter a quolibet alio pertineat rectores in parochiis, quos pro sua prudentia maluerint, constituere. Is enim est genuinus hujus locutionis sensus in lingua gallica. Porro articuli concordati lingua gallica primum a gubernio propositi sunt, et in latinam postea translati. Unde probabile non est intellectas fuisse eas voces de nominatione, quæ a synodalium examinatorum judicio penderet; ut adeo concludendum sit, per istum concordati articulum juri communi de concursu fuisse a Sede Apostolica derogatum quoad Galliam. Conclusionem autem non parum firmat. quod primi post concordatum Episcopi rem ita intellexerint ; siquidem absque ullo concursu rectores in parochiis constituerunt, non inscia procul dubio Sede Apostolica, et quin ulla de hoc Romæ mota fuerit difficultas. Quin et nos supra, ex istis verbis, Episcopi *ad parœcias nominabunt*, deduximus derogatum quoad Galliam fuisse juri communi de reservata certis in casibus Sedi Apostolicæ collatione parochiarum : idem a pari concludendum quoad Tridentinam de concursu legem.

II. *Rationes in oppositum.* — Per se jus nominandi ad parœcias, imo et jus eas conferendi, nequaquam excludit servandæ concursus formæ obligationem ; siquidem peracto etiam ad formam Tridentini decreti concursu, ordinario collatori suum remanet jus parochiam conferendi illi, quem inter approbatos digniorem existimat ; nec ab alio quam ab ordinario collatore fieri collatio, seu legitime parochus constitui potest. Unde si voces illæ, *Episcopi ad parœcias nominabunt*, in sensu ordinario jurisprudentiæ canonicæ sumantur, disciplinæ concursus minime adversari censendæ sunt ; sed interpretandæ quasi diceretur, ad parœcias Episcopi nominabunt, *servatis in hac peragenda nominatione Ecclesiæ legibus ;* quas voces adjici necesse non erat, cum de jure subaudiantur. 2° Sed neque contrarium evincit circumstantia illa quod is concordati articulus gallica primum lingua descriptus et a gubernio propositus fuerit ; gubernium autem procul dubio jus illud nominandi intellexerit, cum independentia a quorumlibet, ac proinde etiam examinatorum synodalium, judicio et interventu. Nam etiamsi gubernium ita forte articulum a se propositum intellexerit, non sequitur eodem sensu articulum fuisse a Sede Apostolica sancitum : imo non censetur unquam Sedes Apostolica juri communi derogare, nisi verbis utatur quæ derogationem necessario secum inferant : verba autem articuli, *per se*, ut diximus, ne innuunt quidem ejusmodi derogationem. 3° Præfata verba non censenda sunt disciplinam de concursu excludere, si eam non excludant in simili concordato Napoleonem inter et Pium VII pariter inito quatuor post annis, quoad rempublicam Italicam : porro in hoc posteriori concordato eadem tribuitur Episcopis parochias conferendi potestas, et nihilominus simul monentur Episcopi ne illas conferant nisi prævio concursu. Sic enim habetur articulo 13 : *Sanctitas Sua concedit Episcopis jus conferendi parœcias, quæ quovis anni tempore erunt vacaturæ iique prævio concursu parœcias liberæ collationis conferent iis, quos ipsi digniores judicabunt. In parœciis vero juris patronatus ecclesiastici instituent eos, quos prævio pariter concursu tanquam digniores inter approbatos ab examinatoribus patronus ecclesiasticus præsentabit. In parœciis vero*

laici patronatus præsentatos instituent, dummodo præmisso examine idonei fuerint inventi. In omnibus autem prædictis casibus habebitur ratio, ut qui parœcias assecuturi erunt sint gubernio accepti.

Notandum autem, in formula, quam Sedes Apostolica Parisios transmitti curaverat, articulum hunc, etsi non sensu, verbis tamen diversum tantisper fuisse (1); et mutata quidem, antequam Parisiis a partibus subscriberetur, nonnulla verba; at circa præscriptum concursum nihil. Ut adeo sic rigorose argui posse videatur: si concursus disciplina excluderetur his verbis, *Episcopi ad parœcias nominabunt*, excluderetur etiam, et a fortiori, istis, *Sanctitas Sua concedit Episcopis jus conferendi parœcias*; atqui posterioribus non excluditur; ergo nec prioribus. Quod quidem argumentum, mihi gravissimum (ne dicam peremptorium) videtur. 4° Quod autem objicitur, primos post concordatum Episcopos de instituendo quoad vacantes parochias concursu non curasse, vim non habet. Etenim ex ipso Tridentini decreti textu non urget instituendi concursus lex quando pertimescendum foret grave aliquod damnum, verbi gratia, factiones aut graviores parochianorum rixæ: sicut nec obligat quando certum est nullum concursurum. Tunc scilicet liberum est Episcopo, quos pro sua prudentia maluerit, parochiis præficere. Jam vero ea erat, concordati tempore, ecclesiarum Galliæ conditio, ut sine magno populi Christiani damno, regularis concursus forma servari non potuisset. Vix adhuc sedata tunc ingens illa anni 1793 ecclesiasticæ simul et civilis rei perturbatio : reliquus duntaxat exiguus clericorum manipulus. Id imprimis urgebat, ut sine mora rectoribus suis parochiæ donarentur. Quod vix ac ne vix quidem Episcopi præstare, potuissent, si prius et diœcesanam synodum regulariter celebrare, et synodales examinatores in ea constituere, et quoad omnes parochias quæ simul vacabant concursum indicere, atque ad juris apices expedire voluissent. Mirum ergo non est, iis pre-

(1) Editum hujus formulæ textum ego Romæ præ manibus habui : in ea jacebat sub numero 12 articulus, qui decimus tertius factus est.

mentibus rerum angustiis, existimasse Episcopos, nondum quoad suas diœceses urgere Tridentinam de concursu disciplinam. At perperam ex eorum agendi ratione concluderetur, putasse eos huic disciplinæ per conventionem anni 1801 fuisse derogatum.

Quibus rationibus pro et contra libratis, fateor concordati textum insufficiens mihi videri fundamentum, ad asserendam ecclesiarum Galliæ a generali concursus lege exemptionem. Ad quam tamen meam opinionem, cum de re adeo ardua, et vix adhuc ab auctoribus discussa agatur, malim non attendat lector; nisi forte et doctiorum æstimationi, et præsertim superiorum judicio consonam eam reperiri contingat.

§ II.

An quinquagenaria consuetudo parochias absque prævio concursu conferendi, evincat non vigere hodie in Gallia Tridentinam de ejusmodi concursu legem.

I. *Rationes quæ affirmandum suadent.* — 1° Præscribi potest contra legem mere ecclesiasticam per consuetudinem annorum quadraginta, modo consuetudo hæc non sit per se quid malum seu irrationabile. Porro quod parochiæ ab Episcopis conferantur absque prævio concursu, non est per se quid intrinsece malum nec irrationabile. Aliunde praxis hæc in Gallia jam plus quam quinquagenaria est. Ergo jam non viget quoad ecclesias Galliæ disciplina concursus. 2° Nisi desiisset illa lex quoad Galliam vigere, dicendum foret parochos omnes a tot annis ad parochias deputatos illegitimos fuisse, et jurisdictione caruisse; quod dicere prorsus intolerabile est. 3° Galliæ praxim probe novit Sedes Apostolica, et nihilominus siluit; ergo in eam consensit; ergo legitima est.

II. *Rationes in oppositum.* — 1° Ad præscribendum contra legem ecclesiasticam, non sufficit consuetudinem oppositam esse quadraginta annorum, et per se innocuam; sed requiritur ut merito præsumi possit legislatoris consensus; et or-

dinarie quidem ex eo quod legislator legem suam per longum tempus non urgeat merito concluditur, ipsum in praxim contrariam consentire; sed id non est universaliter et absolute verum: etenim contingere potest ut legislator sileat, etiam per annos sexaginta et ultra, non ex eo quod consentiat, sed ex eo quod majus malum, si legem pro tunc urgeret, pertimescat; atque idcirco opportuniores expectet circumstantias ad evellendam consuetudinem, et exigendam legis observantiam (vide id evolutum in meo tractatu *de Principiis juris canonici*). Quod autem in specie quoad nonnullas Galliæ consuetudines, non consentiendo, sed opportuniora ad eas evellendas tempora præstolando, Sedes Apostolica prudenter siluerit, et quidem diutissime, non tantum impossibile non est, sed facile supponi potest. Nam in ea regione olim viguit, et post concordatum etiam anni 1801 vigere et doceri perrexit doctrina illa notissima, quæ Gallicanismi nomine nuncupari solet. Præcipuum porro hujus systematis placitum erat, vim legis non habere Pontificia circa disciplinam decreta, nisi ab Episcopis acceptentur et publicentur; immo (ut multi in Gallia tenebant) nisi regium prius assensum obtinerent, et in parlamento registrarentur: præterea non posse Romanum Pontificem receptas in Gallia consuetudines immutare et ad jus commune inflectere; nec obligationem inducere quidquid in hunc finem Sedes Apostolica moliretur. Qua stante doctrina et sat generali persuasione, quid, quæso, frugis obtinuisset Romani Pontificis reclamatio contra aliquam Galliæ praxim juri communi adversantem? Et numquid potius Sedi Apostolicæ incumbebat quædam ex prudentia silendi necessitas? Præsertim cum sperari merito posset gentem illam, sincere cæteroquin et ex præcordiis centro unitatis et Sedi Apostolicæ addictissimam, erroneas opiniones illas sponte sua serius ociusve exuturam. Siluit quidem et diutissime de multis in Gallia juri communi adversantibus pia mater Ecclesia Romana: an vero consenserit, mihi videtur ex silentio duntaxat probari non posse. Et certe de liturgiis, contra Pianas sanctiones inductis, plus quam integro etiam sæculo siluerat: et tamen nuper cum quæsitum fuisset num legitimum foret Cenomanense breviarium, aptumque ut ejus recitatione

horarum canonicarum debito satisfieret, negative a Sacra Rituum Congregatione responsum est. Quod ergo legitima evaserit praxis parochias absque prævio concursu conferendi, non videtur ex sola quinquagenaria consuetudine, silente interea Sede Apostolica, rigorose probari.

2° Advertendum est disciplinam de concursu esse lege Tridentina sancitam. Porro adversus Tridentina decreta non posse contrariis consuetudinibus præscribi, pro certo tenent, cum Benedicto XIV (institutione 60, n. 7) doctores gravissimi, prout exposui in meo tractatu *de Principiis*, pagina 370.

3° Quod autem objicitur nisi legitima foret dicta praxis, secuturum aliquid dictu intolerabile, parochos nempe omnes illegitimos fuisse, nullius momenti est: certum siquidem principium, parochis suppleri semper ab Ecclesia jurisdictionem, modo existimatum saltem titulum habeant.

III. Expositis hinc inde rationibus quoad illud alterum, ex consuetudine petitum, fundamentum, fateor me non audere in re tam gravi quidquam concludere. Unum duntaxat adnotabo: nimirum difficultates illas et pertimescenda incommoda, quæ in causa esse potuerunt cur primis post concordatum temporibus prætermissa fuerit concursus forma, adhuc etiam forte ex parte perseverare. Ut adeo mirum videri non debeat, etiamnum retineri praxim illam, et si forte neque vi concordati, neque vi consuetudinis satis tuta existimetur. Certum enim est non obligare legem ecclesiasticam, quæ vel nullo modo, vel nonnisi cum magno incommodo et animarum detrimento, ob peculiares circumstantias observari potest.

§ III.

An dici queat disciplinam concursus esse quid evangelicæ humilitati contrarium, et ex natura sua nocivum et minus probandum.

Cum Tridentina lex de concursu ad universalem disciplinam pertineat, nec possit unquam in Ecclesiæ catholicæ generalem disciplinam quidquam intrinsece pravum et nocivum

irrepere, nefas est omnino ejusmodi legem, tanquam *per se* et *intrinsece* malam, ac evangelicæ doctrinæ repugnantem, carpere. Quam utilem e contra eam existimaverint Tridentini patres, palam faciunt hæc eorum verba initio decreti posita ; *Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochias gubernari. Id ut diligentius et rectius perficiatur. statuit sancta synodus,* etc. Quanti pariter illam fecerint sanctus Pius V, sanctus Carolus Borromeus, aliique pietate præstantissimi Pontifices, arguit eorum indefessus, in urgenda ipsius observantia, zelus. Qui ergo in hacce disciplina sibi videre videretur aliquid ab evangelica humilitate dissonum, caveat ne ipse evangelicum humilitatis præceptum non leviter infringat dum opinationem suam Ecclesiæ judicio temere anteponit.

Quod si quis moderate diceret, præfatam disciplinam, etsi *in se* licitam et bonam, atque eo tempore, quo illam sancivit Tridentina synodus, perutilem, hodie tamen in certis quibusdam regionibus, ob mutatos mores, inductasque peculiares circumstantias, nonnullis adnoxiam incommodis evasisse; optandum proinde ut auctoritate Apostolica mutaretur, et parochiæ absque concursu Episcopis, ex solo eorum judicio, conferendæ relinquerentur; id (etsi falsum facile aliis videri possit) a catholica tamen loquendi norma non recederet. Verum enimvero pravam intrinsece ac evangelicæ doctrinæ sanctitati repugnantem concursus disciplinam asserere, nil aliud foret, quam temerarium sese, et catholici dogmatis, de inerrantia Ecclesiæ in sanciendis generalibus disciplinæ decretis, desertorem prodere. Cæterum, ut objectionem directe diluamus, omnino falsum est, non posse presbyterum aliquem nisi ex pravo et superbiam redolente motivo, optare ut sibi aliqua regenda parochia conferatur, et sua ad id officii idoneitas in concursu agnoscatur. Potest enim id optare et procurare, ad hunc honestissimum finem, ut sese animarum saluti impendat, campusque sibi ad hoc idoneus pateat, dotesque animi et talentum cœlitus sibi commissum otiosum non remaneat. Cumque ad concursum accedit, pro voto Ecclesiæ agit; eo securius reliquam vitam acturus, sive parochiam obtineat, sive repellatur, quod nec de relicto sterili talento

suo, nec de imposito sibi temere nimio onere, jam habet pertimescendam coram divino tribunali censuram. Nec a concurrendo abstinebunt idonei et vere humiles clerici (cæteris ex ambitione accedentibus), si recte in seminariis suum quoad hoc officium ac debitum edocti fuerint. Quod autem ex pravo temporalium commodorum fine quis ad concurrendum impellatur, id per accidens contingit, non autem ex ipsa dictæ disciplinæ natura necessario consequitur. Examinatorum synodalium officium est (de quo etiam sincere explendo juramenti vinculo obstringuntur) ut quos noverint hacce ambitionis lepra morbidos severe repellant. Ast, inquis, ambitionem suam hocce genus hominum celabit. Et numquid, seclusa etiam concursus disciplina, ejusmodi clerici conferendas sibi ab Episcopo parœcias omni arte non molientur, et facilius etiam intentum consequentur? Ea est humana conditio, ut optimum quodque institutum abusibus aliquatenus obnoxium remaneat.

SECTIO IV.

De norma canonica parochos removendi.

Multa hic de parochis concludenda veniunt, quæ ipsis sunt communia cum cæteris beneficiatis. Hinc visum est sectionem bifariam dividere; ita scilicet ut 1° recolamus breviter canonicam remotionis normam quoad omnes generatim beneficiatos; 2° ut eam in particulari expendamus quoad parochos seu curatos.

SUBSECTIO I.

De norma canonica beneficiatos removendi.

Triplicem expendemus beneficiatos removendi seu dejiciendi modum, nimirum 1° per degradationem actualem; 2° per degradationem verbalem seu depositionem, id est, per privationem beneficii; 3° per suspensionem. Agimus autem hic duntaxat de beneficiis episcopatui inferioribus. Nam ad removendos Episcopos peculiaris a jure statutus est (ob tantæ dignitatis celsitudinem) procedendi modus, quem describimus in tractatu *de Episcopo*.

CAPUT I.

NORMA BENEFICIATOS REMOVENDI PER DEGRADATIONEM ACTUALEM.

Quæstio 1ª — *Quid sit degradatio actualis seu realis.* — Est illa qua clericus, non solum privatur officio, beneficio, et sacrorum ordinum exercitio ; sed insuper spoliatur privilegio fori, clericalibus insignibus cum præscripta a jure solemnitate exuitur, et brachio sæculari, secundum sæculares leges puniendus, traditur. Ita quoad sensum doctores communiter (vide Ferrarium verbo *Degradatio*, n. 6 ; necnon Reiffenstuel, in tit. 37, libri 5 decret., n. 32). Differt a *degradatione verbali* seu depositione : hæc enim privat quidem officio et beneficio, et reddit inhabilem ad alia beneficia ; sed per eam non amittit clericus privilegium fori, nec brachio sæculari traditur, nec obnoxius est dictæ solemnitati, qua insignia clericalia detrahuntur.

Quæstio 2ª. — *Quandonam deveniri possit ad degradationem realem* ? — Adhibenda non est pœna hæc, nisi pro illis solis flagitiis, quæ jus expresse decrevit hoc modo plecti posse vel debere. Id fuse probat Fagnanus (in caput *Cum non ab homine, de Judiciis*) ; et est sententia communius recepta. Equidem nonnulli veteres canonistæ, putarunt esse locum degradationi reali in omnibus delictis, pro quibus leges sæculares mortis pœnam statuunt : sed hæc opinio quampluri mis doctoribus rejicienda visa est. Cujus confutationem vide apud Fagnanum, loco citato. Adi etiam Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 6.

2° Flagitia autem, ob quæ leges ecclesiasticæ voluerunt locum esse degradationi reali, sunt sequentia : 1° hæresis (ut constat ex capitibus *Excommunicamus* et *Ad abolendam, de Hæreticis*) ; 2° falsificatio litterarum Apostolicarum (constat ex capite *ad Falsariorum de Crimine falsi*) ; 3° crimen insidiarum et conspirationis in proprium Episcopum (canone *Si quis sacerdotum* et canone *Statuimus*, 11, q. 4) ; 4° cri-

men assassinatus (arguitur ex capite *Pro humani*, *de Homicidio*, in 6) ; 5° incorrigibilitas clerici post servatos aliarum pœnarum gradus (arguitur ex capite *Cum non ab homine de Judiciis*) ; 6° nefandum sodomiæ scelus (ita statuente sancto Pio V in constitutione, quæ incipit, *Horrendum illud scelus*) ; 7° celebratio missarum vel auditio confessionum a non presbytero (ex constitutione *Etsi alias* Clementis VIII) ; 8° falsificatio monetarum in Italia (ex contitutione *In suprema* Urbani VIII). Vide Fagnanum (in caput *Cum non ab homine de Judiciis* a n. 68 ad 79) ; et Reiffenstuel, in titulum 37 *de Pœnis*, libri 5 decretalium n. 38 ; 9° sollicitatio ad turpia in confessione sacramentali, nonnullis concurrentibus circumstantiis; 10° procuratio abortus; 11° furtum sanctissimæ Eucharistiæ (vide quoad tria ultima Benedictum XIV *de Syn. diœc* l. 9, c. 6, n. 7).

Quæstio 3ª.— *Quænam sint solemnitates requisitæ ut legitime fiat degradatio realis* ? — 1° Fieri nequit nisi ab Episcopo consecrato. (Vide Reiffenstuel, in tit. 37, lib. 5 decret., n. 4 ; necnon Ferrarium ; verbo *Degradatio*, n° 13.) 2° Olim ad de gradationem realem presbyteri, sex Episcoporum præsentia necessaria erat : ad deponendum vero diaconum vel subdiaconum tres requirebantur : unus tantum ad degradationem clerici, in minoribus existentis vide Ferrarium, verbo *Degradatio*, n. 21). 3° Hanc dispositionem Tridentina synodus tantisper immutavit (sess. 13, cap. 4) ; decernendo nempe, ut jam aliorum Episcoporum interventus non requiratur ; sed Ordinario *etiam absque illis procedere liceat : adhibitis tamen, et in hoc sibi assistentibus totidem abbatibus, usum mitræ et baculi ex privilegio Apostolico habentibus (si in civitate aut diœcesi reperiri et commode interesse possint) : alioquin aliis personis in ecclesiatica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.* 4° « Porro iis, sive Episcopis, sive abbatibus sive aliis clericis, « qui juxta dicta necessario præsentes esse debent, non « tantum *consultivum* sed etiam *decisivum* votum competit ; « ita ut sine ipsorum voto et assensu Episcopus nec ad de- « positionem nec ad degradationem venire valeat (canone « *Episcopus,* causæ 15, q. 7 ; capite *Non potest*, 3, *de Sen-*

« *tentia et re judic.*), etiam post concilium Tridentinum; « cum ab ipso circa hoc punctum nil sit immutatum, uti « cum communiori recte observat Barbosa.» (Ita Reiffenstuel in tit. 37 *de Pœnis*, libri 5 decret., n. 42.)

Quæstio 4ª *Quisnam ritus servandus sit in degradatione reali exsequenda*? — Ritum illum omnino determinavit Bonifacius VIII, in capite *Degradatio 2,de Pœnis*, in 6. Et insuper descriptum etiam reperies in Pontificali romano.

CAPUT II.

NORMA REMOVENDI PER DEPOSITIONEM, SEU BENEFICII PRIVATIONEM.

Prænotanda. —1° Degradationis verbalis et depositionis vocabula pro synonymis passim usurpant doctores : « De- « positio verbalis (inquit Reiffenstuel), quæ etiam degradatio « verbalis dicitur, est pœna ecclesiastica, qua clericus « quis perpetuo privatur ordine et munere clericali ; « non quidem quoad characterem, cum sit indelebilis.. ; sed « quoad exercitium..., et hoc ipso etiam ab officio et bene- « ficio » (in titulum 37, libri 5 decretalium, n. 22).

2° At vero depositionem inter et privationem hoc discrimen intercedere adnotant, quod *depositus* inhabilis efficiatur quoad omnia alia beneficia, non item *privatus*. De quo sic Reiffenstuel (citato loco, n. 27) : « Colliges qualiter *de-* « *positio* differat a *privatione* beneficii et a *suspensione* : a « *privatione* quidem differt, quia hæc præter alios suos ef- « fectus ex natura sua non reddit inhabilem ad alia beneficia, « bene vero depositio : a *suspensione* vero, quia hæc ex « natura sua non est perpetua, sed medicinalis ; nec privat « ipso jure beneficio, sed administratione duntaxat, et « perceptione fructuum ad tempus. »

3° Nobis sub præsenti capite expendendum occurrit, quomodo et quando clericus canonice beneficio suo *privetur*. Cum autem norma quoad hoc exponenda locum æque habeat, sive judex pronuntiet simplicem *privationem* a beneficio, sive

pronuntiet *depositionem* (quæ insuper inhabilitatem ad alia beneficia secum trahit), has duas pœnas, privationem scilicet et depositionem seu degradationem verbalem, hic non distinguemus ; sed dicta quoad privationem, erunt et quoad alteram pœnam intelligenda.

4° In expendenda autem gravissima præsentis capitis materia hunc ordinem sequemur : primo nonnullas trademus generales regulas circa dictam privationis pœnam : tum percurremus varia delicta, ob quæ locus esse potest privationis pœnæ ; et quoad unumquodque exquiremus : an propter tale delictum incurratur privatio ipso jure : an possit Ordinarius illam pœnam infligere : et quomodo procedendum sit.

§ I.

Nonnullæ regulæ generales privationis pœnam respicientes.

Regula I^a^. — *Infligi nequit pœna privationis beneficii, nisi propter causam gravem, notoriam, et servato juris ordine.* — Constat ex canone *Inventum* (38, causa 16, quæstione 7), in quo sic decernitur quoad presbyterum, qui aliquam ecclesiam adeptus est : *Quam si juste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, et coram Episcopo, canonica severitate amittat.*

Item constat ex capite *Conquerente* (7, tituli 13, libri 2 decretalium) : *Conquerente nobis Renaldo clerico accepimus, quod ipsum ecclesia de Wefort sine judicio spoliasti. Quia vero non decet honestatem tuam clericos tuæ jurisdictionis, sine manifesta causa et rationabili, suis beneficiis spoliare..., mandamus quatenus, si ita est, prædicto clerico præfatam ecclesiam cum reditibus inde perceptis restituas.* Ex his textibus patet 1° causam debere esse *gravem ;* 2° illam debere esse manifestam, seu, quod idem est, *notoriam* ; et dicitur notoria *notorietate juris,* quando reus in judicio convictus fuit vel confessus ; notoria autem *notorietate facti,* quando ita evidens est, ut nulla possit tergiversatione celari ; prout, verbi gratia, quando reus delictum in platea coram omni populo

patravit. 3° Sequitur etiam ex adductis textibus servandum esse ordinem judicii, ut indicant verba hæc, *coram Episcopo, canonica severitate amittat.*

Cæterum in admittenda hac regula unanimes sunt doctores; inter quos sic Fagnanus, citatum caput *Conquerente* commentans: « Nota ex textu tria requisita, secundum Abba-« tem, ad hoc ut clericus beneficio suo licite privari possit. « Primo enim requiritur causa *rationabilis*. Secundo, ut « causa hujusmodi sit *manifesta*... Et expone verbum *ma-« nifesta*, id est, *notoria* (ut canone *In quemquam*, 2, q. 1); « et verbum *rationabili* expone, id est, *gravi:* nam pro levi « causa non debet quis privari beneficio suo (c. *Inventum*, 16, « q. 7). Tertio requiritur ut privatio fiat in judicio, seu juris « ordine servato. »

Idem iterum tradit Fagnanus (in caput *Cum dilectus, de Rescriptis*, n. 20): « Privatio beneficii est pœna ordinaria, quæ non imponitur nisi pro gravissimo crimine, prævia citatione in judicio ordinario, et legitimis exceptionibus discussis. Adeo ut privatus a judice, non servante ordinem judiciarium, possit petere restitutionem tanquam spoliatus. »

Regula IIª. — *Non potest Ordinarius ad privationem beneficii procedere ex informata conscientia.* — Sequitur ex præcedenti : nam si posset procedere ex informata conscientia, posset procedere extra-judicialiter, seu non servato juris ordine ; quod modo vidimus non licere, quando agitur de infligenda privationis pœna. Præterea dum Tridentini patres (capite *Cum honestius* 1, sessionis 14) facultatem faciunt Episcopis *extra-judicialiter* seu (ut postea usus loquendi invaluit) *ex informata conscientia* procedendi, loquuntur dumtaxat de facultate *suspendendi*, non autem *privandi* clericos beneficiis suis ; prout fuse discussum vide in meo tractatu *de Judiciis*, tomo 2, pagina 311 et sequentibus.

Objicies : Potest Episcopus ex informata conscientia suspensionem *perpetuam* pronuntiare, prout in citato tractatu *de Judiciis* fuit a me ipso traditum : atqui suspensio perpetua privationi æquivalet: ergo potest Episcopus ex informata conscientia beneficio clericum privare. — Respondeo ad majorem, me non absolute Episcopis tribuisse (in dicto tractatu)

perpetuæ suspensionis extra-judicialiter ferendæ potestatem ; sed rationes nonnullas dumtaxat, et quamdam Sacræ Congregationis Concilii declarationem adduxisse, quæ id eos posse innuere videtur : et adjeci, a peritis romanis viris, quibuscum hac de re verbum feci, opinionem illam vehementer repelli. Sed cum non perspicerem quomodo dictæ rationes dilui possent (licet eas robore carere suspicer), nolui is videri, qui aliquid Episcoporum potestati detraherem, solidis carens ad id firmandum argumentis. Cæterum fateor a doctoribus communiter pro una eademque re haberi privationem et suspensionem *perpetuam :* inter quos sic Leurenius, de sententia privationis loquens : « Nihil refert sub qua for-
« ma concipiatur sententia illa : perinde enim est, sive fiat
« per verbum *privamus*, sive per verbum *deponimus*, sive
« per verbum *suspendimus in perpetuum* » (*Forum beneficiale,* parte 3, q. 174, n. 2). Nec minus concordes sunt canonistæ, dum tradunt non posse ad privationem procedi nisi servato juris ordine. Unde quod in dicto tractatus mei *de Judiciis* loco scripsi, habeat lector tanquam meram propositam difficultatem, cujus solutionem a doctioribus provocare volui ; prout satis indicat nota ibidem (pagina 338) apposita.

Regula III[a]. — *Ut possit pronuntiari privationis sententia, regulariter loquendo debet constare de delicto per probationem plenam seu concludentem.* — Ad quæstionem, quomodo probatum fuisse delictum oporteat, ut possit pœna privationis decerni, sic habet Leurenius : « Respondeo : cum sit pœna gra-
« vissima et ordinaria, ut dictum, hinc intrat criminalis-
« tarum propositio, quod *ad ordinariam pœnam procedi non*
« *potest, nisi contra legitime confessum vel convictum.* (Car-
« dinalis de Luca, *de Beneficiis*, discursu 75, n. 4.) Qui ta-
« men subdit (ibidem numero 8) quod, licet de stricto jure,
« quoties agitur de privatione beneficii jam obtenti, requi-
« ratur plena et concludens probatio, et non sufficiat ali-
« quem esse diffamatum (cum id solum attendatur circa in-
« habilitatem... ad assequendum) ; verumtamen vehemens
« diffamatio, ob quam apud populum tale delictum habetur
« pro certo (ut contingit quando adsunt indicia indubitata)

« facile operatur ut judices... non improbabiliter dilatent ar-
« bitrium, et rigorosos juris cancellos transcendant; potis-
« simum ubi agitur de delictis adeo scandalosis (*agit ibi de*
« *defloratione monialis*), sive ubi intrant alia motiva pruden-
« dentialia. Similia habet discursu 76, n. 11; ubi quod ad con-
« sulendum delictis et scandalis, intret maxima (*la maxime*),
« *ordo est ordinem non servare:* ideoque exorbitans rigor ad-
« hibetur, in magnis præsertim tribunalibus, tanquam in
« casu exemplari, juris cancellos aliqualiter transcendendo. »
(Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 3, quæstione 172.)

Regula IV^a. — *Quando privatio ipso jure incurritur, et delictum est notorium, nulla opus est sententia; sed ad executionem privationis immediate deveniri potest,* — Tunc scilicet non opus est, ut judex *per sententiam privet* beneficio, cum reus jam vi ipsius legis beneficio suo privatus existat: sed nec opus est *sententia declaratoria;* qua nempe judex declaret a reo patratum revera fuisse tale delictum, ac consequenter ipsum privationem incurrisse: siquidem ex hypothesi *notorium* est a reo ejusmodi delictum fuisse patratum. Unde in hoc casu sufficit assignari reo terminum, ad sese excusandum quoad factum delicti patrati; quo elapso termino, potest Episcopus privationis pœnam exequi. In assignando termino, poterit hæc aut similis formula adhiberi: *Assignatur Titio octo dierum terminus, ad dicendum quare ipsius beneficium non sit vacans, ob delictum* (et ibi exprimatur delicti species) *ab ipso patratum, et nequeat tanquam vacans alteri conferri.*

In praxi tamen semper tutius est præmittere sententiam declaratoriam de patrato delicto: quia raro talis adest notorietas, contra quam non possit reus aliquid objicere; imo satis est eam a reo negari, ut jam non sit talis, et debeat justificari. (Vide quoad hanc quartam regulam *Forum beneficiale* Leurenii, parte 3, q. 163, 164 et 165.)

Regula V^a. — *Quando privatio ipso jure incurritur, et delictum non est per se satis notorium, judex pronuntiare debet, non sententiam privationis, sed sententiam declaratoriam; qua nempe declaret tale delictum a beneficiato fuisse patratum, ac consequenter ipsum beneficio suo privatum jam*

p

existere. — Non debet ipse judex beneficiatum privare ; siquidem ipso jure jam est beneficio suo privatus. Sed debet declarare patratum fuisse a beneficiato delictum ; quia hoc, ex hypothesi, non est per se plene notorium ; ac proinde remanet juridice probandum et per sententiam definiendum. (Vide Leurenium, loco citato, q. 166, n. 3.)

Nota 1°. — Quando pronuntiatur ejusmodi declaratoria, beneficiatus non censendus est privatus duntaxat a tempore pronuntiatæ hujusmodi sententiæ, sed a momento patrati delicti. Unde fructus interea perceptos restituere tenetur. (Vide id expositum a Leurenio, *Forum beneficiale*, parte 3, q. 166.) Atque in hoc admittendo omnino concordant doctores, prout adnotat laudatus Leurenius (loco citato, q. 167, n. 1.)

Nota 2°. — An in dicto casu teneatur in conscientia beneficiatus sese beneficio exuere statim post patratum delictum, an vero possit in ejus possessione remanere usque ad sententiam declaratoriam, inter doctores controvertitur. Quam controversiam fuse exponit Leurenius (loco citato, q. 167.)

Nota 3°. — Certum est, et a doctoribus unanimiter admissum, validos esse actus, quos beneficiatus ratione sui muneris seu officii publici (verbi gratia, absolutiones, si sit parochus ; votum electivum, si sit canonicus, etc.), a tempore patrati delicti, usque ad sententiam declaratoriam, pergit exercere. Quod vide probatum a Leurenio (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 168.)

Regula VI^a^. — *Quantumvis atrox sit delictum, non censendus est beneficiatus ipso jure privatus, nisi expresse pro illo crimine lex ecclesiastica privationem ipso jure decreverit.* — Vide id probatum a Leurenio (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 170). Ratio est, quia legislator pro quibusdam solummodo delictis privationem *ipso jure* incurrendam decrevit : pro aliis autem, licet non minus ea pœna dignis, id non decrevit. Ac proinde ut beneficiatus, ob posteriora hæc delicta, beneficio suo privetur, necessaria est sententia judicis, privationis pœnam pronuntiantis.

Nota 1°. — Verba quæ indicant privationem *ipso jure* decerni, sunt ista : *eo ipso*, vel *privatus existat*, vel æquivalentia.

Nota 2°. — In dubio an lex privet *ipso jure,* censenda est non privare nisi per judicis sententiam. Odia enim sunt restringenda.

Nota 3°. — Quando delictum non est de iis, pro quibus legislator privationem *ipso jure* incurrendam decrevit, ut beneficiatus privetur, non sufficit eum condemnari de hoc delicto, verbi gratia, de homicidio : sed debet judex in sua sententia expresse dicere, se privationem pronuntiare. (Vide Leurenium, loco citato, q. 175.)

Regula VII^a^. — *Vicarius generalis Episcopi nequit, absque speciali mandato Episcopi, privationis pœnam infligere.* — Constat ex capite *Licet* (*de Officio vicarii*, in 6), in quo sic decernitur : *Potestatem tamen... aliquos a suis beneficiis,.. amovendi, transferri nolumus in eumdem, nisi sibi specialiter hæc committantur.* (Vide meum tractatum *de Judiciis*, tomo 1, pagina 415.)

§ II.

De pœna privationis ob certas quasdam omissionis culpas.

Quæstio 1^a^. — *De privationis pœna, ob omissam receptionem ordinum infra annum.* — Qui tenetur recipere ordines infra annum (prout tenetur, verbi gratia, parochus, qui nondum sacerdos parochiam obtinuit), si absque legitimo impedimento intra hoc intervallum non ordinetur, *ipso jure* beneficio suo privatur. Estque id extra omnem controversiam. Vide Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 185).

Quæstio 2°. — *De privationis pœna ob omissam clericalis habitus gestationem.* — 1° Attento solo jure Tridentino, qui non deferunt vestem clericalem debent primo *suspendi* et a fructibus privari; tum *si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant* (sess. 14, c. 6, *de Ref.*). Unde juxta hoc decretum, ob omissam clericalis habitus gestationem, non incurritur *ipso jure* privatio : imo nec im-

ponenda est per sententiam privationis pœna, nisi jam præcesserit correptio per suspensionem et fructuum substractionem, et delinquens non resipuerit.

2° Atvero intervenit post Tridentinam synodum rigidior lex, constitutio nempe *Cum sacrosanctam* (5 idus januarii 1588) Sixti V; qua non gestantes clericalem habitum *ipso jure* beneficiis suis privantur.

Eam tamen constitutionem communiter ita interpretantur doctores, ut effectum illum privationis ipso facto non inducat, nisi cum gestatione vestis laicalis concurrant sequentia : *primo* ut fiat absque rationabili causa; *secundo* ut id contingat in locis publicis; *tertio* ut ex longo tempore quo beneficiatus vestem laicalem gerit, oriri possit communis opinio illum esse laicum; *quarto* ut id faciat ex quodam contemptu clericalis habitus, non ex joco vel amœnitatis causa. De quo vide Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 187). Hinc in praxi difficillimum esset probare vacationem beneficii ex solo facto non gestati clericalis habitus.

Quæstio 3ª. — *De privationis pœna ob omissam residentiam.* — Hanc quæstionem fuse expendimus infra (parte 5, capite 2, § 8).

§ III.

De pœna privationis ob varia delicta commissionis.

Quæstio 1ª. — *De privatione ob apprehensam possessionem beneficii ante expeditionem litterarum.* — « Si quis beneficii « a Papa sibi collati possessionem apprehendat ante expedi- « tionem litterarum, eo ipso vacat *ipso jure* beneficium hoc « obtentum : imo et reliqua, si quæ habeat : juxta constitu- « tionem Julii III, die 27 maii 1553. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 3, q. 193.)

Quæstio 2ª. — *De privatione ob factam violentiam in apprehendenda possessione beneficii.* — Si quis habens titulum alicujus beneficii violenter propria auctoritate illud occupet, hoc beneficio *ipso jure* privatur. Constat ex capite *Eum qui, de Præbendis*, in 6.

Quæstio 3ª. — *De privatione ob litterarum Apostolicarum falsificationem.* — Qui id delictum patravit, non tantum excommunicationem, sed et privationem sui beneficii, si quod habet, *ipso jure* incurrit; juxta caput *Ad falsarium, de Crimine falsi.*

Quæstio 4ª. — *De privatione ob malam promotionem ad Ordines.* — Male promoti ad ordines (verbi gratia, promoti per saltum, vel absque titulo, vel absque dimissoriis, vel ante legitimam ætatem, vel extra statuta tempora) sunt ipso facto suspensi. Quod si præterea in receptis ordinibus ministrare præsumant, non solum irregulares, sed et suis beneficiis ipso jure privati existunt, per constitutionem *Sanctum et salutare* Sixti V, datam nonis januarii 1558.

Quæstio 5ª. — *De privatione ob alienationem rerum ecclesiæ seu beneficii.* — Qui bona ecclesiæ seu beneficii sui, extra casus a jure permissos, alienat absque Sedis Apostolicæ consensu, ipso jure beneficio illo privatus existit. Vide Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 199.)

Quæstio 6ª. — *De privatione ob simoniam.* — Simonia mentalis non inducit privationem beneficii ipso jure : bene vero simonia realis, confidentialis, et mixta. Quod vide fuse traditum a Leurenio (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 200 et seq.).

Quæstio 7ª. — *De privatione ob insordescentiam in excommunicatione.* — 1° Certum est per solam excommunicationem non incurri privationem beneficiorum obtentorum; sed excommunicatus fit tantum inhabilis ad obtinenda nova beneficia. (Vide Leurenium, loco cit., q. 204.)

2° Insordescentia in excommunicatione per annum et ultra, non inducit privationem *ipso jure.* « Nullibi enim reperitur « in jure textus dicens insordescentem privatum beneficiis : « et insordescentia solum operatur, quod insordescens ha- « beatur pro confesso vel convicto de crimine aut causa, de « qua accusabatur. » (Leurenius, citata quæstione, n. 2.)

3° « Potest tamen excommunicatus, ob insordescentiam pri- « vari beneficiis; ex ratione, ut in privatione non considere- « tur causa excommunicationis, sed novum delictum ex per- « severantia et pertinacia, nimirum contemptus interpreta-

« tivus clavium Petri. » (Leurenius, ibid., n. 3.) Et ita d oc tores communiter,

4° Num ad pronuntiandam privationem sufficiat insordescentia per annum, an vero requiratur insordescentia per triennium, disputant doctores, pro et contra nonnullos juris textus adducentes (Vide Leurenium, loco citato.) Sed in praxi evanescit difficultas : nam certum est, ex Tridentino decreto (sess. 25, c. 3), posse Episcopum procedere contra insordescentem *tanquam suspectum de hæresi, si obdurato animo per annum insorduerit.* Aliunde extra controversiam est, suspectum de hæresi posse beneficiis privari. Ergo semper poterit Episcopus, post elapsum unum insordescentiæ annum beneficio excommunicatum clericum privare, si non ob solam insordescentiam (quod disputatur), saltem ex eo quod suspectus de hæresi evaserit.

Quæstio 8ª. — *De privatione ob insordescentiam in suspensione.* — 1° Per solam suspensionem clericus non est privatus beneficiis ante suspensionem obtentis.

2° A beneficiis autem, quæ ipsi jam suspenso collata sunt, removendus est ; siquidem nequit beneficium suspenso valide conferri.

3° Ob insordescentiam in suspensione, potest suspensus privari beneficio, sicut in casu insordescentiæ in excommunicatione. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 3, q. 205.)

Quæstio 9ª. — *De privatione ob irregularitatem.* — 1° Irregularitas inhabilem reddit clericum ad obtinenda beneficia.

2° Non tamen eum privat *ipso jure* beneficio ante irregularitatem obtento.

3° Sed apta esse potest ut judex ad privationem procedat loco pœnæ. (Cardinalis de Luca, *de Beneficiis*, discursu 75, n. 11,) Si nempe clericus irregularis evaserit ob delictum privatione dignum, per sententiam privari poterit. (Vide Leurenium, loco citato, q. 208.)

Quæstio 10ª. — *De privatione ob homicidium, vulnerationem et percussionem.* — 1° Homicidium, quando non concurrunt certæ quædam circumstantiæ, mox enumerandæ, non

inducit privationem *ipso jure*; sed Episcopus potest, imo et debet privationem propter ejusmodi flagitium pronuntiare. Constat capite *Cum non ab homine de Judiciis.*

2° Homicidium cum qualitate *assassinii* inducit privationem ipso jure. Constat capite 1, *de Homicidio*, in 6. Dicuntur autem in jure assassini, tum *pretio conducentes*, tum *pretio conducti* ad occidendum aliquem. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 3, q. 210.)

3° Privatus ipso jure existit occidens vel percutiens Cardinalem: item occidens vel percutiens Episcopum: item occidens rectorem vel beneficiatum illius ecclesiæ, in qua homicida suum habet beneficium.

4° Abstrahendo a qualitate dictarum personarum, percussio, vulneratio et mutilatio non inducunt *ipso jure* privationem. (Vide Leurenium, citato loco, q. 209.)

Quæstio 11ª. — *De privatione ob procurationem abortus.* — Clericus qui horrendum illud scelus patraret, procul dubio beneficiis suis ipso jure privatus existeret; prout constat ex constitutione hac de re lata a Sixto V, quarto calendas novembris 1588. Supervacaneum est lectorem præmonere, infanda hæc scelera ob theoricam dumtaxat legum ecclesiasticarum evolutionem commemorari, non autem (absit) quod supponatur iis se reos unquam facere clericos; qui (ut bene notum est) toti mundo angelici status sui integritate prælucent, et tanquam sal terræ, ad servandum immune a talibus flagitiis cæterum humanum genus constituti sunt.

Quæstio 12ª. — *De privatione ob infandum sodomiæ crimen.* — Non tantum privatus ipso jure existeret clericus tanti flagitii reus, sed foret degradationi reali obnoxius et traditioni sæculari brachio. Constat ex constitutione *Horrendum* sancti Pii V, tertio calendas septembris 1568. Et notetur effectum habere hanc constitutionem etiam in foro interno seu occulto, saltem quoad privationem exécutionis officii, et inhabilitatem seu irregularitatem in effectu; de quo vide communem doctorum sententiam apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 212.)

Nota. — De altero contra naturam flagitio, et præcedentis etiam pravitatem superante, nihil expresse jus statuit; unde

privationem beneficii *ipso jure* non induceret; sed deberet privatio per sententiam pronuntiari.

Quæstio 13ª. — *Qualiter ob sacrilegum cum moniali facinus locus detur privationi?* — « Respondet Cardinalis de « Luca (*de Beneficiis*, discursu 74, n. 3) quod inter alias « pœnas inflictas contra hujusmodi sacrilegos stupratores « monialium, videatur ista pœna privationis beneficiorum « imposita, vel *ipso jure*, vel quod per sententiam ad eam « procedi possit; juxta canonem *Si qua monacharum* 27, q. « 1. Remittit insuper ad Farinacium, *de Delictis carnis*, q. « 146, n. 26. » (Leurenius, loco cit., q. 214.)

Nota. — Iterum præmonemus hæc et sequentia horrenda scelera ideo a nobis recenseri, ut jus circa privationis pœnam determinetur quoad casus omnes, etsi quoad praxim chimericos. Cæterum absit, et avertat Deus, ullum unquam clericum in ejusmodi pravitatis abyssum ruere et demergi.

§ IV.

De privatione ob concubinatum, et ob simplicem fornicationem.

Hic solvenda venit duplex intricatissima quæstio : 1° num possit Episcopus privationis pœnam pronuntiare ob fornicationem simplicem, id est, quæ per iterationem non transiit in concubinatum; 2° num saltem propter notorium concubinatum, quando nempe constat, non tantum de frequentatione suspecta, sed etiam de multiplici fornicationis actu, possit statim Episcopus ad privationem procedere; an vero teneatur prius monitiones et pœnam suspensionis experiri, et in his sistere, si delinquens resipiscat. Nemo non videt quam gravis sit utraque hæc quæstio. Si enim de jure communi non posset Episcopus ad privationem devenire propter unicam fornicationem, sed tantum suspendere, sequeretur, verbi gratia, parochum de hoc facinore notorie reum et juridice etiam convictum, non posse tamen beneficio suo privari : posset dumtaxat ad tempus suspendi a sacris et ab officio, et interea poni ejus loco vicarius seu œco-

nomus : sed ipse parochus titulum suum retineret, aliquando etiam, peracta pœnitentia, ad officii exercitium restituendus. Porro quod parochus, quem fornicarium exstitisse notorium est, non omnino deponatur, imo in administratione parochiæ post temporancam suspensionem restituatur, non videtur ordinarie fieri posse absque ingentissimo populi christiani scandalo, et religionis detrimento. A fortiori id dicendum, si notorietatis publicæ foret eum, non semel, seddictum facinus patrasse ; seu, quod idem est, eum non simplicem fornicatorem, sed concubinarium esse. Hinc quæstionem illam omni cura expendendam duximus.

I.

Præmittitur synopsis historica circa pœnas quæ variis temporibus in clericos incontinentes a jure statutæ reperiuntur.

« Vetus legum pœna contra clericos incontinentes, fornicarios, aut concubinarios erat perpetua depositio, seu a clero dejectio, tam justinianeo jure sancita (lege *Sacris canonibus*, codicis, *de Episc. et cler.;* novella 6, cap. 5 et 9 ; et novella 128), quam sacris canonibus comprobata, atque ad dimidium usque duodecimi sæculi usu recepta : ut de primis sex sæculis testatur divus Gregorius Magnus (epistola 26, ad Januarium Episcopum Calaritanum, libro 4 epistolarum) ; de sæculo vero septimo Martinus I (epistola ad Amandum Trajectensem Episcopum, tomo 6 *Conciliorum* ultima editione, pag. 383) ; de octavo et nono Nicolaus I (in decreto, titulo *de Presbyt.*) ; de sæculo tandem decimo, undecimo, duodecimo, Alexander II et Innocentius II (dist. 28, can. 9 ; dist. 81, can. 6, 10, 11, 16, 17, 18 et 29).

« Postea, a tempore nempe Alexandri III, qui pontificatum sustinuit ab anno 1159 ad 1181, temperato rigore depositionis, seu dejectionis a clero, hic ordo servari cœpit, videlicet, ut ad certum tempus suspenderentur tam ab officio quam a beneficio respective : augente vero malitia seu contumacia, post trinam monitionem a communione quoque fidelium, donec resipiscerent, arcerentur (capite

« 2 usque ad 6, tituli *de Cohabitatione clericorum et mulie-*
« *rum*.)

« Tandem vero juxta sanctiones sacri concilii Tridentini,
« si res sit de clericis beneficiatis sine cura animarum, ne
« raptim propriis beneficiis ac redditibus priventur, hic
« ordo gradatim servandus præscriptus fuit, ut si post pri-
« mam monitionem, et quidem personalem, a damnato con-
« sortio se non abstinuerint, tertia parte fructuum ipso jure
« priventur : et si post secundam expletam monitionem nec
« etiam resipuerint, omnes fructus amittant, et ab administra-
« tione beneficiorum suspendantur : ac demum si ita sus-
« pensi in eodem delicto adhuc perseveraverint, tunc of-
« ficiis et beneficiis privarentur, subindeque excommunica-
« tionis gladio plecterentur (sess. 25, c. 14, *de Reform.*).

« Secus autem præscriptum habetur quoad privationem
« parochorum turpiter et scandalose viventium. Hi enim
« postquam *moniti* et *puniti* fuerint, si adhuc in nequitia
« perseveraverint, illico privari jussit (sess. 21, c. 6, *de Ref.*),
« ibi : *Eos qui turpiter et scandalose vivunt, postquam præ-*
« *moniti fuerint, coerceant atque castigent ; et si adhuc incor-*
« *rigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis juxta*
« *sacrorum canonum constitutiones privandi facultatem*
« *habeant.* » (In *Thesauro resolutionum*, tomo 47, in *sancti Severini*, 4 aprilis 1778.)

Expositio illa historica, etsi in cæteris placeat, non tamen ubi tanquam certum supponit, a tempore concilii Tridentini jam non posse privari beneficio concubinarium, de patratis fornicationibus plene convictum, nisi, post adhibitas monitiones et suspensionem, sese emendare recuset, et in nequitia perseveret. Nam hoc ipsum controvertitur, ut mox videbimus; nec probabili saltem fundamento carere videtur sententia, quæ tenet hodiedum posse ab Ordinario, ubi de patrata fornicatione plene constat, statim procedi ad privationem, omissis prævis monitionibus et suspensionis pœna ; ita nempe ut necesse non sit reum esse incorrigibilem, sed sufficere quod turpe illud facinus patraverit.

II.

Plurimorum doctorum sententia fuit, non posse clericum ob simplicem fornicationem beneficio suo privari.

Glossa in canonem *Maximianus* (6, dist. 81), *Removeantur*, sic habet: « Ergo presbyter propter simplicem forni-
« cationem deponitur. » Et adductis nonnullis aliis textibus,
« sic concludit: « Communiter autem dicitur, quod pro sim-
« plici fornicatione quis deponi non debet. »

Glossa in caput *Lator* (44, causæ 2, q. 7), verbo *In corporali:* « Secus si de simplici fornicatione, pro qua hodie
« non deponitur..... nisi de rigore factum fuerit. »

Pro simplici fornicatione non esse deponendum clericum, sed dumtaxat suspendendum, docuerunt inter alios veteres canonistas, Imola, Troilus Malvetus, Corsettus, Bermondus, Selva, Duenus, Bossius, Clarus, Menochius; prout videre est apud Farinacium (*Praxis criminalis*, parte 4; *de Delictis carnis*, quæstione 137, n. 16). Imo prædicti auctores suam sententiam tanquam *communem* tradebant, prout testatur idem Farinacius, citato loco.

Id etiam tenent recentiores plurimi; inter quos sic Schmalzgrueber: « Quæritur, quæ statutæ pœnæ sint clericis, qui
« cohabitant cum mulieribus suspectis, aut omnino concu-
« binarii sunt? Respondeo: olim diversis coercebantur pœnis;
« nec unus idemque in eis infligendis semper servatus est
« ordo. Hodie circa eosdem observanda sunt potissimum de-
« creta pœnalia Tridentini... Pœnæ istæ non cadunt in eum
« qui simplicem incontinentiam commisit.» (In titulum *de Cohabitatione clericorum et mulierum*, n. 7 et 9.) Atque ibidem, n, 11, loquendo de pœnis a concilio Tridentino statutis: « Pœnæ istæ non afficiunt eos qui simplicem incontinen-
« tiam commiserunt.... Proceditque hoc considerato *jure*
« *communi*: nam ex praxi plurium Germaniæ nostræ curia-
« rum episcopalium, etiam in clericos fornicarios tantum,
« etsi concubinarii non sint, seu assiduitatem cum muliere

« soluta non habeant, iisdem tamen pœnis quæ in concubi « narios per Tridentinum statutæ sunt, animadvertitur. »

Infra videbimus a plurimis sustineri, beneficio privandum non esse clericum, concubinatus seu iteratæ fornicationis reum, nisi in nequitia perseveret post adhibitas monitiones et suspensionis pœnam. Ili omnes a fortiori negant posse privari beneficio clericum ob unicam fornicationem.

III.

Plurimi etiam doctores tenent propter simplicem fornicationem posse pœnam privationis infligi, quando est notoria vel scandalosa.

Quoad antiquiores canonistas sat erit adduxisse Farinacium, qui et ipse hanc sententiam sustinet, et alios sibi consentientes citat in hunc modum (*Praxis criminalis*, part. 4, quæst. 137 *de Delictis carnis*, n. 11 et 15): « Regulam constituo « quod fornicatio etiam simplex, de jure canonico prohibita « est... Amplia...., ut clerici fornicatores, in sacris constituti, propter simplicem fornicationem deponendi sint, secundum Paulum de Leazzaar, quem ad id originaliter doctores « allegant....; quem referendo secuti sunt Butrio) in caput « *At si clerici*, n. 13)... Et pro hac opinione Butrii stringunt « sex jura, deducta per Bero (in dictum caput *At si clerici* « n. 165); ubi præsertim advertit, quod Decius (qui contra- « rium tenet) omittit respondere textui in capite 1 distinc- « tionis 81, et in capite *Presbyter* 82 distinctionis : nec dis- « sentire videtur Rebuffus...; Follerus (in *Practica criminali*, « capite 33, n. 31), ubi facit generalem conclusionem, con- « tra clericos publica laborantes incontinentia, quod de- « ponantur. Et ante istos hanc eamdem opinionem tenuit « Hostiensis (in *Summa de Accus.*, n. 14) ubi inter capitalia « crimina depositione digna ponit fornicationem. »

Ad hanc etiam sententiam pertinere censendi sunt auctores, qui licet sustineant propter simplicem fornicationem non esse a jure præscriptam privationem, volunt tamen esse in arbitrio judicis hanc pœnam, si voluerit, imponere. De quibus doctoribus sic meminit Farinacius, citato loco, n. 17 :

« Et Læc fuit opinio Abbatis (in dictum caput *At si clerici*
« n. 35 et seq. *de Judiciis*) ; ubi post multa concludit, quod,
« cum jura canonica circa delictum fornicationis vario modo
« disponant, quandoque apponendo pœnam acerbam, quan-
« doque mitem. quandoque mitiorem, et quandoque mediam
« viam amplectendo, ideo existimat id totum remitti arbitrio
« judicis, qui consideratis circumstantiis et consuetudine,
« patriæ, quandoque fornicatori clerico pœnam deposi-
« tionis,quandoque suspensionis, et quandoque privationis
« beneficiorum imponat. Ipsi enim judici videtur in hoc data
« optio a jure, eo quia varias pœnas, variosque procedendi
« modos tradit. Ita tamen quod semper in isto delicto judex
« inclinet in mitiorem partem.... Et hanc Abbatis opinionem
« dixit magis communem Berous (in dictum caput *At si cle-*
« *rici*, n. 165): Mantua (eo loci, n. 58), ubi declarat, quo-
« modo in arbitrando hanc pœnam judex consuetudinem loci
« attendere debeat: Antonius Burgus (in repetit.. n. 96), ubi
« opinionem Abbatis defendit a contrariis argumentis... Diaz
« (in *Practicta criminali*, c. 78), ubi aliis relatis, testatur de
« magis communi opinione : et ibi Ignatius Lopez..., post
« Lambertum, Navarrum, Didacum, Perezium, et alios, in
« locis per eum relatis : Menochius (*de Arbitr. quæst.*, li-
« bro 2, casu 318, nn. 3 et 5), »

Prædictis auctoribus addendi sunt alii multi, qui concedunt posse fornicationem pœna privationis puniri, quando est *notoria*, *vel scandalosa*, *vel diu continuata*. Inter quos sic tenentes recenset Fariuacius (citato loco, n. 21) Godefredum, Aretinum, Corsettum et alios.

Inter recentiores canonistas thesim hanc, quod nempe possit simplex fornicatio privationis pœna plecti, ex professo sustinuit Reiffenstuel ; quem, pro rei gravitate, per extensum citare, non pigebit. En ipsius verba :

« Pœnæ clerici fornicantis variæ sunt, inter quas pro ar-
« bitrio suo aliquam assumere, et etiam ad privationem be-
« neficii propter unam *simplicem fornicationem* procedere
« potest judex ecclesiasticus, præsertim si delictum notorium
« et scandalosum est, prout amplius diximus et probavimus
« libro 3, 2, atituli numero 48, ubi vide. Nec obstat con-

« cilium Tridentinum, sessione 25 *de Reformatione*, capite « 14; ubi bina vel trina monitio requiri videtur, antequam « ad privationem beneficii deveniatur. Respondetur enim, « præfatam repetitam monitionem prævium ibidem requiri « antequam quis privetur beneficio, ex eo quod suspectam « mulierem monitus dimittere nolit. Non item si de lapsu « carnali seu fornicatione actualiter, præsertim vero notorie « jam reus inveniatur : tum enim monitio prævia necessaria « non est, quamvis pro arbitrio judicis præmitti possit ante « privationem beneficii : quia ubi non amplius sola suspicio « est, sed jam constat de fornicatione, concilium Tridenti- « num ad sacros canones se remittere videtur. Qui cum in- « ter diversas pœnas fornicationis, etiam privationem bene- « ficii ponat, hanc quoque arbitrio suo eligere potest judex : « quia diversitas pœnarum a jure statutarum dat optionem « Episcopo. Capite *de Causis* 4, *de Officio delegati*, juncta « glossa, verbo *Certa* ; Abbas, in caput *At si clerici, de Ju-* « *diciis*, n. 35 et 36; Farinacius, *de Delictis,carnis*, q. 137, « n. 17; et alii. » (Reiffenstuel, in titulum 16, libri 5 de- « cretalium, n. 58 et 59.

Quæstionem magis explicite idem auctor alibi expendens (in titulum 2 libri 3 decretalium, n. 48), sic habet : « Quali « pœna puniendus sit clericus in sacris ordinibus constitutus, « propter simplicem fornicationem, absque qualitate concu- « binatus ?— Respondeo 1° : Quando hujusmodi clericus de « actuali lapsu carnis, sive ante sive post monitionem con- « victus fuerit, variæ contra eum reperiuntur pœnæ in jure « statutæ : ita communis. Et patet inductione: nam presbyter « aut diaconus in fornicatione deprehensus, jubetur deponi « (canone 64 Apostolorum ; et canone *Presbyter et diaconus* « distinctionis 81 ; et canone *Si quis Episcopus*, eadem dis- « tinctione 81) : aut a sacerdotali removeri officio (canone « *Sacerdotes*, distinctione 50; et canone *Maximianus*, dis- « tinctione 81). E contra canone *Presbyter si,* distinctionis « 82, jubetur presbyter de fornicatione convictus, sed in « vitio non perseverans, agere pœnitentiam decem annis, « modo ibidem præscripto. Alibi interdicitur ipsi ingressus « ecclesiæ, usque dum pœniteat et emendet (canone *Si qui*

« *sunt*, distinctionis 81) : vel post præmissam monitionem « non emendatus, ab ecclesiasticis beneficiis suspenditur « (capite *Sicut* 4, et capite *Si autem* 6, *de Cohabitatione cleric. « et mul.*) : aut prout magis vel minus peccaverit, jubetur « puniri secundum canonicas sanctiones (capite *Clericorum « 13, de Vita et honest cleric.*) Et quia clericus in sacris constitutus fornicando, sicque violando votum continentiæ, « committit sacrilegium, etiam pœna carceris, aut exilio « perpetuæ deportationis, puniri potest (canone *Attendendum*, causæ 17, q. 4; juncto Tridentino, sessione 25, « c. 14, *de Ref.*), ubi nonnullæ aliæ clericorum incontinentium pœnæ referuntur.

« Respondeo 2° : Pro unica simplici fornicatione punitur « clericus, etiam in sacris ordinibus constitutus, arbitrio « judicis, juxta qualitatem personæ et circumstantiarum, « infligendo hanc vel illam pœnam (ibi plures textus juris et « auctores adducit Reiffenstuel)... Accedit ratio : quia, cum « jura, tam antiqua quam nova, non unam eamdemque, sed « variam clerico fornicanti assignent pœnam, modo acerbam, « modo mitem, ut dictum n. 48, hoc ipso videtur relinquere « arbitrio judicis, ut pensatis circumstantiis, puta qualitate « personæ, gravitate scandali, consuetudine patriæ, et hujusmodi, imponat pœnam quandoque depositionis, quandoque suspensionis, quandoque privationis beneficii ; « quandoque prius moneat, dum nondum plene constat de « delicto, gravis tamen subest hujus suspicio ; quandoque « sine monitione privet seu puniat, ex quo constat de delicto. « Nam, ut inquit glossa (canone *Fraternitatis*, distinctione « 34, verbo *Professura*.....), diversitas pœnarum a jure « statutarum dat optionem Episcopo... Ac proinde cum in « proposito diversæ pœnæ sint statutæ, potest judex infligere « quam magis viderit expedire..

« Respondeo 3° : Etsi, pro simplici fornicatione clericus regulariter deponendus non sit, nec beneficio ecclesiastico privandus, nihilominus concurrentibus certis circumstantiis, « et si ita expedire judicaverit, poterit judex etiam pœnam « depositionis imponere... Prior pars patet ex proxime dictis « numero præcedenti. Altera pars declaratur inductione.

« Sic imprimis propter fornicationem clerici notoriam et « scandalosam posse imponi pœnam depositionis arbitrio « judicis tradit Abbas (in caput *At si clerici*, n. 35 et 36, « *de Judiciis*) ; Farinacius (q. 137, n. 21), allegans com- « plures alios : quamvis nonnulli, apud eumdem numero 22 « allegati, contradicant, volentes pro fornicatione etiam no- « toria, non imponi pœnam depositionis, sed suspensionis.

« Deinde si clericus committat fornicationem qualificatam, « verbi gratia, peccatum stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, « sodomiæ, etc., extra controversiam est, ob jura clarissima « quod talis fornicatio, ob annexam illam qualitatem, possit « puniri pœna depositionis, seu perpetuæ privationis bene- « ficiorum..

« Objicies contra proxime dicta. Concubinatus clericorum « est longe gravius crimen quam simplex fornicatio : atqui « propter concubinatum non potest clericus illico puniri « pœna privationis beneficii aut depositionis ; sed debet « præcedere monitio, suspensio, ac hujusmodi (juxta caput « *Clericos* 3, et caput *Sicut 4. de Cohabitatione cleric. et mu-* « *lierum* ; et concilium Tridentinum sess. 25, c. 14) ; ergo « idem, et quidem a fortiori videtur dicendum de simplici « fornicatione.

« Respondeo.. : Nego minorem, si constet de concubinatu, « seu repetita fornicatione. Nam concilium Tridentinum loco « citato non revocat pœnas jure antiquo statutas ; imo istas « innovat, addendo tamen ipsis alias. Quia igitur jure anti- « quo, propter fornicationem qualificatam riteque probatam, « poterat clericus puniri pœna privationis beneficii ac de- « positionis absque alia prævia monitione, per jura proxime « allegata, idem dicendum etiam pro nunc de clerico concu- « binario, quando notorie constat de actuali multiplicata for- « nicatione ipsius. Nec obstat citatum caput *Clericos* et caput « *Sicut de Cohabitatione cleric. et mul.*) ; quia loquuntur in « casu quo nondum notorie constat de concubinatu clerici, « sed solum habetur gravis suspicio illius : tunc enim debet « præmitti triplex monitio antequam judex procedere valeat « ad infligendas pœnas ibidem statutas. Atque in eodem « sensu loquitur, prævia mque requirit monitionem concilium

« Tridentinum, citata sessione 25, capite 14, uti patet ex illis « verbis ipsius : *Prohibet sancta synodus quibuscumque cle-* « *ricis ne concubinas, aut alias mulieres* DE QUIBUS POSSIT « HABERI SUSPICIO, *in domo vel extra detinere, cum illis ullam* « *consuetudinem habere audeant : alioquin pœnis a sacris ca-* « *nonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur. Quod* « *si a superioribus moniti, ab iis non abstinuerint, tertia* « *parte fructuum..*, IPSO FACTO *sint privati, etc.*, Ubi pon- « derandum est (ly) *de quibus possit haberi suspicio* ; item, « quod monitio solum requiratur ad incurrendam *ipso facto* « privationem tertiæ partis... ; non vero ad pœnas a sacris « canonibus vel statutis ecclesiarum antiquitus impositas. » (Reiffenstuel, in titul. 2 libri 3 decretalium, n. 48 et sequentibus.)

IV

Plurium fuit doctorum sententia, non posse beneficio privari concubinarium, quantumvis notorium, nisi in casu quo, post monitiones et suspensionem, sese emendare recuset, et in concubinatu perseveret.

Garcias (*de beneficiis*, parte 10, n. 181) : « Dubitatur de con- « cubinariis, an sint privati, seu privandi beneficiis? Et di- « cendum est, non esse privatos, nec privandos seu depo- « nendos; sed suspensionis pœna puniendos (Glossa.., Imola.., « Felinus.., Decius.., Bercius.., Corsettus.., Selva.., Lam- « bertus.., Julius. Clarus.., Follerius.., Duennas.., Gu- « tierrez..), qui dicunt *communem*, et plures alios referunt. « Quamvis Farinacius (4 parte, quæstione 13, a n. 37), cum « aliis dicat clericum pro concubitu regulariter deponi de- « bere. Limitatur tamen prædicta resolutio, nisi fuerint mo- « niti, et ad secundam vel tertiam monitionem non destite- « rint : nam tunc sunt privandi beneficiis (capite *Sicut* « et capite *Si autem, de Cohabit. cleric. et mul.*). Et hodie de- « bet præcedere tertia monitio, ex sacro concilio Tridentino « (sess. 25, c. 14), ubi præfigitur ordo et modus procedendi « et puniendi concubinarios. Unde (in una *Tullensi*, monas- « terii sancti Mansueti, 27 januarii 1597, coram Pegna) fuit « per Rotam resolutum, quod clericus concubinarius, etiam

« publicus, non est ipso jure beneficiis privatus ; nec venit « privandus, nisi quando post legitimas monitiones indurato « animo in concubinatu persistit. »

Leurenius (*Forum beneficiale*, parte 3, q. 216 n. 3) : « Tametsi clericus concubinarius notorius puniri possit absque aliqua monitione (capite *Tua nos, de Cohabit. cleric. et mul.*) ad privationem tamen beneficiorum deveniri non « potest, nisi prævia monitione (juxta caput *Sicut* et caput « *Si autem de Cohabit cleric. et mul.*)... Ut cum tali publico « concubinario procedi possit ad privationem beneficiorum, « hodiedum debet præcedere trina monitio, ex decreto Tridentino, sessionis 25, capitis 14 » Idem, quæstione sequenti « sic habet : « Ad effectum privationis necessaria est plena « et concludens probatio concubinatus... Pro justificatione « hujus objecti non sufficit probare cohabitationem, sed debet probari ipse concubitus. »

Supra dicta decisio Rotæ (in *Tullensi*, monasterii sancti Mansueti, die 27 januarii 1597) est tenoris hujuscemodi : « Utraque parte informante, proposui dubium a Rota præscriptum, an probaretur concubinatus A... cum quadam « Catharina la Rosne, ad effectum ut, vel ipso jure foret privatus A.., vel saltem veniret per sententiam privandus. « Et Rota primum censuit, clericum concubinarium, etiam « publicum, non esse ipso jure beneficiis privatum ; quia « nedum aliquo expresso jure pontificio id non apparet sancitum. quinimo aperte videtur constitutum contrarium in « capite *Sicut*, et in capite *Si autem (de Cohabit. cler. et « mul.*), et concilio Tridentino (sess. 25, c. 14) ; quibus cavetur clericos concubinarios prius esse monendos. inde suspendendos, et tandem si non resipiscant a suis beneficiis « perpetuo removendos.... Tametsi esset probata aliqua « concubinatus umbra ante monitiones Abbati ab Episcopo « factas, nullo tamen probationis genere docebatur, Abbatem « post legitimas monitiones in concubinatu permansisse ; et « tamen ad effectum privationis id tempus erat inspiciendum. « Cum enim ob concubinatum non inducatur ipso jure beneficiorum privatio. ut supra dictum fuit ; nec sit inducenda, nisi quando post ultimas monitiones indurato animo

« clericus in concubinatu perseverat; de hac contumacia « non constabat, et verisimile erat Abbatem ab incontinentia « post monitiones abstinuisse. » (Relatam in extenso reperies hanc Rotæ decisionem apud Farinacium, *Responsa criminalia*, libro 1, consilio 80, n. 51, folio 286 a tergo, edit Venetiis 1606.)

V.

Plurimi doctores tenuerunt plecti posse concubinatum privationis pœna, non præmissis monitionibus et suspensione ; modo constet, non tantum de suspecta frequentatione, sed et de patratis fornicationis actibus.

Ex antiquioribus nempe doctoribus quam plurimos supra (n. 3) adduximus, qui sustinent, esse in arbitrio judicis pœnam privationis infligere, etiam ob simplicem fornicationem, Porro hi omnes a fortiori idem tenent quoad concubinatum. de quo agimus, cum is nihil aliud sit quam fornicatio iterata.

Ex recentioribus autem canonistis, vidimus (eodem n. 3 quomodo Reiffenstuel eamdem thesim sustineat, et quomodo probet ei contrarium non esse caput 14 sessionis 25 Tridentini concilii.

Dicimus autem *modo constet non tantum de suspecta frequentatione, sed de fornicationis actibus.* In casu enim, de concubinatu dumtaxat præsumpto, seu quando constat solummodo de frequenti conversatione cum suspecta muliere tenent hujus sententiæ patroni, non posse statim ad privationem procedi, sed servandam esse gradationem a Tridentina synodo præscriptam (sess. 25, c. 14).

VI.

Quænam e duplici exposita doctorum sententia, potius amplectenda videatur.

1° Ex adductis sub quinque præcedentibus numeris, non videtur negari posse, duplicem revera existere sententiam, quoad privationis pœnam ob simplicem fornicationem et ob

concubinatum infligendam. Et utriusque sententiæ discrimen ultimatim versatur circa *incorrigibilitatem*. Prior nempe sententia negat posse infligi privationis pœnam, nisi prius adhibeantur monitiones, substractio fructuum et suspensio, et his adhibitis concubinarius in nequitia perseveret, seu remaneat *incorrigibilis*. Altera vero sententia tenet, non necessario expectandum esse ut constet *de incorrigibilitate*; sed satis esse ut ut constet de patrata vel patratis fornicationibus; et quando id constat, non esse necessario præmittendam monitionem et suspensionem, sed statim ad privationem procedi posse: gradationem autem a Tridentina synodo (sess. 25, c. 14) descriptam, respicere dumtaxat casum *suspectæ frequentationis*; ita ut non sit, nisi in isto casu, necessario servanda.

2° Jam vero quænam ex istis duabus sententiis videatur meliori fundamento niti, lectori expendendum relinquimus. Quem in finem sub sequenti numero ipsi exhibemus tum præcipuos juris textus, tum nonnulla alia documenta, quæ ad rem introspiciendam conferre possunt.

VII.

Subjiciuntur juris textus et alia documenta, ad illustrandam quæstionem idonea.

I. *Triplex distinguenda concubinatus species.* — Solent auctores concubinatum distinguere in *occultum, notorium*, et *pene occultum*. Quæ distinctio ab ipso jure desumitur, videlicet ex capite *Vestra* (7, *de Cohabitatione clericorum et mulierum*).

De concubinatu *occulto*, seu qui ignoratur, nulla movetur controversia. Nequit scilicet privationis pœna per sententiam judicis plecti, cum judex de occultis judicialem sententiam ferre nequeat: aliunde nec inducit privationem ipso facto, cum id nullibi in jure cautum sit: unde solent doctores adnotare, occultum concubinatum relinqui judicio Dei puniendum.

Concubinatus, sicut et quodlibet aliud crimen, dupliciter

notorius esse potest : notorietate juris, et notorietate facti. Notorius est notorietate juris, quando reus in judicio convictus fuit, vel confessus. Notorius est notorietate facti, quando ita publicus est et populo notus, ut nulla possit tergiversatione celari.

Concubinatus *pene occultus* dicitur, quando non plene constat de fornicationis actibus, sed ex validis indiciis ii actus merito præsumuntur. Id autem locum habet, quando clericus cum muliere suspecta cohabitat aut frequenter conversatur. Et hic casus fere solus est practicus, siquidem rarissime contingit ut plene probari possint fornicationis actus. Comprehendi autem hunc casum concubinatus *pene occulti*, seu suspectæ frequentationis, sub decreto Tridentino (sess. 25, c. 14), dubium non est, ut mox ex ipso textu patebit.

II. *Subjiciuntur duæ decretales Alexandri III, quæ potissimum pandere videntur jus commune, ante Tridentinam synodum vigens.* — Prior est tenoris hujuscemodi : « Mandamus « quatenus clericos vestræ jurisdictionis, qui in subdiaco- « natu et supra fornicarias habuerint, studiose monere cu- « retis ut a se illas removeant, eas ulterius minime admis- « suri. Si vero acquiescere contempserint, eos ab ecclesias- « ticis beneficiis usque ad satisfactionem congruam suspen- « datis. Et si eas suspensi præsumpserint detinere, ipsos ab « eisdem beneficiis perpetuo removere curetis. » (Caput « *Sicut* 4 tituli 2 libri 3 decretalium.)

Posterior decretalis sic habet : « Si autem clerici tuæ ju- « risdictionis (sive in sacris ordinibus, sive in inferioribus « constituti) fornicarias detinent, nisi eas ad secundam vel « tertiam commonitionem a se dimiserint, easdem de cætero « contempturi, liceat tibi eos ecclesiis, vel earum portioni- « bus, appellatione postposita, spoliare, officio ipsis nihilo- « minus interdicto. » (Caput 6, tituli 2 libri 3 Decretalium.)

III. *Decretum Tridentini concilii* (sess. 25, c. 14). — « Pro- « hibet sancta synodus quibuscumque clericis, ne concubi- « nas aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio, in « domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem « habere audeant : alioquin pœnis a sacris canonibus vel « statutis ecclesiarum impositis, puniantur. Quod si a supe-

« rioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte « fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suo- « rum quorumcumque, et pensionum, ipso facto sint privati ; « quæ fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi « applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia « fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non pa- « ruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum « beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui prædictis « locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum ad- « ministratione (quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Aposto- « licæ delegatus, arbitrabitur) suspendantur. Et si ita sus- « pensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam ver- « sentur, tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensioni- « bus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur. »

Eadem synodus (sess. 21, c. 6) decernit in hunc modum : « Eos vero qui turpiter et scandalose vivunt, postquam præ- « moniti fuerint, coerceant ac castigent; et si adhuc incor- « rigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta « sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appel- « latione quacumque remota, privandi facultatem habeant. »

IV. *Variæ declarationes Sacræ Congregationis Concilii.* — « Hoc decretum de concubinatu et aliis impudicitiæ sordi- « bus clericorum, non procedit in simplici incontinentia abs- « què qualitate concubinatus. » (Ita declaratum dicit Galle- « mart, ad caput 14, sess. 25.)

« Patroni possunt (si ad eos spectat præsentatio alicujus « beneficii per concubinarium detenti), vel alii laici parochia- « ni pro suo interesse, in quo ab his percipiunt sacramenta, « accusare eos. »

« Quinimo potest Ordinarius procedere contra ipsos de « jure, non expectata forma hujus textus, et vi hujus litte- « ræ ; est enim intolerabile peccatum. » (Ita declaratum dicit « Gallemart, ad caput 14 sess. 25.)

« Pœna de qua in versu, *quod si a superioribus moniti,* « etc., non habet locum in clericis, si primo deliquerint, « etiamsi edicta generalia Ordinarii præcesserint; sed in- « curritur ubi clericus secundo deliquit. Pro primo puniri « debet aliis pœnis a sacris canonibus vel statutis ecclesia-

« rum impositis : et demum si monitus fuerit, et quidem spe-
« ciali admonitione, et secundo delinquat, privatur tertia
« parte fructuum... » (Ita declaratum dicit Gallemart, in c. 14, sess. 25.)

Seriem quamdam declarationum Sacræ Congregationis Concilii, retulit Garcias ; et post ipsum eamdem citare solent canonistæ. Cujus præcipua capita sic meminit Reiffenstuel (in tit. *de Cohabit. clericorum et mulierum*, 2 libri 3 decretalium, n. 33) : « Circa quod decretum concilii refert Nico-
« laus Garcias (parte 11 *de Beneficiis*, cap. 10, n. 185) plura
« per Sacram Congregationem fuisse declarata, quorum
« quatuordecim puncta enumerat. Et 1° quidem censuit Sa-
« cra Congregatio, quod istud decretum de concubinatu et
« impudicitiæ sordibus clericorum, non procedat in simplici
« incontinentia *absque qualitate concubinatus*. 2° Quod
« habeat locum, etiamsi clericus modo cum una, modo cum
« alia deprehendatur. 3° Quod illud, *si a superioribus mo-*
« *niti...*, *intelligatur de monitione specialiter, non autem*
« *generaliter* (puta per edictum) *facta*. 4° Quod monitiones,
« ex eodem decreto faciendæ, non tantum in visitatione, sed
« aliis quoque temporibus fieri possint. 5° Quod tempus quod
« inter unam et aliam monitionem intercedere debet, arbi-
« trio Episcopi relinquatur. 6° Quod pœna, de qua in versu,
« *quod si a superioribus moniti...*, non habeat locum in
« clericis qui *primo* deliquerint, etiamsi edicta generalia Or-
« dinarii præcesserint ; sed incurratur, ubi clericus *secundo*
« deliquit : in primo enim puniri debet aliis pœnis a sacris
« canonibus vel statutis ecclesiarum impositis : et demum,
« si monitus fuerit, et quidem speciali monitione, et secundo
« delinquat, privatus est tertia parte fructuum, non tamen
« distributionibus quotidianis, quas ratione canonicatus vel
« præbendæ, divinis interessendo, percipit, præter fructus
« præbendæ distinctæ. 7° Quod eadem pœna censeatur re-
« petita in versu, *sin vero in delicto eodem...*, si secundæ
« monitioni non paruerit, qui suspendendus est ab adminis-
« tratione beneficiorum : et cum non possit interesse choro,
« amittit etiam distributiones quotidianas. 8° Quod Episco-
« pus possit procedere per denuntiationem, inquisitionem ex

« officio, vel quo alio sibi videbitur modo. Tacentur cætera « sex puncta dictæ decisionis Sacræ Congregationis, apud « Garciam (ubi supra) videnda. »

VIII.

In hypothesi quod de jure communi non posset privationis pœna plecti simplex fornicatio, nec etiam concubinatus nisi præmissis monitionibus et suspensione, id saltem fieri posset de jure particulari, seu ex statutis particularibus ecclesiarum, et vigente apud ipsas consuetudine.

Nam 1° Tridentina synodus (sess. 25, c. 14) expresse mandavit concubinarios puniri pœnis *a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis*. Quibus verbis statuta ecclesiarum, quibus contra fornicatores et concubinarios privationis pœna imponeretur, sarta tecta voluisse manifestum facit.

2° Accedit quoad hoc doctorum consensio. Nam illi ipsi qui negant imponi posse de jure communi privationis pœnam ob fornicationem simplicem, aut in concubinarium (nisi repertum incorrigibilem post adhibitas monitiones, et suspensionem), concedunt tamen id fieri posse de jure particulari. Sic imprimis Schmalzgrueber (in titulum *de Cohabitatione cler. et mul.* n. 11), postquam adnotavit in hunc modum: « Pœnæ istæ non afficiunt eos qui simplicem incon- « nentiam commiserunt: et ratio est, quia concilium loquitur « de eo clerico qui consuetudinem habet cum muliere las- « civa; hanc autem non censetur habere, qui semel tantum « deliquit cum aliqua; sed requiritur ut saltem bis id fece- « rit, » statim subjungit: « Proceditque hoc considerato jure « communi; nam ex praxi plurium Germaniæ nostræ curia- « rum episcopalium, etiam in clericos fornicarios tantum, etsi « concubinarii non sint, seu assiduitatem cum muliere soluta « non habeant, iisdem tamen pœnis quæ in concubinarios « per Tridentinum statutæ sunt, animadvertitur: idque rec- « tissime, ut quo gravius punitur hoc scelus, eo magis re- « frænetur perversa vivendi licentia. » Si iisdem pœnis,

« ergo et privatione beneficii, licet unica intervenerit forni-
« catio.

Imo Leurenius existimat validum fore statutum alicujus diœcesis, quo privationis pœna decerneretur *ipso jure* a concubinariis incurrenda. En hujus auctoris verba : « Concu-
« binatus, quantumcumque scandalosus et notorius, non in-
« ducit pœnam privationis ipso jure (intellige, præscindendo
« a statuto aliquo vel jure singulari; nam dum jure aliquo
« singulari sic statutum est, ut rector ecclesiæ propter con-
« cubinatum ipso jure destitutus sit beneficio, videntur talia
« statuta seu jura singularia præservata esse per Tridentinum
« decretum, sessione 25, c. 14...); sed ea est imponibilis et
« imponenda per judicem. » (Leurenius, *Forum beneficiale*,
« parte 3, q. 216, n. 2.)

IX.

De difficultatibus præsentium temporum, quoad Tridentinam de clericis concubinariis dispositionem.

1° Si valeat interpretatio Anacleti Reiffenstuel et aliorum, quam supra exposuimus, in observanda illa Tridentinorum Patrum dispositione nulla occurret difficultas. Etenim juxta illam sententiam, non prærequiruntur monitiones, suspensio et incorrigibilitas, nisi quando agitur de concubinatu *pene occulto*, id est, de frequenti cum suspecta fœmina conversatione : si autem notorie constet de patrata fornicatione, potest Ordinarius ad privationem procedere, indicatam a Tridentino gradationem omittendo, et nequaquam expectando fornicarii incorrigibilitatem. Sed interpretatio illa Tridentini decreti aliorumque juris textuum (quod nempe illi textus expectandam incorrigibilitatem non præscribant, nisi in casu suspectæ frequentationis), non videntur ita rigorose probata, ut sententiam oppositam a sua probabilitate dejiciat.

2° Si vero contrariæ sententiæ tanquam juri communi standum esset, gravissima hodiernis temporibus oboriretur diffi-

cultas. Casum ponamus, verbi gratia, alicujus parochi, de patratis pluribus fornicationibus (quod Deus avertat) juridice convicti. Ex Tridentina dispositione, juxta dictam interpretationem intellecta, non poterit Episcopus illum ideo parochia privare; sed ut ad privationem deveniatur, necesse erit ut jam monitus, et aliis pœnis correptus, adhuc in dictum nefandum scelus prolabatur. Quod si resipiscat, vel probari nequeant novæ postmodum patratæ fornicationes, parochia non privabitur, sed in ea relinquendus erit. Jam vero, attentis præsertim hodiernis moribus, talem parochum (etiamsi resipuerit) commisso sibi populo, non ædificationi, sed immensæ ruinæ futurum, nullus, puto, negabit. Ad Galliam quod attinet, asseri posse videtur tantum fore scandalum, ut fideles nequaquam hancce Episcopi agendi rationem legitimam sibi persuadere possent.

3° Inde tamen non sequitur vituperanda esse decreta hæc Tridentina, etiamsi juxta dictam interpretationem intelligenda forent : absit. Nam ea esse potuit iniquitas temporum, et circumstantiarum difficultas, quando Alexander tertius et Tridentini patres præfatum sanxere procedendi modum, ut satius fuerit nonnihil ex antiquiori disciplina remittere, et mitiori remedio pesti huic obviam ire; præsertim cum simul, ut diximus, sarta tecta voluerint particularia ecclesiarum hac in re statuta, et sic penes Ordinarios remanserit graviores pro locorum opportunitate pœnas decernendi facultas.

4° Quidquid autem sit de duplici exposita sententia circa quæstionem, an de jure communi possit propter fornicationes infligi privationis pœna, non expectata incorrigibilitate, pro certo habendum est id *de jure* saltem *particulari* fieri posse. Et quam legitima et laudabilia æstimanda sint statuta particularia diœceseon vel provinciarum, quibus ita sancitur, satis ex supra deductis liquet.

X

Episcopus contra clericos concubinarios procedens juxta normam Tridentinæ dispositionis, judicii summarii formam adhibere potest.

Constat capite 14 sessionis 25 Tridentini concilii, in quo sic disponitur: « Supradictorumque omnium cognitio, non ad archidiaconos, nec decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat qui *sine strepitu et figura judicii, et sola facti veritate inspecta*, procedere possint. » Procedere *sine strepitu et figura judicii* idem prorsus est ac per *summarii judicii* formam procedere, ut notum est. Quænam autem sit illa forma, judicio summario propria, vide in meo tractatu *de Judiciis*, ubi illam ex professo exposui.

CAPUT III.

NORMA BENEFICIATOS REMOVENDI PER SUSPENSIONEM.

Prænotandum. — Beneficiatus per suspensionem a beneficio suo stricte loquendo non removetur, sed dumtaxat per privationem ; nisi tamen suspensio foret perpetua : quia tunc privationi æquivaleret, ut notant passim doctores. Aliquo tamen sensu dici potest illum per suspensionem removeri ; cum toto suspensionis tempore, officium et administrationem a quibus suspenditur explere nequeat. Atque ideo inter varios modos beneficiatum removendi, illum etiam qui in suspendendo illo consistit, breviter memorare debuimus.

Quæstio 1ª — *Quibus in casibus de jure communi incurratur suspensio?* — Remissive ad tractatum *de Pœnis et censuris*. Etenim ejusmodi casuum enumeratio proprie ad præsentem tractationem non pertinet. Ex istis tamen casibus unum expendemus, qui ad expensam superiori capite de concubinariis materiam refertur.

Quæstio 2ª. — *An concubinarii notorii sint ipso jure suspensi?* — Adduci solet sequens declaratio : « Si clerici con-

« cubinarii notorii sunt, etiam hodie *ipso jure* a divinis « suspensi (prout in vetere jure) sunt. » (Ita declaratum dicit Gallemart, ad caput 14 sess. 25 Tridentini concilii. Eam etiam refert Reiffenstuel (in tit. 2 libri 3 decretalium, n. 40) ; sed de ejus authenticitate dubitat (ibid., n. 42). Doctrinæ autem a laudato Reiffenstuel circa propositam quæstionem traditæ summa hæc est (in tit. 2, l. 3 decr., n. 35) :

1° *Jure antiquo*, concubinarius notorius revera suspensus erat, non tantum *quoad se* (seu suspensione improprie dicta, quæ non inducit irregularitatem in clerico, si celebret), sed etiam *quoad alios*, ita ut peccarent audientes missam aliaque officia ejusmodi clerici, et ipse irregularitatem celebrando incurreret.

2° Post constitutionem Martini V *Ad evitanda*, in concilio Constantiensi editam, non tenentur fideles abstinere ab audienda missa concubinarii, etiam notorii, nisi nominatim et publicefuerit denuntiatus. Qua dispositione præcavere voluit dictus Pontifex conscientiarum timoratarum anxietates et pericula.

3° An tamen concubinarius notorius hodie sit ipso jure suspensus, suspensione proprie dicta, ita ut nempe celebrando incurrat irregularitatem, disputatur. Pro sententia negativa stat inter alios Fagnanus (in caput *Quæsitum, de Cohabitatione clericorum et mulierum*, n. 22) Ad objectam autem declarationem Sacræ Congregationis Concilii, supra citatam, quæ contraria videtur, sic respondet Reiffenstuel (citato loco, n- 42): « Ad declarationem Sacræ Congregationis non « oportet respondere, donec de ejus veritate constet, atque « afferatur in forma authentica. Eo præsertim, quia, ut hic « allegatur, probaret etiam quod clerici notorie concubinarii « de facto essent suspensi in divinis quoad alios, prout fue- « runt in veteri jure: quod tamen est contra bullam Martini « V *Ad evitanda*, et doctores communiter.

Quæstio 3ª. — *Quamnam ob causam possit Episcopus clericum suspendere?* — Certum est id eum posse ob culpam quamlibet mortalem. Ob venialem autem non posset nisi *levem* suspensionem infligere, puta a celebranda missa uno

aut altero die. De quo vide Layman (*Theologia moralis*, tom 1, libro 1, tractatu 5, parte 3, cap. 3).

Quæstio 4ª. — *An possit Episcopus clericos suspendere extra-judicialiter seu ex informata conscientia.* — Diximus supra, de pœna privationis agendo, eam ab Episcopo nunquam ex informata conscientia seu extra-judicialiter infligi posse. At de suspensione contrarium omnino tenendum. Quam Episcoporum potestatem ex professo probatam vide in meo tractatu *de Judiciis ecclesiasticis*.

Nota. — Subsectionem primam, *de norma beneficiatos removendi,* hic claudimus, ut ad alteram subsectionem, de modo canonico *curatos removendi*, gressum faciamus.

SUBSECTIO II.

Norma removendi curatos.

Agemus 1° de parochis sæcularibus beneficium parochiale perpetuum obtinentibus; 2° de vicariis curatis perpetuis; 3° de parochis sæcularibus, ad nutum Episcopi amovibilibus; 4° de vicariis curatis ad nutum collegii amovibilibus; 5° de parochis regularibus, remissive.

CAPUT I.

NORMA REMOVENDI PAROCHOS SÆCULARES, QUORUM PAROCHIALE BENEFICIUM PERPETUUM EST.

Diximus supra (parte 1, sectione 3, capite 3) dari posse parochos, non tantum perpetuos, seu beneficium perpetuum obtinentes, sed etiam ad nutum amovibiles, seu quorum beneficium sit manuale. Sub præsenti capite, quoad priores dumtaxat, indicandum venit, quomodo canonice a parochiis suis

amoveri possint. Quod quidem, post deducta sub præcedenti subsectione, brevissime expediri potest.

1° Nempe quoad remotionem *ob omissam residentiam*, multum disparis conditionis sunt parochi et cæteri beneficiati. Procedendi modum contra parochos non residentes adhibendum describimus infra (parte 5, capite 2, § 8); atque ibidem reperies quomodo differat a procedendi modo contra non residentes canonicos.

2° In reliquis vero ejusdem conditionis sunt parochi, ac cæteri beneficiati. Unde quæ in præcedenti subsectione diximus de beneficiatis in genere, quoad remotionis normam, sunt et parochis in beneficio perpetuis applicanda.

CAPUT II.

NORMA REMOVENDI VICARIOS-CURATOS PERPETUOS.

I. Quando animarum cura annexa est alicui clericorum collegio (verbi gratia, cathedrali capitulo), ex Tridentino decreto (sess. 7, c. 7) debet exerceri, non a singulis simul canonicis, aut per turnum (ut aiunt), sed ab uno dumtaxat et determinato vicario : cujus quidem vicarii nominatio ad capitulum pertinet ; sed debet ab Episcopo approbari. Ad ejusmodi vicarium-curatum exclusive pertinet *actualis* cura; ita ut in ejus exercitio sese immiscere nequeat capitulum, sed *habitualem* dumtaxat curam retineat.

II. Potest Episcopus decernere ut ejusmodi vicarius-curatus sit in officio *perpetuus*. Ut tamen id decernat non injungit Tridentina synodus; sed tantum Episcopo facultatem facit ita statuendi. Cum ergo perpetuitatem illam non decernit Episcopus, ad nutum capituli amovibilis remanet vicarius-curatus.

III. In plerisque Galliarum cathedralibus animarum cura fuit capitulo annexa, et vicarius curatus constitutus est perpetuus; qui proinde cathedralis parochiæ curatus non est ad nutum capituli amovibilis.

IV. Vicarius-curatus perpetuus censetur obtinere benefi-

cium stricte dictum, seu perpetuum; ita ut etiam possit quis ad titulum vicariæ perpetuæ ordinari.

Quibus prænotatis, facile solvi potest quæstio, de qua agimus, quanam scilicet norma vicarii-curati perpetui removeri possint.

V. Dicendum nempe, in eis removendis eodem modo esse procedendum, ac si forent proprie dicti parochi, in suo parochiali beneficio perpetui. Sequitur ex eo quod vicaria perpetua sit verum et perpetuum beneficium. Hinc « si aliqua « causa rationabilis existat, propter quam vicarius *(de Vica-* « *rio-curato perpetuo ibi agit auctor*) debet privari, poterit « illum Episcopus privare vicaria, sicut quemlibet beneficia- « tum suo beneficio. Habet enim talis vicarius vicariam in « titulum, et jus in beneficio. » (Laurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 122.) Et cum ejusmodi vicarii perpetui sint, non tantum veri beneficiati, sed insuper veri (quoad rem) parochi, si ob omissam residentiam removendi sint, ipsis applicandus venit procedendi modus, qui specialis est parochis, quando ob ejusmodi delictum sunt beneficio privandi.

CAPUT III.

NORMA REMOVENDI PAROCHOS SÆCULARES AD NUTUM EPISCOPI AMOVIBILES.

Quæstionem attingimus, quæ solet hodie in Gallia aliisque nonnullis regionibus frequenter moveri : an scilicet parochi illi, qui dicuntur *desservans,* suntque ad nutum Episcopi amovibiles, possint *sine causa* revocari. Cumque in dictis regionibus tot numerentur ejusmodi amovibiles parochi, nemo non videt quam practica sit suscepta disceptatio, atque adeo quam diligenter devitanda sit hac in re quælibet a recta, et a probatis auctoribus communiter recepta doctrina, aberratio.

§ I.

Nonnullæ præmittuntur notiones de beneficiis manualibus, a quibus nempe beneficiati possunt ad nutum removeri.

1° Posse dari beneficia *manualia*, quæ scilicet non conferantur in perpetuum, sed ad nutum, est unanimis et certa doctorum sententia; quamvis aliquatenus disputetur num in *stricto sensu* beneficia sint et vocari queant. Notionem autem de hujusmodi manualibus beneficiis tradit Gonzalez hoc modo :

« Beneficium manuale est illud quod non confertur alicui « in perpetuum, sed ad nutum conferentis vel alterius, ita ut « pro libito illius amoveri possit quandocumque et quomodocumque voluerit. » (Gonzalez, in regulam 8 cancellariæ, glossa 5, § 6, n. 2.)

« Talique modo possunt ad libitum amoveri, quod non valet pactum factum ab Abbate de contrario ; et eo (pacto) « non obstante, quamvis intervenisset juramentum, posset « amovere. » (Ibid., n. 3.)

« Et omnia beneficia regularia præsumuntur de sua natura manualia. » (Ibid. n. 6.)

« Secus tamen est in beneficiis sæcularibus : nam perpetua « et non manualia, præsumuntur. » (Ibid., n. 7.)

« Interdum tamen regularia sunt perpetua, et sæcularia « sunt manualia ; quia, vel fundatione, vel statuto ab Apostolica Sede confirmato, ita sancitum sit. » (Ibid., n. 8.) Vide etiam, quoad notionem de beneficiis manualibus, Anacletum Reiffenstuel (in tit. 5, libri 3 decret., n. 43).

2° Posse dari parochos ad nutum amovibiles, seu quorum parochiale beneficium manuale sit, probavimus (parte 1, sectione III, cap. 4). Atque ibidem, sectione IV, ostendimus hujusce conditionis esse hodiernos Galliæ parochos, qui *deservitores* nuncupantur.

3° Beneficia manualia obtinentes non revocari per mortem concedentis, est omnino certum, et a doctoribus unanimiter

traditum. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 82.)

2° Traditam autem notionem de hujusmodi manualibus beneficiis, juvat confirmare præstantissimi Cardinalis de Luca verbis et auctoritate: « Generalis distinctio est (inquit) inter « sæcularia et regularia. Prima enim species sæcularium « habet pro se præsumptionem perpetuitatis in exclusionem « manualitatis : et e contra secunda species regularium habet « præsumptionem manualitatis, propter votum obedientiæ « quod regulares profitentur erga superiorem. Utraque au- « tem regula, utpote juris præsumptioni innixa, cessat ex « diversa particulari qualitate inducente limitationem : quo- « niam sicuti in beneficiis regularibus non implicat ea esse « perpetua, præsertim vero ubi sunt curata..., ita non im- « plicat beneficia sæcularia esse manualia et ad nutum « amovibilia. » (*De Beneficiis*, discursu 97, n. 3 et seq.)

§ II.

Adducitur summatim aliquot præcipuorum doctorum sententia quoad quæstionem, an beneficia manualia obtinentes possint iis privari sine causa, et an recursum ad superiorem habeant.

I. Doctrina Suaresii. — Quæstionem expendit dumtaxat quoad regulares, beneficia ejusmodi manualia obtinentes. Quærit nempe an eorum superior regularis possit eos revocare sine causa; et sic habet: « Si autem prælatus revocet « hujusmodi subditum sine causa, quidam dicunt illicite age- « re et posse subditum coram majore superiore conqueri. « Ita significat Innocentius (in caput *Insinuantes, qui clerici « vel voventes,* n. 2): *Si superior* (inquit) *vellet ex malitia « removere illum a loco, posset supplicare superiorem, et su- « perior eum audire deberet, ad similitudinem servi.* » Concludit Suaresius revocationem non esse a superiore cassandam, nisi facta fuisset ex malitia, aut scandalum vel infamiam generaret (*de Religione*, tomo 4, libro 3, cap. 19, n. 21).

II. Doctrina Garciæ. — « In beneficiis manualibus et ad » nutum amovibilibus, potest fieri revocatio sine causa, ma- « litia cessante..., licet contrarium dicat Azor. » (Garcias. *de Beneficiis*, parte 1, c. 2, n. 88.)

III. Doctrina Lotteri. — Distinguit ille sæcularia inter et regularia beneficia manualia. Prænotat in sæcularibus manualitatem substantiæ ipsius beneficii inhærere : « At in re- « gularibus (ait) qualitas hæc manualitatis non constituitur « in substantia beneficii... Vis manualitatis stat in ipsa obe- « dientia, non autem in natura beneficii, quod perpetuum « est, nec tale desinit esse per remotionem obedientiarii. » (*De Re beneficiaria*, l. 1, q. 33, n. 5 et seq.) Quo præmisso discrimine, tenet, quoad beneficia manualia *sæcularia*, posse revocationem fieri sine causa, si revera in fundatione clare expressum sit beneficium fore manuale, seu beneficiatum fore *ad nutum* revocabilem : e contra de *regularibus* tradit non posse fieri revocationem sine causa rationabili; et dari recursum revocato sine causa; et tunc superiorem revocantem teneri ad exprimendam, apud superiorem majorem, revocationis causam; et revocationem factam sine causa habendam esse tanquam factam ex malitia. En ipsa auctoris verba, quæ *sæculare* beneficium manuale respiciunt : « Quam- « vis respectu articuli *liberæ* remotionis, id est, sine causa « et ex abrupto, circa sæcularia sit attendendus omnino te- « nor fundationis..., adeo quod, si ille sit clarus, ut possit « quis ad libitum et nutum revocari..., id consequatur, nec « nisi ad tale revocationis tempus eum possidere, neque « propterea posse intentare manutentionem...; ita ubi verba « aliquo modo sunt dubia, semper erunt ita interpretanda, « ut debeant referri ad arbitrium regulatum; indeque (æque « ac in regularibus) dum discernitur causa remotionis, dan- « dum esse mandatum de manutenendo proviso tanquam « de manualisæculari, respondit Rota..., » (Lotterus, *de Re beneficiaria*, libri 1, q. 33, n. 29.)

IV. Doctrina Hieronyni Gonzalez. — 1° Sibi objicit eorum opinionem, qui tenent non posse a superiore regulari subditum revocari sine causa, et revocato sine causa dari recursum ad majorem superiorem. Item sibi objicit supra citata

verba Innocentii IV. Item sibi objicit casum quemdam, cujus ipse testis fuerat; cujusdam nempe presbyteri *ad nutum* deputati ab Ordinario, et postea sine causa revocati : is recursum habuit ad Metropolitanum, sibi adhærentibus parochianis; et Metropolitanus decretum revocationis annulavit. 2° His non obstantibus, ipse existimat in hujusmodi manualibus beneficiis posse fieri revocationem *sine causa*. En ipsius verba : « Cæterum quidquid sit in aliis materiis, in casu tamen beneficii manualis, de quo hic agitur, de cujus natura est, quod possit ad libitum quandocumque et quomodocumque amoveri (clementina 1, § *Præmissa*; et ibi « Cardinalis, numero 4, Ancharanus, et Imola, et omnes; « *de Supplenda neglig. Prælat.*); difficile mihi videtur quod in praxi servari possit, ut sine causa removeri non valeat. Et propterea dicit Joannes Andreas (in caput *Cum singula* « 32, n. 1, sub glossa *ad idem*, *de Præbendis*, libro 6), quod « apud Italos communiter hoc non recipitur; et ibi (1) etiam « tradunt omnes; præsertim Geminianus..., Decius..., Milius..., Abbas (sub numero 26). Licet Franchus (sub n. 5, « in dicto capite *Cum singula*) indistincte non admittat opinionem Joannis Andreæ, sed distinctione quadam utatur : « et tandem concludit quod, licet talis promotus non audiatur pro interesse suæ personæ, tamen pro interesse loci, « a quo moveretur (ut quia ex tali revocatione læderetur « prædictus locus), semper sit audiendus. Dicit etiam Rota « (in decisione 1, sub numero 1, *de Restitutione spoliatorum* « in antiquis, versiculo *nec servamus*) quod non servat opinionem D. Innocentii (2)... Cum igitur removens utatur « jure suo, remotus conqueri non potest, ex quo illi injuriam non facit. » (In regulam 8 cancellariæ, glossa 5, § 6, n. 45 et seq.) 3° Posito sic per modum generalis regulæ, posse, quoad manualia beneficia, fieri revocationem *sine causa*, nec dari tunc appellationem aut recursum ad supe-

(1) *Ibi*, id est, in explanando dicto capite *Cum singula*, *de Præbendis*, in 6.

(2) Hanc opinionem Innocentii IV supra citavimus, doctrinam Suaresii referendo.

riorem, hanc apponit limitationem : « Quod tamen declara et limita, quando superior privaret animo se vindicandi, vel alias malo, et de hoc posset aliquatenus apparere. » (Ibid., n. 48.)

V. Doctrina Cardinalis de Luca. — Tanquam regulam ponit, posse fieri revocationem *sine causa* : « Posita manua-« litate, regula est, illa posse auferri possessoribus persu-« periorem *ad ejus nutum et arbitrium, etiam sine causa* ; « juxta opinionem Cardinalis (in clementinam 1, § *Præ-« missa de Supplenda negligentia Prælatorum*, n. 4), quæ, « rejecta contraria sententia, est *magis communiter* recepta, præsertim in Rota. » Id firmat laudatus auctor, plures adducendo sacræ Rotæ decisiones, quas dicit haberi tanquam *magistrales* in hac materia 2° Præmissæ regulæ nonnullas exceptiones esse apponendas docet in hunc modum : « Quarum « *prima* est, ubi amotio fieret odio vel calumnia. » Et ibi citatis in confirmationem variis Rotæ decisionibus, subjungit : « In « quibus tamen (decisionibus) firmatur, quod odium vel ca-« lumnia in dubio non præsumitur, sed probari debet. « *Secundo* limitatur, ubi ex amotione dedecus vel infamia, « seu aliud magnum præjudicium ejecto causaretur ; juxta « decisionem 6, *de Restitutione spoliatorum*, *in antiquis*.. « *Tertio*, licet de stricto jure non probato odio vel calumnia.,. « dicta facultas competat, non curato (1) quod superior non « esset solitus amovere, dum hic actus dicitur facultativus, « in quo non-usus non præjudicat.. ; attamen ex quadam « non scripta æquitate competere videtur recursus vel que-« rela ad superiorem, pro interpositione arbitrii super aliqua « saltem summaria cognitione causæ, ob quam hujusmodi « ejectio fiat, cum non soleat dari casus (2) absque aliquo

(1) Illæ voces *non curato quod*.., ibi significant, *non attendendo ad hoc, quod*, etc.

(2) Casus nempe remotionis a superiore, *qui non soleat removere* : illam quippe tertiam limitationem ponit de Luca, in hypothesi dumtaxat superioris *qui removere non solet* ; quo fit, ut si quando removeat, facile existimat populus id fieri ob culpam aliquam, et sic remoti fama lædituɾ.

« odio, vel absque dicto præjudicio in fama, seu alias resul-
« tante. » *De Beneficiis* discursu 97, n. 6 et seq.)

Citati auctoris doctrina sic breviter exprimi potest : 1° regula generalis est posse fieri remotionem *sine causa*. 2° Regula hæc tribus exceptionibus obnoxia est ; quarum *prima* est, quando remotio fit ex odio ; *secunda* quando ex remotione redundat in remotum dedecus, vel infamia, vel magnum aliud præjudicium : *tertia* quando *non solet* Prælatus revocare sine causa ; quia tunc si quem revocet, is ob culpam ejectus censebitur, et sic famæ detrimentum patietur ; quam tamen ultimam exceptionem non de rigore juris, sed ex quadam non scripta æquitate procedere, idem auctor existimat.

VI. Doctrina Leurenii. — 1° *Valide* fieri potest revotio sine causa (*Forum beneficiale* parte 1, q. 72, n. 2). 2° Non tamen *licite* (ibid., n. 3). 3° Non datur recursus, nisi constet vel merito præsumatur ex malitia seu odio facta remotio (ibid., q. 75). 4° Proinde si fiat a remoto recursus, non tenetur removens *manifestare multoque minus probare causam cur eum amoverit* (ibid.). 5° Ad quæstionem, *quæ censeatur causa rationabilis removendi*, respondet *eam esse, non tantum culpam aliquam beneficiarii, sed quamcumque utilitatem vel commoditatem ecclesiæ* (*vel religionis, si beneficiatus est religiosus*) ; *cum hæc remotio non sit pœna neque actus, justitiæ vindicativæ, sed prudentis regiminis beneficii* (ibid., q. 74). 6° Excipiendo casum remotionis ex odio seu malitia, intelligit malitiam *positivam*, et non mere *privativam* quæ nempe consistat *in pura carentia causæ removendi* (ibid., in rubrica quæstionis 76). 7° Ad quæstionem, *quandonam recte præsumatur, vel etiam constare censeatur de amoventis malitia* ita ut *detur recursus ad superiorem, et locus sit manutenentiæ amoti* respondet in hunc modum : « Primo, si pen-
« dente accusatione vel in inquisitione adversus beneficia-
« tum fieret remotio. *Secundo*, si contra consuetudinem re-
« ceptam, ne beneficiatus intra tantum tempus moveatur,
« absque aliqua culpa moveretur ; quia vel sic de culpa cons-
« taret, et sic remotio cederet in infamiam beneficiati.. *Tertio*,
« si ad instantiam beneficiati fieret inquisitio adversus præ-
« latum ; quia tunc præsumi potest ex animo vindictæ facere

« remotionem. » Ibidem, quæstione 76.) 8° Ad quæstionem an prælatus adhuc revocare queat, si promiserit se non revocaturum, respondet : « Adhuc revocare illum posse *va-*
« *lide*, cum per hanc promissionem non mutetur natura be-
« neficii, quæ est, ut pro voluntate conferentis removeri
« possit. Neque etiam fieret in hoc casu revocatio *illicite*,
« cum hæc promissio, utpote contraria naturæ talis bene-
« ficii, vires nullas habeat, non secus ac promissio non revo-
« candi testamentum. » (Ibid., q. 73.)

VII. Doctrina Rotæ Romanæ. — Fuit procul dubio hujus tribunalis sententia, posse curatos, ad nutum Episcopi amovibiles, ab eodem Episcopo revocari *sine causa*. Aperte id constat ex celeberrima lite, in diœcesi Hispalensi orta, curatos inter et Cardinalem Archiepiscopum, et tribus conformibus sententiis decisa, 20 aprilis 1640, 21 junii 1641, et 23 junii 1642, coram Peutingero. In hac nempe diœcesi erat Archiepiscopus in possessione removendi ad nutum curatos omnes; ita ut nullus perpetuus censeretur ; sed omnes, tanquam vicarii ipsiusmet Archiepiscopi, curam exercerent. Jus illud Archiepiscopi impugnarunt ex illis curatis nonnulli. Et primo quidem contendebant se non esse *ad nutum amovibiles*. Postea vero evincere conabantur non posse ipsos, etsi amovibiles, ab Archiepiscopo revocari *sine causa*. Insuper factæ remotionis nullitatem repetebant ex eo capite, quod ad eam Præsul *ex odio et indignatione* devenisset.

Ut probarent se non esse *ad nutum amovibiles*, allegabant 1° veterem Rotæ decisionem, qua curatus quidam remotus, fuerat in cura reintegratus ; 2° plures canonistas, a quibus tradi contendebant, beneficium quodlibet curatum esse hoc ipso perpetuum ; 3° quosdam textus juris, et duos præsertim ex Tridentina synodo.

Ut probarent curatos, etsi ad nutum amovibiles, non posse *sine causa* removeri, allegabant Sacræ Congregationis Concilii decisionem quamdam in causa *Ferrariensi* anni 1629, qua declaratum est capellanos amovibiles de quibus agebatur non posse amoveri sine causa ; necnon aliam decisionem, qua declaratum fuit de quodam monialium confessore, ad

ipsarum nutum amovibilem, non posse ab ipsis ad libitum et sine causa mutari.

Quæ omnia Hispalensium curatorum allegata rejecta sunt a Rota, in tertia decisione, dici 23 junii 1642, in hunc modum : « Curatos Hispalenses, non acquiescentes decisionibus « coram me factis, placuit tertio audire : hodieque proposita « causa tertio, Domini steterunt in decisis... Sententia vero « reintegratoria unius curati ad curam (data in veteri « summario, n. 22,) nullam vim faciebat. Quia curatus ille « non fuerat remotus *ab Archiepiscopo*, sed spoliatus a be- « neficiatis et capellanis, ut patet ex ejusdem lectura. Unde « merito potuit petere reintegrationem, ex traditis per Rotam « decisione 1, *de Restit. spol.*, *in antiquis*); ubi expresse « firmatur, quod habenti administrationem seu prioratum « amovibilem, nullum competat remedium restitutorium « si removeatur per Abbatem deputantem, secus vero *ab ex-* « *traneo*.

« Auctoritates Romani (consilio 356, n. 6), Seraphini(de- « cisione 950, n. 1), Bellameræ... Cassadi..., quæ in subs- « tantia nihil aliud probant, quam quod *regulariter* status « beneficii curati est perpetuitatis, admittebantur : non tamen « per hoc tolli dicebatur, quin cura, quæ residet penes Præ- « latum, possit exerceri *per vicarios amovibiles*, ut tenuit « glossa..., Abbas..., Imola..., Rota..., post Rebuffum, « Garciam, Azorium, Hostiensem, Ancharanum, et alios, in « præterita (decisione) cumulatos.

« Quibus sane nec textus in capite *Unico*, *de Capellis* « *monachorum*, nec textus concilii Tridentini (in capite 13, « sess. 24), pro perpetuitate curatorum adducti, repugnant. « Nam quoad textum in capite *Unico*, satisfacit decisio Ca- « valli 350, n. 4 et 389, n. 3. Ad textum vero concilii plene « dicta secunda decisio (§ *Circa secundum*), cum pluribus se- « quentibus ; quæ responsiones brevitatis causa omittuntur.

« Præsertim cum hodie curati (Hispalenses), tacite ad- « missa conclusione circa amovibilitatem, ad duo potissimum « recurrere denuo viderentur : nempe ad illud, quod re- « motio saltem fieri non possit *sine causa* ; innixi potissimum « declaratione Sacræ Congregationis Concilii (in una *Ferra-*

« *riensi* de anno 1629), quam solam hodie de novo afferebant:
« alterum, quod in præsenti casu remotio facta fuerit *ex odio*
« vel indignatione : sed neutrum relevare visum est.

« Etenim quod vicarii amovibiles in curatis removeri pos-
« sint ad nutum, etiam *absque causa*, firmarunt Domini in
« præterita decisione... Prædictaque conclusio roborata fuit
« non solum rationibus, quibus nunc nihil pro parte cura-
« torum (Hispalensium) respondetur, sed etiam auctoritate
« ejusdem Sacræ Congregationis Concilii, in una *civitatensi*
« relata per Garciam (parte 1, c. 2, 94 *in addit.*) ; in qua
« expresse censuit, vicarios, a capitulo ad exercitium curæ
« deputatos, removeri posse *ad nutum* ipsius capituli, ab
« ordinario *vero* nisi ex causa. Ponderando igitur verbum
« *ad nutum*, quæ liberam voluntatem importat, et dictionem,
« *vero*, quæ est adversativa, necessario innuit, capitulum
« deputans posse removere *sine causa*.

« Non obstat autem allegata Sacræ Congregationis Con-
« cilii declaratio in dicta *Ferrariensi*. Nam licet in ea cen-
« suerit capellanos amovibiles removeri non posse *sine*
« *causa*, non inde tamen aliquid contra conclusionem in
« præsenti casu firmatam inferri potest : quia, ultra quod
« ipsa Congregatio id totum arbitrio et prudentiæ Ordinarii
« remittit, termini sunt longe dispares : nam ibi non cons-
« tabat quod ii capellani essent amovibiles ad nutum *ip-*
« *sius Episcopi*... Neque eo casu docebatur de quasi pos-
« sessione removendi ad nutum sine causa, prout fit in præ-
« senti casu..

« Sicuti etiam altera declaratio (in una *Hispalensi* de anno
« 1626) non ita universaliter procedit, sed in casu speciali
« monialium. Multa enim considerari possunt inconvenientia,
« si permittatur monialibus remotio confessariorum seu cu-
« ratorum ad earum libitum, quæ minime locum habent in
« Archiepiscopo, cui cura principaliter incumbat animarum.

« Demum non obstat prætextus indignationis... Satis
« justam reddi illius indignationem dicebant Domini...

« Et ideo merito standum esse in decisis, utraque parte in-
« formante. » (Tomo 1, partis 9 *Recentiorum*, pag. 240).

§ III.

Quomodo resolvenda videatur quæstio, an parochi ad nutum amovibiles possint sine causa revocari.

Propositio I^a. — *Est de essentia manualitatis, ut possit beneficiatus legitime revocari sine causa.* — Beneficium manuale definit Gonzalez : « Illud quod non confertur alicui in « perpetuum, sed *ad nutum* conferentis vel alterius ; ut *pro* « *libito* illius amoveri possit quandocumque et quomodo- « cumque voluerit. » (In regulam 8 cancellariæ, glossa 5, § 6, « n. 2.) Manualitas, inquit Lotterus, quæ jurisconsultis dicta « est *manuum injectio,* nihil est aliud quam rei, ut juris « nostri, apprehendendæ abducendæque facultas... Ex quo « intelligitur illud esse beneficium manuale, quod superior, « qui illud contulit, *pro libito* ad manum suam potest re- « vocare. » (*De Re beneficiaria*, l. 1, q. 33, n. 1.) Ex his et similibus definitionibus constat, per manualitatem unanimiter intelligi facultatem illam revocandi *ad nutum* ; et nullus est canonista, qui pro manuali habeat beneficium, si fieri nequeat ad nutum revocatio. Imo omnes *manualitatem* et *revocabilitatem ad nutum* pro una eademque re habent. Unde primo negari nequit, de essentia manualitatis esse, ut possit beneficiatus *ad nutum* revocari.

Jam vero revocabilitas *ad nutum* secum necessario infert revocabilitatem *sine causa* ; quod sic probatur : qui jus habet aliquid faciendi *ad nutum,* jus habet illud faciendi quando vult, et ex *libera* voluntate : « Id enim importat verbum « *ad nutum* (ait Garcias) ; et patet ex ipsa significatione vo- « cabuli, quod accipitur pro *voluntate* ; et verbum *voluntas* « importat liberam et absolutam voluntatem et non regu- « latam. » (*De Beneficiis*, parte 1, c. 2, n. 85.) Id pariter adnotat Reiffenstuel. Postquam enim beneficia manualia definivit : « Quæ non conferuntur alicui in perpetuum, sed « ad nutum conferentis, vel alterius ; ita ut beneficiarius « pro libitu ipsius amoveri possit, » subjungit in hunc mo-

dum : « Additur notanter in data definitione *ad nutum con-*
« *ferentis*.. ; hoc est ad liberam ipsius et absolutam voluntа-
« tem, et non necessario regulatam : id enim importat ly
« *ad nutum* »(in tit. 5, libri 3 decret., n. 43 et 45). Ergo habere jus aliquid faciendi *ad nutum*, est habere jus illud faciendi pro libitu, seu ex mera voluntate. Ergo jus revocandi ad nutum est jus revocandi pro libitu et ex mero voluntatis arbitrio. Sed jus hoc modo revocandi idem est ac jus revocandi, sive aliqua causa revocationem exigat aut suadeat, sive nulla ejusmodi causa interveniat : aliis terminis est jus revocandi *sine causa*. Quæ argumentatio sic breviter contrahi potest: est de essentia manualitatis ut possit fieri revocatio *ad nutum;* sed jus revocandi *ad nutum*, est jus revocandi *sine causa* ; ergo de essentia manualitatis est, ut legitime possit revocatio *sine causa* fieri.

Propositio II[a] — *Beneficiatus amovibilis, sine causa revocatus, nequit conqueri, nec jus recurrendi habere, ex eo titulo quod jus ipsius in beneficium violatum fuerit.* — Sequitur ex conclusione præcedenti : nam revocans sine causa utitur jure suo, ut probavimus : non autem uteretur jure suo, si violaret jus beneficiati in beneficium, seu (quod idem est) si beneficiato jus competeret, ut nonnisi ex certis causis amoveretur. Idem sequitur ex eo quod talis beneficiatus non habeat jus retinendi beneficium, nisi *usque dum revocetur;* si quidem non ipsi confertur in perpetuum, sed ad nutum, id est, donec amoveatur. Quod sic exprimit Leurenius: « Beneficiatus
« enim non potest possidere tale beneficium, nisi pro tem-
« pore quo non fuerit ab eo revocatum ; quia solum pro eo
« tempore fuit concessum: ergo revocatione facta, non ha-
« bet jus diutius illud possidendi, Et hinc spoliatus *sine*
« *causa* beneficio, nullo modo potest contradicere Prælato
« spolianti; quia nullam in tali spoliatione patitur injuriam;
« neque recurrere ad superiorem, ut injustitiam reparet ;
« sed ad summum ut impediat malitiosam revocationem. »
(*Forum beneficiale*, parte 1, q. 72, n. 2.)

Propositio III[a]. — *Ex eo quod revocans sine causa agat ex pravo motivo, non sequitur eum non uti jure suo, aut injuriam facere revocato.* — Equidem qui revocaret absque

ulla causa honesta et rationabili, peccaret : « Tum quia ge-
« nerale est, quemlibet obligatum esse in suis actionibus
« habere finem honestum; tum quia variatio rectorum solet
« esse ecclesiæ damnosa; adeoque ut hujusmodi periculum
« honestetur, gravi causa moveri debet Prælatus ad amo-
« tionem. » (Leurenius, loco citato, n. 3.) Et a fortiori pec-caret, si ageret ex aliquo fine graviter pravo. Nihilominus etiam tunc beneficiato nullam injuriam faceret: quia nempe pravus per se non est nec injustus actus revocandi ; et jus habet hunc actum ponendi ; et revocando utitur jure suo. Quod autem pravum sibi proponat finem, et sic peccet, id fit per accidens, nec facit ut injustus erga beneficiatum evadat revocandi actus. Solent canonistæ rem exemplo illustrare: si librum, verbi gratia, tibi commodaverim, possum illum, quando libuerit, a te repetere. Statim autem ac repetii, finitur jus tuum librum ulterius retinendi. Accidere autem potest, ut librum repetam absque ulla rationabili causa ; imo ex pravo fine, verbi gratia, ex odio interea contra te concepto ; et tunc procul dubio peccabo : id tamen non impedit quin utar jure meo ; nec tibi injuriam facio librum commodatum repetendo, etsi alias ob pravum a me intentum finem coram Deo reus factus sim. Equidem similitudinem illam, ex commodato desumptam, non putat Lotterus sub omni respectu quadrare revocationi *ad nutum*, de qua agimus: sed sicut pluribus doctoribus, ita et mihi videtur recte adduci.

Propositio IV[a]. — *Generali regulæ, quod revocans sine causa utatur jure suo, opponenda est exceptio hæc, nisi ob peculiares circumstantias amoto inde obveniat notabile damnum, ab amissione beneficii diversum.* — Probatur 1° doctorum auctoritate. Superiori siquidem paragrapho vidimus, exceptionem hanc a multis adduci. Si nempe amotio sine causa fieri nequeat, quin redundet in amotum infamia aliudve notabile damnum, existimant cessare in superiore jus hoc modo amovendi; et a tali amotione patere recursum. Et hæc opinio communior videtur. Probatur 2° ratione. Etenim jus habet beneficiatus, ne superior ejus famam lædat, aliudve grave damnum ei inferat sine causa. Si ergo tales sint circumstantiæ, ut tale præjudicium ex amotione oriatur, jus

superioris amovendi sine causa per accidens suspenditur et cessat. Eliditur scilicet obligatione, qua adstringitur superior hocce damnum clerico non inferendi, absque sufficienti causa. Quod etiam ex supra allato rei commodatæ exemplo palam fieri potest. Quamvis pecuniæ summam, amico meo commodatam cum clausula *donec repetam*, possim pro libitu et sine causa quando voluero repetere, et sic repetendo utar jure meo, nihilominus si tales emerserint circumstantiæ, ut commodatum statim reddere non possit quin fame pereat, hoc ipso præpeditur et suspenditur meum jus repetendi sine causa; quia nempe ex lege charitatis teneor hoc tam grave amici mei damnum præcavere. Diximus autem in thesi, *notabile damnum, ab amissione beneficii diversum.* Nam per solam beneficii ablationem nulla ei fit injuria, cum illud retinendi jus non habeat, nisi *donec revocetur.*

Propositio V^a^. — *Generali regulæ, quod revocans sine causa utatur jure suo, apponenda etiam est exceptio: nisi sequatur damnum tertii notabile.* — Probatur 1° doctorum auctoritate. Nam, ut superiori paragrapho retulimus, existimant multi fieri non posse revocationem sine causa, quando inde exurgeret magnum parochiæ præjudicium; et in hoc casu dari locum querelæ et recursui ad superiorem videtur sat communiter recepta opinio.

Probatur 2° ratione. — Etenim jus quod habeo aliquid peragendi pro libitu et sine causa, statim præpeditur et suspenditur, quando inde oriretur damnum tertii : ob eam nempe legem qua obstringor, non inferendi damnum tertio sine causa. Notetur tamen in hoc casu clericum revocatum queri apud superiorem non posse, quod sine causa. revocatus fuerit, sed dumtaxat ex eo quod damnum parochiæ sine causa illatum fuerit.

Propositio VI^a^. — *Quando tales sunt circumstantiæ, ut amotio merito præsumatur fieri ex odio, hoc ipso cessat jus superioris amovendi sine causa.* — Probatur 1° doctorum auctoritate. Etenim in apponenda hac limitatione præcipue eos concordare reperies. Dum nempe regulam ponunt, posse fieri revocationem sine causa, statim addere solent, modo tamen non fiat ex malitia. Quod intelligunt de malitia, quæ

vel aperte pateat, vel merito ex circumstantiis præsumatur. Et tunc amoto patere recursum concedunt ; et, si probetur a recurrente malitia removentis, debere remoto beneficium manuale restitui. Quam hypothesim de revocatione ex odio ideo movent, quia præcipue agunt de revocationibus regularium, quæ per eorum regulares superiores fiunt, et frequentes esse solent ; ut adeo non repugnet aliquoties, pro humana fragilitate, id contingere posse. Quoad Episcopos vero casus revocationis ex odio fere chimericis accensendus videtur.

Probatur 2° ratione. — Nam revocatio quæ merito præsumitur ex odio facta, scandalum ex hoc ipso excitaret. Porro tenetur superior, ad vitandum scandalum, sibi alias licita omittere. Unde jus revocandi sine causa suspenditur et cessat, quando imminet ejusmodi scandalum.

§ IV.

Præmissorum applicatio parochis amovibilibus Galliæ, qui deservitores nuncupantur.

1° Saltem vi rescripti Gregorii XVI, 1 maii 1845, certum est eos esse ad nutum Episcopi amovibiles, seu eorum beneficia esse manualibus accensenda, prout supra probatum est (parte I, sect. IV, cap. 5).

2° Hinc quæstio, *an possint revocari sine causa*, non aliter quoad ipsos, quam quoad cæteros manualia beneficia obtinentes resolvenda est.

3° Attenta autem communiori doctorum sententia, videtur dicta quæstio, quoad manualia beneficia, resolvenda in hunc modum: *Primo*, exceptis nonnullis casibus, fieri potest revocatio sine causa, nec ab ea datur ad superiorem recursus. Et hæc generalis regula fundatur in ipsa *manualitatis* natura, estque omnino certa, et communiter ut talis recepta. *Secundo*, excipiendos esse a dicta generali regula nonnullos casus, etsi forte nequeat ex ipsis juris textibus rigorose deduci, ob communiorem tamen sententiam doctorum, qui has limitationes, ex quadam sive scripta sive non scripta æqui-

tate apponendas existimarunt, necnon ob consonam congregationum romanarum praxim, videtur admittendum. *Tertio*, casus autem, qui, juxta dictam canonistarum sententiam, excipi solent, sunt sequentes: si amotio fiat ex odio aperto, vel legitime præsumpto: si cedat in infamiam revocati, vel notabile ipsi damnum, ab amissione beneficii diversum, inferat: si cedat in damnum tertii, præsertim parochiæ: si non soleat superior revocare sine causa; quia tunc redit casus damni quoad famam. In his ergo casibus tenendum est, non posse Episcopum sine causa revocare, et dari sic revocato recursum ad superiorem.

4° Quod autem nunquam et in nullo casu fieri possit remotio sine causa, et quod a remotione sine causa semper detur recursus, ego prorsus falsum existimo. Etenim sat communiter quidam doctores sentiunt, excipiendos esse supra enumeratos casus; ast simul regulam generalem, quod fieri possit sine causa remotio, ut certam defendunt; quæ regula prorsus evanesceret, si in omni casu daretur contra revocationem sine causa factam recursus.

5° Si quis e dictis parochis amovibilibus Galliæ sine causa removeretur, quin simul alteri parochiæ, vel muneri præficeretur, posset ad superiorem recurrere: tunc enim graviter læderetur ejus fama; quia ex gravi culpa remotus censeretur.

6° Extra casus supra exceptos, Episcopus parochum amovibilem transferens ad aliam parochiam, aliudve explendum officium, ex illa sola ratione, quod id bono diœcesis regimini conferre existimet, non tantum utitur jure suo, sed et coram Deo licite et laudabiliter agit: si quidem, ut supra tradentem Leurenium vidimus, causa hæc pro justa et honesta haberi debet.

7° Si parochus, ab Episcopo suo revocatus, existimet se esse in casu legitimi recursus, ipsi incumbit hoc probare apud superiorem. Debet nempe probare factam fuisse revocationem, vel cum detrimento ipsius famæ, vel cum altero notabili ipsius detrimento, vel cum detrimento parochiæ, vel (quod absit) ex odio. Episcopus autem non tenetur pandere qua ex causa remotionem fecerit; quia per se, et nisi intervenire aliquem ex casibus exceptis probetur, potuit remo-

tionem etiam sine causa facere. Id sequi videtur ex modo traditis circa manualia beneficia notionibus.

8° Omnino falsum est, præfatos Galliæ parochos, qui desservitores vocantur, non posse parochiis suis privari, nisi ex gravi eorum culpa, et servato ordine judicii. Si enim id verum foret, jam non essent ad nutum amovibiles, et eorum beneficia, non manualia, sed perpetua forent censenda ; quod nullatenus stare potest cum rescripto Gregorii XVI supra relato. (Parte I, sect. IV, cap. 1, n. 8.)

9° Tandem juste conqueri nequeunt succursalium rectores, quod Episcopi dictam revocationis ad nutum disciplinam non abrogent. Nam in præfato rescripto ad Leodiensem Episcopum, non tantum *permisit* Gregorius XVI, sed etiam *injunxit* hujusce disciplinæ continuationem, donec aliter sedes Apostolica statuerit. Unde, quidquid sit de quæstione, an antea potuerint vel etiam debuerint disciplinam istam derelinquere, hodie tamen certum est ipsis non competere illam immutandi potestatem, eo quod ejusmodi immutationem sedes Apostolica sibi reservaverit.

CAPUT IV.

NORMA REMOVENDI VICARIOS CURATOS, AD NUTUM ALICUJUS CAPITULI SEU MONASTERII AMOVIBILES.

Quando cura alicui clericorum collegio, verbi gratia, cathedrali capitulo adnexa fuit, exerceri debet, non ab omnibus simul, aut singulis per vices canonicis, sed ab uno ad hoc designando et deputando. Ita siquidem præscripsit Tridentina synodus, ut supra (capite 2) jam fuit adnotatum. Ejusmodi autem deputatus ad curam *vicarius curatus* dicitur. Et licet capitulum curam *in habitu* retinere dicatur, in ejus tamen exercitio sese intromittere nequit, sed totum curæ exercitium est penes vicarium curatum; qui ideo pro vero parocho habetur. Olim ejusmodi vicarius curatus remanebat ad nutum capituli revocabilis. At Tridendentina synodus voluit posse ipsum auctoritate Episcopi cons-

titui *perpetuum*. *Posse*, inquam : dicta enim synodus liberum fecit Ordinariis, ut, si ita expedire judicarent, ejusmodi vicarium relinquerent ad nutum capituli revocabilem. Hinc nonnulli hodiedum exstant ejusmodi vicarii-curati, *ad nutum collegii* revocabiles. Et de his quæstio nunc est, quomodo canonice removeantur.

1. Refert Fagnanus (in caput *Cum ad monasterium, de statu monach.*, libri 3 decretalium, n. 39) fuisse a Sacra Congregatione Concilii decisum in hunc modum : « An vicarii amo-
« biles deputati ad nutum capituli pro exercitio curæ, præ-
« via approbatione Episcopi, possint ab ipso Episcopo sine
« causa amoveri ? — Sacra Congregatio censuit vicarios præ-
« dictos posse a capitulo amoveri ad nutum capituli : ab Or-
« dinario vero nonnisi ex causa legitima et probata, propter
« quam, etiamsi perpetui essent amoveri possent. »

Reperies etiam a Garcia relatam (*de Beneficiis*, parte 1, cap. 2, n. 94) sequentem Sacræ Congregationis Concilii declarationem : « Capitulum ecclesiæ Civitatensis habet unitas
« mensæ nonnullas parochiales, quibus ab immemorabili
« tempore deserviri faciunt per vicarios ad eorum nutum
« amovibiles, juxta facultatem sibi expresse a Sede Aposto-
« lica concessam. Hi nunc, ex declaratione Sacræ Congre-
« gationis, non possunt deputari, nisi prævio examine et
« approbatione Episcopi : et sic deputati possunt ad nutum
« capituli, et ab ipso quoque Ordinario removeri. Quæritur,
« an amotio ab Episcopo fieri possit sine causa ? — Congre-
« gatio censuit vicarios ipsos posse a capitulo amoveri ad
« nutum capituli ; ab Ordinario vero, nonnisi ex causa le-
« gitima, atque approbata, propter quam, etiamsi perpe-
« tui essent, amoveri possent. »

2. Sed remanet solvenda quæstio, an ejusmodi vicarii curati, ad nutum amovibiles, possint a capitulo removeri *sine causa*. Et videtur respondendum affirmative, cum hac limitatione, *modo non exodio remotio fiat*. Quam doctrinam esse communiter receptam, satis testantur hæc Benedicti XIV verba : « A capitulis et monasteriis deputari solent vicarii
« temporarii, ad nutum amovibiles, qui animarum curam
« exerceant in parochiis, iisdem capitulis seu monasteriis

« unitis, a quibus tamen de jure communi possunt, etiam « sine causa, divelli ac removeri, modo remotio fiat absque « dolo et non ex odio. In citatis constitutionibus Pampilo- « nensibus statutum fuit, ne iidem, indicta causa, e curæ « exercitio evocarentur... Sed cum contigisset remotionem « sine causa fieri, Rota (decisione 886, n. 29, coram Cerro) « illam sustinuit, nulla habita ratione synodalis constitu- « tionis » (*de Synodo diœcesana*, libro 12, capite 1, n. 2). Idem notatum reperies apud Devoti (*Institutiones,* libro 1, titulo 3, sect. 9).

Quam pariter doctrinam tradit Ferraris (verbo *Vicarius parochialis*, n. 59, edit. Matriti 1787) in hunc modum : Vi- « carii temporarii a capitulis et monasteriis destinati curæ « animarum, in parochiis illis unitis, etiam sine causa remo- « veri possunt; nec remotio in synodo prohiberi potest. »

Unde quoad remotionem ejusmodi vicariorum, ad nutum collegii alicujus amovibilium, sic breviter jus commune exarari potest : 1° Non possunt removeri ab Episcopo, nisi pro culpa, pro qua eos removere posset, si forent perpetui. 2° Capitulum autem potest eos removere ad nutum. 3° Atque etiam sine causa, modo non ex odio.

CAPUT V.

NORMA REMOVENDI PAROCHOS REGULARES (REMISSIVE).

Posse religiosos regendis parochiis præfici, in tractatu *de Jure regularium* ostendemus. Atque ibidem de modo canonico eos removendi disseremus.

SECTIO V.

De coadjutoribus parochorum, et de norma canonica eos constituendi.

Ex dictis supra, nequit removeri parochus per depositionem seu privationem beneficii nisi ob grave delictum. Exigit tamen animarum spirituale bonum, ut ipsi non relinquatur parochiæ administratio, quando huic officio evasit impar, etiam citra omnem culpam suam, verbi gratia, ex infirmitate vel senio. Hinc a legibus ecclesiasticis statutæ coadjutoria; quarum hic quoad parochos exponenda norma.

CAPUT I.

QUID SIT ET QUOTUPLEX COADJUTORIA.

1° « Coadjutoria est facultas, ex causa, auctoritate juris « vel judicis cuipiam concessa, adjuvandi Prælatum, vel « alium beneficiatum, in ecclesiæ vel beneficii regimine. » Hanc definitionem tradit Ferraris (verbo *Coadjutor*, n. 1); et addit eam esse, quoad sensum, communiter apud doctores receptam.

2° Accurate distinguendi sunt coadjutores *proprie dicti*, a coadjutoribus *improprie dictis*. Non enim omnis qui Episcopum, vel parochum, vel canonicum adjuvat, ideo est, in sensu juris, Episcopi, parochive, aut canonici coadjutor. Sed ut quis sit in vero et stricto sensu Episcopi (verbi gratia) coadjutor, necesse est ut constituatur a superiore ejusdem Episcopi, et jus facultatemque adjuvandi Episcopum ab illo superiore recipiat. Hinc vicarius generalis Episcopi, etsi largo quodam sensu dici queat ipsius coadjutor; quia de facto eum adjuvat, in sensu tamen juris nequaquam est, aut

dici potest coadjutor : siquidem non a superiore Episcopi deputatur, sed eum sibi Episcopus libere eligit, et libere eum amovere potest. Item quando Episcopus ob parochi senium infirmitatesve, aut alias a jure determinatas causas, aliquem ei adjungit, cum facultate et potestate illum in exercitio curæ adjuvandi, is verus est parochi coadjutor. Atvero quando parochus, ob populi multitudinem (quæ non est causa canonica, ut suo loco dicemus, ob quam possit Episcopus coadjutorem dare), vel libere, vel coactus ab Episcopo, sibi eligit et assumit sacerdotem, qui eum adjuvet, is stricto sensu coadjutor non est. Cum nempe ejusmodi adjutores, etsi ab Episcopo approbari debeant, eligi tamen et nominari possint a parochis, ipsi (ut suo loco infra probamus) deficiunt a dicto essentiali ad verum coadjutorem constituendum requisito, quod scilicet auctoritate superioris deputentur. Et revera, quamvis nonnunquam largo sensu coadjutores vocentur ejusmodi auxiliatores, rectius tamen aliis nominibus designantur ; et in Gallia *vicarii* parochorum nuncupari solent.

3° Hinc coadjutor parochi definiri potest : *Sacerdos ad auxiliandum parocho in exercitio curæ, Ordinarii auctoritate deputatus, ex causis a jure determinatis.* Dicimus *ex causis a jure determinatis,* quia nequit Episcopus, nisi ob illas causas coadjutorem porocho dare; ac proinde datus extra illas causas, non esset legitimus, nec proinde verus coadjutor. Hac definitione non comprehenduntur præfati *vicarii* parochorum ; tum quia hos sibi assumit ipse parochus, et approbat dumtaxat Episcopus (ut suo loco dicemus) ; tum quia adjunguntur parocho, non ob perennem ejus infirmitatem, aliamve sufficientem constituendæ coadjutoriæ causam ; sed plerumque ob nimiam populi multitudinem, quæ non est una ex causis canonicis, quæ locum dent constituendo coadjutori.

4° Iterum distinguuntur coadjutores, in *temporales*, sive absque futura successione, et *perpetuos* seu cum futura successione.

CAPUT II.

QUIBUS EX CAUSIS PAROCHO DARI POSSIT COADJUTOR.

Propositio I^a^. — *Magna populi multitudo non est causa legitima, ob quam parocho dari possit coadjutor.* — Id evincitur 1° argumento negativo : ex eo quod scilicet nullibi in jure causa hæc designetur tanquam sufficiens, ad ejusmodi coadjutorem constituendum.

Evincitur 2° argumento positivo : nempe ex eo quod in hoc casu jus alio remedio utendum præscripserit. Etenim Tridentinum concilium (sess. 21, c. 4) sic decernit : « Episcopi, « etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus ec- « clesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus « ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere eccle- « siasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino pera- « gendo, cogant rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot « sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad « sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. » Ergo in dicto casu non debet Episcopus coadjutorem parocho dare ; sed eum cogere ut ipse sibi sufficientem vicariorum numerum assumat. Qui tamen vicarii, ut alibi disponitur, approbari debent ab Episcopo.

Evincitur 3° ex communi doctorum sententia : inter quos sic Leurenius (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 154, n. 4) ; « Ubi in ecclesiis parochialibus, vel etiam baptismalibus, po- « pulus ita fit numerosus, ut unus rector non possit sufficere « ecclesiasticis sacramentis ministrandis, vel pluribus infir- « mis providendis, et divino cultui peragendo, non est causa « sufficiens dividendi parochiam, aut constituendi aliam cum « præcedentis præjudicio, *neque etiam erigendi coadju- « toriam* ; sed in vim concilii Tridentini (sess. 21, c. 4), co- « gendi per Ordinarium rectores, vel alii ad quos spectat, « ad adjungendum sibi tot sacerdotes, quot sufficiant ad mi- « nistranda sacramenta, et cultum divinum peragendum (Lot-

« terus..., Barbosa..., Corradus..., citantes desuper decla-
« rationem Sacræ Congregationis). »

Propositio IIª. — *Quando parochus, ex aliqua perenni corporis aut animi infirmitate, jam nequit parochiam suam recte regere, dari ei potest et debet coadjutor.* — In admittenda hac nostra conclusione unanimes sunt doctores. Inter quos sic Barbosa (*de Parocho,* cum addit. Giraldi, cap. 23, n.) 1 : « Temporalis coadjutor et revocabilis dari solet ecclesiæ « rectori, ob ægritudinem, vel infirmitatem animi seu cor- « poris, facto inutili, et ministrare impotenti ; ut pro eo mi- « nistret et officium exerceat, cum congrua portione ex red- « ditibus beneficii ei assignanda. »

Item Ferraris (verbo *Coadjutor*, n. 11) causas enumerando ob quas sive parochis, sive aliis generatim clericis coadjutores dari possunt, sic habet : « Coadjutor ob varias causas « dari potest et solet. *Primo*, datur coadjutor simpliciter et « sine futura successione clericis ob morbum incurabilem « et perpetuum (cap. *Ex parte* 5, *de Clerico ægrotante;* cap. « *Pastoralis, de Clerico ægrotante*, in 6). Secus dicendum, si « morbus sit curabilis et temporalis ; tunc enim ipsemet cle- « ricus ægrotus poterit sibi vicarium temporalem consti- « tuere pro tempore morbi durantis (arguitur capite *Adjici-* « *mus* 19, causæ 16, q. 1 ; juncto concilio Tridentino, sess. « 21, c. 1, *de Ref.*)... *Secundo* propter lepram.... *Tertio* da- « tur coadjutor beneficiato propter amissum linguæ usum « (capite *Consultationibus* 6, *de Clerico ægrotante*). *Quarto* « dandus est coadjutor clerico beneficiato propter ejus amen- « tiam (capite *Quamvis* 14, causæ 7, q, 1, cap. *Pastoralis,* « *de Clerico ægr.*, in 6). *Quinto* datur coadjutor propter se- « nectutem, qua ipse reddatur perpetuo inutilis ad execu- « tionem officiorum suorum (capite *Petiisti* 17, q. 1 : et dic- « to capite *Pastoralis*). » Circa hanc Ferrarii enumerationem advertas, 1° causas illas omnes reduci ad *infirmitatem animi vel corporis*, non quidem transitoriam, sed *perennem*, seu quæ permansura prævideatur ; ac proinde eas comprehendi sub thesis nostræ formula ; 2° concordare canonistas in enumerandis iisdem causis tanquam sufficientibus, ut possit coadjutor a superiore deputari; 3° cum ex officio suo

teneatur Episcopus providere ne parochia detrimentum patiatur, teneri eum, dictis existentibus causis, coadjutorem parocho dare, regulariter saltem loquendo ; id est, nisi alio medio parochiani succurri melius posse circumstantiæ suadeant; 4° textus juris, qui afferri solent quoad singulas ex dictis causis, etsi expresse non loquantur omnes de parochorum coadjutoribus, sed quidam Episcopis, quidam archidiaconis dandos coadjutores respiciant, recte tamen a canonistis applicari parochorum coadjutoribus, ob rationis paritatem.

Cæterum, prætermissis etiam juris textibus, ex sola ipsa episcopalis muneris ratione colligi potest illa Episcoporum potestas coadjutores dandi parochis, qui ex dicta infirmitatis causa explendo officio suo impares evaserunt. Instructus enim esse debet Episcopus necessaria potestate, ut parochia, cujus curam habere jam parochus nequit, detrimentum non patiatur. Poterit proinde Episcopus providere, ut tali parocho aliquis substituatur, qui vices ejus gerat. Hæc autem substitutio fieri nequit, ut dictum est, parochum deponendo et successorem proprie dictum constituendo. Remanet ergo ut, vel parochus ipse sibi, vel Episcopus parocho aliquem adjungat: porro prius medium satis aptum quidem est, quando parochus, mente et corpore validus, adjutore dumtaxat indiget ob nimiam populi multitudinem ; nec mirum in hoc casu ipsi parocho a jure relictam fuisse adjutoris seu vicarii sui electionem. Atvero quando ex senio, corporisve et præsertim mentis infirmitate, regendæ parochiæ impar factus est parochus, nemo non videt aptum eum hoc ipso non esse, ad recte eligendum adjutorem suum. Ergo tunc pertinere debet hæc electio et deputatio ad Episcopum. Jam vero sacerdos, *auctoritate Episcopi* adjunctus parocho ad ei auxiliandum, est hoc ipso, non simplex parochi vicarius, sed proprie dictus coadjutor. Ergo in dicto casu infirmi parochi, ad Episcopum pertinere debet eidem coadjutorem dandi potestas.

Propositio III^a^. — *Potest insuper dari coadjutor illi parocho, qui necessaria ad officium suum scientia destitutus reperitur.* — Constat ex capite 6 sessionis 21 Tridentini concilii,

ubi in hunc modum id decernitur: « Quia illitterati et imperiti « parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt « officiis;... Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis dele- « gati, eisdem illitteratis et imperitis, si alias honestæ vitæ « sint, coadjutores, aut vicarios pro tempore deputare, par- « temque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, « vel aliter providere possint; quacumque appellatione et « exemptione remota. » Hac lege Tridentina attinguntur etiam parochi exempti, cum Episcopis tribuatur dicta potestas *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis;* quod notatum vide apud Barbosam *(de Parocho* cum *Addit.* Giraldi, c. 22, n, 8).

Propositio IV[a]. — *Potest Episcopus parochos, etsi jam a se vel prædecessoribus examinatos, ad examen vocare, ut videat num requisita scientia destituantur; modo tamen contra eos publice vigeat ignorantiæ suspicio.* — Ex eo quod Episcopo Tridentina synodus potestatem tribuerit coadjutores dandi parochis ob imperitiæ causam, inferunt doctores, « posse Episcopum ad examen vocare parochos, ut ei per « experientiam innotescat, an illorum scientia sit extenuata, « et boni mores mutati; nam quamvis a principio collatio- « nis parochialis beneficii scientia parochorum fuerit nota, « decursu temporis diminui potest. » (Barbosa, *de Parocho*, cap. 22, n. 10.) Cum tamen durum videretur parochos semel examinatos et approbatos sic ad examen iterum vocari posse pro arbitrio Episcopi, varia orta sunt, et ad Sacram Congregationem Concilii transmissa dubia; quorum decisionem transcribimus ex Giraldo (*Additamenta ad Barbosam, de Parocho*, cap 22, n. 10):

1. Quoad parochos, etiam regulares, a prædecessore Episcopo constitutos, Sacra Congregatio die 26 augusti 1628 censuit: *Episcopos successores posse, superveniente rationabili causa, iterum ex officio, etiam extra visitationem, examinare parochos, alias ad ecclesias parochiales approbatos* (libro 13 decretorum, folio 520, a tergo). Item quoad eosdem parochos, die 13 januarii 1635, Sacra Congregatio respondit: *Episcopos successores. superveniente rationabili causa, posse, etiam ex officio, iterum examinare, tam in visitatione quam*

extra, parochos, quamvis regulares, approbatos tempore provisionis parochialium (libro 15, folio 146 a tergo). « Ad quo-
« rum examen devenire potest Episcopus etiam pro libito, et
« pro sola quiete conscientiæ suæ, quemadmodum et ipsum
« sacræ Rotæ tribunal constituit, decisione 257 parte 19 *Re-*
« *centiorum*, n. 5. » (Giraldi, loco citato.)

II. Quoad parochos ab eodem Episcopo in præcedenti examine approbatos, Sacra Congregatio Concilii, die 22 septembris 1668, Pampilonensi Episcopo respondit in hunc modum : *Cum sub die 14 januarii 1667, ad instantiam Episcopi Pampilonensis a Sacra Congregatione resolutum fuerit,* 1° *posse Episcopum examinare parochos et rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia;* 2° *posse ad hujusmodi examen procedere etiam extra visitationem;* 3° *ad dictum examen faciendum haud necesse esse ut judiciales probationes imperitiæ præcedant : nunc supplicat Episcopus ipse, per hanc Sacram Congregationem ulterius declarari, an in actis visitationis diœcesis possit Episcopus examinare parochos quotquot visitat, etiamsi contra illos, vel aliquem ipsorum non vigeat suspicio imperitiæ. — Sacra Congregatio*, 22 *septembris* 1668, *respondit negative.*

Ex hac ultima decisione sic infert Benedictus XIV (*Inst. eccles.* 60, sub finem) : « Atque ita pro novo examine sola
« conscientiæ sedandæ ratio non sufficit : insuper necesse
« est, ut is rumor palam in omnes emanaverit, parochum,
« eorum quæ ad curam animarum gerendam pertinent, me-
« moriam amisisse, et ob socordiam pro sustinenda tam
« gravi provincia esse imperitum ; sicut Patres Sacræ Rotæ
« accurate perpenderunt, decisione 527, parte 19 recent., n.
« 16 et seq. »

Ex his porro documentis veram probari thesim nostram, satis per se patet.

CAPUT III.

QUALIS COADJUTOR PAROCHO DARI POSSIT AUT DEBEAT.

Propositio I[a]. — *Episcopus parocho dare nequit coadjutorem cum futura successione.* — Nam Tridentina synodus (sess. 25, c. 7) coadjutorias cum futura successione proscripsit ; et ab ea generali proscriptione unicam admisit exceptionem ; quoad Episcopos nempe et Abbates, ex urgentis necessitatis, vel evidentis utilitatis causa. En decreti verba : « In coadjutoriis quoque cum futura successione idem pos- « thac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ec- « clesiasticis permittatur. Quod si quando ecclesiæ cathe- « dralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens uti- « litas postulet Prælato dari coadjutorem, is non alias cum « futura successione detur, quam hæc causa prius diligenter « a sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates « omnes in illo concurrere certum sit, quæ a jure et decretis « hujus sanctæ synodi in Episcopis et Prælatis requirun- « tur. » Ex hac generali Ecclesiæ lege sequitur, non posse Episcopum parochis canonicisve dare coadjutores cum futura successione; sed ad ejusmodi coadjutorias concedendas (ubi id ex specialibus circumstantiis opportunum videretur) requiri potestatem quæ sit supra canones, nempe Pontificiam.

Cæterum neque in jure ante Tridentinam synodum vigente ullum reperire est fundamentum, quo dictæ coadjutoriæ cum futura successione fulciantur; sed ex consuetudine tantum (prout passim adnotant canonistæ) hujusmodi coadjutoriæ inductæ fuerant. Unde Tridentini Patres eas proscribendo, juri antiquo scripto non derogarunt, sed jus illud confirmarunt. Imo derogasse potius censendi sunt admittendo præfatam exceptionem quoad Episcopos et monasteriorum Prælatos. Quam doctrinam de coadjutoria *perpetua*, seu cum futura successione, communiter traditam reperies a doctoribus; inter quos sic Ferraris (verbo *Coadjutor*, n. 3) : « Hæc ex

« stylo est adinventa (ut apud Cassiodorum, decisione 2, n. 2
« *de Restit. spoliatorum*; Fagnanum, in caput *Ex parte, de*
« *Clerico ægrot.*, n. 15); cum talis coadjutoria sit sacris ca-
« nonibus inimica, et odiosa (capite *Accepimus 5, de Pactis ;*
« capite *Nulla 2, de Concessione præb.;* capite *Detestanda*
« 2, et capite *Ne captandæ* 3, *de Concessione præbendæ*, in 6) ;
« et expresse prohibita a concilio Tridentino (sess. 25, c. 7).
« Unde coadjutoria perpetua cum futura successione, utpote
« sacris canonibus odiosa, et Patrum decretis contraria con-
« cedi non potest nisi per Papam; cum ipse solus secundum
« plenitudinem potestatis de jure possit supra jus dispensare
« (capite *Proposuit* 4, *de Concessione præbendæ,* ibi : *Qui se-*
« *cundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra*
« *jus dispensare*). Hinc fit quod talis coadjutoria cum futura
« successione nequeat concedi neque a Cardinali Legato seu
« Nuntio. »

Propositio II[a]. — *Coadjutor habere debet qualitates quas requirit officium pro quo datur.* — Sequitur ex eo quod et ipse conjunctim cum coadjuto officium illud explere debeat : imo et solus officio illud fungi debebit, si coadjutus omnino inhabilis efficiatur. Hinc in admittenda proposita thesi concordant doctores ; inter quos sic Ferraris (verbo *Coadjutor*, n. 18) : « Coadjutor debet habere omnes qualitates de jure
« requisitas ad illud officium pro quo datur. Sic expresse
« statuit concilium Tridentinum (sess. 25, c. 7). Unde debet
« esse constitutus in illa ætate, quæ ad obtinendum illud be-
« neficium, seu ecclesiam requiritur (Rota..., Gonzalez...,
« Garcias.., Barbosa... et alii passim). Et si coadjutor datur
« in spiritualibus parocho, verbi gratia, aut Episcopo, debet
« habere scientiam et prudentiam, qua sciat populum regere,
« parochiam vel diœcesim gubernare, animarumque sibi
« commissarum saluti prospicere... »

CAPUT IV.

AN REQUIRATUR CONSENSUS PAROCHI UT IPSI DARI POSSIT COADJUTOR ; ET NUM APPELLARE POSSIT, SI INVITO SIBI COADJUTOR IMPONATUR.

Propositio I^a^. — *Potest Episcopus parochis, etiam invitis, coadjutores dare, ob causas canonicas supra expressas.*— Nam si agatur de dando coadjutore ex causa imperitiæ, id fieri posse etiam renitente parocho, patet ex ipsis verbis Tridentini decreti, *quacumque appellatione remota.* Qui enim appellat, profecto non consentit. Cum ergo dari possit coadjutor parocho, non obstante ejus appellatione, dari utique potest ipsi non consentienti, seu invito. Idem autem dicendum, casu quo dandus sit coadjutor ob corporis animive permanentem infirmitatem. Nequaquam scilicet requiritur etiam tunc parochi consensus. Nam textus juris qui dandum in hoc casu coadjutorem decernunt, minime tanquam conditionem hunc consensum requirunt ; sed absolute loquuntur ; verbi gratia, capite *de Rectoribus (3 de Clerico ægrot.*) absolute dicitur, *eis dandus est coadjutor.* Et præterea si lex voluisset id ab arbitrio coadjuvandi parochi pendere, inutile erat quidquam decernere; siquidem quod possit dari coadjutor parocho in id consentienti dubium esse nequit. Insuper nisi etiam invitis parochis posset Episcopus coadjutores dare, non attingeretur legis scopus, ut nempe ex infirmitate parochi detrimentum parochia non patiatur. Siquidem coadjutorem recusante parocho, huic malo Episcopus mederi non posset. Et tandem ita tenent unanimiter canonistæ. Unde ad Episcopum pertinet judicare, num ex senio aliave corporis aut mentis infirmitate, dari legitime possit coadjutor alicui parocho. Nec queri potest parochus quod sibi, nec audito, nec consentienti, coadjutor datus sit ; qui in hoc Episcopus jure suo utitur. Quod si prætendat parochus non adesse sufficientem causam canonicam, appellare quidem ab Episcopi decreto poterit, prout sequenti propositione dicimus ; non autem ex eo capite

decretum oppugnare, quod sibi non consentienti coadjutor datus sit.

Propositio II[a]. — *A decreto Episcopi coadjutorem dantis appellare potest parochus ad effectum devolutivum tantum, si ob causam imperitiæ coadjutor datus sit: ad utrumque autem effectum, si ob causam infirmitatis animi aut corporis.*— Est principium certum, posse quemlibet, qui se gravatum existimat, appellare, et quidem quoad effectum etiam suspensivum, exceptis iis casibus, in quibus lex appellationis beneficium expresse denegat. Porro quoad casum dati coadjutoris *ex infirmitatis causa*, nullibi reperio in jure sublatam appellationem : unde concludendum videtur, in hoc casu parochum appellare posse, cum effectu, non tantum devolutivo, sed etiam suspensivo ; ita scilicet ut, interjecta appellatione, decretum suum nequeat Episcopus executioni mandare; sed expectare debeat superioris judicis sententiam.

In casu autem dati coadjutoris ob *imperitiæ causam*, dicimus appellare quidem posse parochum, sed ad devolutivum dumtaxat effectum. Nam in hoc casu dari posse coadjutorem decrevit Tridentina synodus, *quacumque appellatione remota*. Porro per talem formulam auferri appellationem in suspensivo dumtaxat, non autem in devolutivo, tenent doctores unanimiter ; et nos ipsi probavimus in tractatu *de Judiciis ecclesiasticis*, ubi de appellatione disseruimus. Atque ita decisum a Sacra Congregatione Concilii adnotat Barbosa his verbis : « Per illud decretum tollitur appellatio ad effec« tum suspensivum, sed non devolutivum; ut ex Sacræ « Congregationis et Rotæ decisionibus probat Garcias » (*de Parocho*, capite. 22, n. 10).

Hinc si ob dictam imperitiæ causam coadjutorem parocho dederit Episcopus, appellare quidem poterit parochus ; sed non obstante hac appellatione, liberum erit Episcopo decretum suum ad executionem deducere, quin attentati vitium incurrat.

CAPUT V.

CONGRUA COADJUTORIS QUOMODO DETERMINANDA, ET UNDE SIT DESUMENDA.

I. Quando parochiæ proventus sufficere possunt ad convenientem sustentationem tam coadjuti, quam coadjutoris, ex iis proventibus seu fructibus desumenda est coadjutoris portio congrua. « Et in hoc conveniunt omnes doctores, » ait Ferraris (verbo *Coadjutor*, n. 32). Vide ibidem textus juris, ad hoc firmandum adduci solitos (1).

II. Quando parochiæ proventus ad amborum sustentationem non sufficiunt, an primum providendum sit coadjuto, an vero potius coadjutori, res est apud canonistas disputata (Ferraris, ibid., n. 33). Sed *communior* sententia est, præferendum esse coadjutum (ibid., n. 35). Ipsi proinde primum est de fructibus parochiæ providendum. Coadjutori vero ut sequitur.

III. « Si redditus ecclesiæ pro utroque non sufficiant, tunc « coadjutori, pro quanto adhuc ipsi ad congruam sustenta- « tionem deficiet, providebit Episcopus, in quantum sibi « possibile erit. » (Ferraris, ibid., n. 40.)

IV. « Si nullo modo id Episcopus præstare sufficiat, tunc « auctoritate ejusdem Episcopi erit cogendus populus ad co- « adjutori necessaria præbenda » (ibidem, n. 41). Id autem concludit Ferraris, tum ex aliis juris textibus, tum præcipue ex capite 4 sessionis 22 Tridentinæ synodi, « ubi statuitur, « quod si reditus ecclesiæ non sufficiant pro sacerdotibus pa- « rochialium noviter erectarum, cogi possit populus ea sub- « ministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum

(1) In Gallia nonnullis decretis a sæculari potestate editis determinata est congrua æconomo seu procurato attribuenda, et desumenda e pensione quam gubernium parocho solvit. Quæ taxatio est ea ipsa quam Episcopus juste determinare posset et deberet. Vide tractatum *de Judiciis*, tom. 2, pag. 359.

« sustentandam. » Cæterum ita decisum fuisse in quadam causa *Theatina* refert Fagnanus (in caput *de Rectoribus* 3, *de Clerico ægrotante*, n. 13). Et esse communem doctorum sententiam, vide apud Ferrarium, loco citato.

V, Quod autem ad Episcopum pertineat coadjutoris congruam taxare, extra omnem controversiam est.

VI. Ab ea taxatione non poterit appellare quoad effectum suspensivum parochus ille, cui datur coadjutor *propter imperitiam*. Siquidem in decreto Tridentino (sess. 21), c.6, hunc casum respiciente, apponitur clausula, *quacumque appellatione remota:* quibus verbis tollitur appellatio, non quidem devolutiva, sed suspensiva, ut alibi diximus.

VII. Quando autem ob alias causas canonicas datur coadjutor, non reperitur apposita illa clausula. Unde videtur, posse tunc parochum quoad utrumque effectum appellare a taxatione congruæ, coadjutori assignatæ, si hæc pinguior sit, et ipsi plus æquo præjudicet.

CAPUT VI.

QUID POSSIT, ET AD QUID TENEATUR COADJUTOR PAROCHI.

I. Cum ideo deputetur coadjutor ut parocho in obeundis muniis parochialibus supplere possit, ex facto ipso deputationis, censenda est collata ipsi jurisdictio fori pœnitentialis. Item censenda est facta illi delegatio, ut valide matrimoniis assistere possit.

II. Si parochus omnino inhabilis evaserit (verbi gratia, si usum rationis amiserit), ad coadjutorem pertinet parochiam regere, perinde ac si ipse parochus esset.

III. Nequit coadjutor ea munia obire, quæ coadjutus potest vult per se ipsum explere.

IV. Impedito parocho, tenetur coadjutor supplere, prout

requirit debita animarum cura. (Vide Leurenium, tractatus *de Coadjutoriis,* q. 380, n. 2.)

V. Coadjutor requisitus a coadjuto, ut aliquod munus parochiale obeat, tenetur id præstare; quamvis coadjutus, nequaquam impeditus, illud ipsum possit ipse peragere. Vide Leurenium, loco citato, n. 3.

VI. *Tam coadjutor, quam coadjutus parochus ad residentiam tenentur.* — Id traditur unanimiter a canonistis; et fuit a Sacra Congregatione Concilii decisum; prout inter alios testatur Barbosa in hunc modum : « Tenentur coad-« jutores hujusmodi ad personalem residentiam, sicut rec-« tores ipsi, ut censuit Sacra Congregatio Concilii... Tenen-« tur etiam coadjuti residere. Licet enim coadjutor ratione « infirmitatis parochi ei datus fuisset, nihilominus parochus « coadjutus debet residere in loco, ubi sita est ecclesia pa-« rochialis, sicut declaravit eadem Sacra Congregatio Con-« cilii... Sic etiam si coadjutor detur inhabili et illitterato, « coadjutus per hoc abesse non poterit, ne sit melioris condi-« tionis stultus quam litteratus : eadem Sacra Congrega-« tio. » (Barbosa, *de Parocho*, cum *Addit.* Giraldi, cap. 22, n. 14 et 15.)

Ferraris (voce *Coadjutor.* n. 37) refert obligationem residendi quoad parochum coadjutum decisam fuisse his verbis *Propter deputationem coadiutoris, parochus, cui datur, non poterit abesse a residentia.*

PARS IV

QUID POSSINT PAROCHI,

SEU

de ipsorum juribus et prærogativis.

Dicemus 1° de distinctione inter jura parochialia, functiones parochiales, et functiones mere sacerdotales ; 2° de jure parochorum nominandi et amovendi vicarios seu adjutores suos ; 3° de jure parochi quoad baptismata ; 4° quoad sacramentum pœnitentiæ ; 5° quoad sacramentum Eucharistiæ ; 6° an et quatenus possit parochus binas missas eodem die celebrare ; 7° de jure parochi quoad matrimonia ; 8° quoad viaticum et extremam-unctionem ; 9° quoad oblationes ; 10° quoad funeralia ; 11° quænam sint functiones parochiales, id est, quæ nonnisi a parocho, aut de ipsius licentia peragi possunt ; 12° de jure parochorum quoad stolæ delationem ; 13° quoad benedictionem solemnem per verba *sit nomen Domini benedictum ;* 14° de potestate parochi dispensandi a jejunio, abstinentia, et a præcepto servilia opera diebus festis prohibente ; 15° de jure parochorum quoad confraternitates ; 16° quoad regulares 17° quoad varia, superius non recensita.

CAPUT I.

DE DISTINCTIONE INTER JURA PAROCHIALIA, FUNCTIONES PAROCHIALES, ET FUNCTIONES MERE SACERDOTALES.

Nulla fere materia tot litibus et dubiis ortum dedit, quam ea, de qua nunc nobis agendum, jura et munia parochorum propria respiciens. In ea vero excutienda constans fuit doctorum praxis, ut inter *jura parochialia* et *functiones parochiales* distinctionem instituerent ; quamvis potuissent ejusmodi functiones sub jurium parochialium denominatione comprehendere, cum et ipsæ jus aliquod parochorum constituant. Cum autem distinctioni huic Romanæ congregationes, in suis hac de re edendis variis decretis et declarationibus, sese accommodaverint (ut infra patebit), ad eam omnino est attendendum. Unde hic præmittendum duximus, quid per jura parochialia et per functiones parochiales, quatenus hæc duo inter se contradistinguuntur, intelligi soleat.

§ I.

Quid strictiori sensu per jura parochialia intelligatur

Solent doctores ea potissimum quæ parocho *utilitatem* adferunt non autem quamdam duntaxat præeminentiam seu honorem, *jurium parochialium* nomine, strictiore veluti sensu, complecti. Quorum jurium catalogum olim contexit Abbas Panormitanus (*de Parochiis*, n. 2), in nonnullis hodie deficientem, ob mutatum postea commune jus. Cæteri autem recentiores canonistæ in conficienda ejusmodi jurium parochialium enumeratione concordant. Inter quos sic Leurenius : « Jus parochiale consistit in pluribus : nimirum in obliga-
« tione parochianorum recipiendi in Ecclesia parochiali sa-

« cramentum Eucharistiæ in paschate; aliaque sacramenta « conferenda moribundis, puta, eucharistiam pro viatico, « et extremam-unctionem ; in jure funerandi et sepulturæ ; in « jure percipiendi oblationes, et decimandi » (*Forum bene-* « *ficiale*, parte 1, q. 449). Vide etiam Cardinalem de Luca « (*de Parochis*, discursu 31, n. 8).

Etsi autem communiter recepta sit hæc jurium parochialium enumeratio, non tamen pro completa habenda videtur. Sunt enim alia parochorum jura, quæ parochialibus functionibus minus apte adscriberentur; verbi gratia, jus administrandi temporalia ecclesiæ suæ bona, interessendi diœcesanæ synodo, etc.

§ II.

Quid per parochiales functiones seu parochialia munia soleat intelligi.

« Præter jura parochialia, quæ cum utilitate parochorum » plerumque conjunguntur, et de quibus canonum interpre- « tes frequenter verba faciunt, *munia* quoque parochialia re- « censentur ; quæ ita dicta sunt, eo quod ad parochos reipsa « pertineant, aut illis saltem conveniant, vel ob naturam « munerum, quæ cum juribus parochialibus omnino co- « pulantur, vel ob dignitatem et conjunctionem quam habent « parochi cum pastorali officio, cujus causa parochus vices « Episcopi gerit et exhibet. » (Cardinalis Colloredus, apud « Benedictum XIV, institutione 105, n. 91.) « Jura vero quæ « honorifica sunt et præeminentialia, et quæ vere et proprie « versantur circa functiones ecclesiasticas, improprie dictas « functiones parochiales, distinguuntur a juribus parochiali- « bus ; et ea sunt quæ in earum exercitio præ se ferunt quam- « dam honorificentiam et præeminentiam » (apud Benedictum XIV, loco citato, n. 103). Ejusmodi parochiales functiones enumerat Barbosa in suo tractatu *de Officio parochi*, capite 12. Sed cum hac de re varia, atque inter se pugnantia, non tantum canonistæ scripserint, sed et congregationes Romanæ olim declaraverint, ad determinandum quænam functio-

nes privative ad parochos pertineant, standum præcipue est decreto generali Sacræ Congregationis Rituum diei 10 decembris 1703, quod ad tollendas ejusmodi contrarietates summa cura confectum est, et a Sede Apostolica confirmatum. De qua parochialium functionum recta enumeratione tractamus infra. Hic vero voluimus dumtaxat lectorem præmonere, quid per jura parochialia, et quid per functiones parochiales soleant doctores intelligere. Cæterum eas functiones, quæ ab aliis etiam presbyteriis, absque parochi assensu, peragi possunt, *mere sacerdotales* vocabimus, ad distinctionem earum quæ solis parochis competunt.

In sequentibus porro capitibus, singula parochialia jura perlustrabimus. Tum ad functiones etiam parochiales gradum faciemus, atque enodandæ huic intricatissimæ juris sacri quæstioni adlaborabimus.

CAPUT II.

DE JURE PAROCHORUM NOMINANDI ET AMOVENDI VICARIOS, SEU ADJUTORES SUOS.

Gravissimam illam quæstionem expediemus hoc ordine: 1° parochorum coadjutores seu cooperatores in duplicem classem distinguemus. 2° Probabimus ad Episcopum spectare nominationem seu deputationem coadjutorum proprie dictorum; id est, qui parocho adjunguntur ex causa infirmitatis aut inscitiæ. 3° Nominationem vero coadjutorum improprie dictorum (qui nempe constituuntur ex causa numerosioris populi, quique in Gallia vocari solent vicarii) pertinere ad ipsummet parochum, non ad Episcopum. 4° Vicarios tamen a parocho sibi electos, esse ab Episcopo approbandos. 5° Expendemus quomodo eorumdem vicariorum amotio ad parochum pertineat, et quomodo ad Episcopum. 6° Nonnulla adnotabimus de hodierna Galliarum praxi quoad ejusmodi vicarios seu adjutores parochorum.

§ I.

Distinguendi sunt duplicis speciei coadjutores parochorum.

I. Ea vox *coadjutor* in jure atque apud canonistas passim occurrit duplici sensu relative ad parochos usurpata. *Primo* nempe, et quidem stricto sensu, quando agitur de illo cooperatore, qui parocho datur, eo quod is, sive ob aliquam perennem animi aut corporis infirmitatem, sive ob necessariæ scientiæ defectum, reperitur inhabilis ad gerendam convenienter animarum curam. Hoc sensu, verbi gratia, capite *de Rectoribus* (3, tituli 6, libri 3 decretalium), de parochis lepra laborantibus dicitur: *eis dandus est coadjutor, qui curam habeat animarum, et de facultatibus ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipiat portionem.* Et generatim quando ob senium, aliamve perennem animi aut corporis infirmitatem datur parocho auxiliator, qui in administratione curæ suppleat, hic coadjutoris nomine solet a doctoribus designari. Item ob causam imperitiæ ejusmodi *coadjutores sive vicarios* ab Episcopo dari posse parochis, decrevit Tridentina synodus (sess. 21, cap. 6). *Secundo* hoc etiam *coadjutorum* vocabulo frequenter utuntur canonistæ ad designandos eos sacerdotes, qui deputantur ad auxiliandum parocho, non ex eo quod is infirmus sit aut inhabilis, sed quod ita numerosus sit populus, ut solus parochus ministrandis sacramentis sufficere nequeat. Hæc vero posterior coadjutorum classis valde differt a priori, quoad effectus juris, ut mox dicemus. Imo coadjutorum denominatio priori classi censetur propria; nec ad posteriorem extenditur nisi largo quodam sensu. Hinc sæpe etiam hujus posterioris classis auxiliatores, vocantur parochorum *vicarii;* quæ denominatio in Gallia præsertim generaliter obtinet. Item et aliis passim nominibus nuncupantur, verbi gratia, *cappellanorum,* quando simul de aliqua cappellania sunt provisi; auxiliatorum, adjutorum: et Parisiis, non a multo tempore, vocabantur *sacerdotes administratores*, ex præcipuo nempe eorum officio,

parochum adjuvandi eique supplendi in sacramentorum administratione. Quæ ultima denominatio satis congruit modo loquendi Tridentinæ synodi, dum (sess. 21, cap. 4) decernit ut « Episcopi, in omnibus ecclesiis parochialibus, in quibus « populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit suffi- « cere *sacramentis administrandis* et cultui divino pera- « gendo, cogant rectores sibi tot sacerdotes ad hoc munus « adjungere, quot sufficiant *ad sacramenta exhibenda*, et « cultum divinum celebrandum. »

II. Nobis sub præsenti capite agendum est, non de coadjutoribus stricte sumptis (de quibus disseruimus supra, parte 3, sectione 5), sed de altera sacerdotum parochis auxiliantium classe; quos, ad vitandam omnem ambiguitatem et confusionem, solo *vicariorum* seu *adjutorum* vocabulo designabimus. Et de his expendenda venit, inter alias, gravis quæstio, ad quem pertineat eorum nominatio atque remotio; an scilicet ad parochum, an ad Episcopum.

§ II.

Ad parochum pertinet adjutores vicarios suos sibi eligere et nominare, quamvis eorum approbatio spectet ad Episcopum.

Prænotanda. — 1° Præcipuus juris textus quo fundatur jus illud parochorum est caput 4 sessionis 21 Tridentini concilii, in quo sic decernitur : « Episcopi, etiam tanquam Apos- « tolicæ Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus « vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, « ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramen- « tis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rec- « tores, vel alios ad quos pertinet, *sibi tot sacerdotes ad hoc* « *munus adjungere*, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda « et cultum divinum celebrandum. »

2° Auctor quidam Gallicus, nomine Corgne (in suo libro *Défense des droits des Évêques*, tomo 2, pagina 417, edit. Parisiis 1768), ejusmodi vicariorum nominationem gnaviter conatus est Episcopis vindicare. Ad quem scopum, *primo*

fingit doctrinam contrariam fuisse Jansenistis veluti propriam. Excepto scilicet canonista Gibert, solos memorat jansenisticæ sectæ scriptores, et præsertim Van-Espenium, qui eam propugnaverint: pontificia autem documenta, necnon Sacræ Congregationis Concilii declarationes, et catholicorum doctorum sententiam, quæ doctrinam illam et communem probant, et certam (ut mox videbimus) faciunt, alto silentio prætermittit. *Secundo*, multa congerit, quæ adeo palam extra quæstionem vagantur, ut mirationem moveat hæc ab eo fidenter tanquam peremptorias probationes afferri. Adducit, verbi gratia, nonnullorum provincialium conciliorum statuta, quibus prohibentur parochi sibi vicarios constituere, nisi *idoneos et ab Episcopo approbatos* : de cujus approbationis necessitate nulla est difficultas. Item quibus Episcopo tribuitur potestas dandi *coadjutorem* parocho ob inscitiæ causam ; quod pariter a nullo in quæstionem vocatur, cum id expresse decreverit Tridentina synodus sessione 21, capite 6. Item quibus probatur, vicarium, a quo (vacante parochia, seu absente ad notabile tempus parocho) principaliter exercenda est animarum cura, esse ab Episcopo deputandum : de qua vicariorum specie nullatenus agitur; cum quæstio sit dumtaxat de vicariis, parocho residenti, valido, et sufficienter perito, auxilium præstantibus ob ingentem populi numerum. *Tertio* textum Tridentinum ita interpretatur, ut verba hæc *sibi adjungere sacerdotes* idem sonent ac *eis necessaria ad vitæ sustentationem suppeditare :* « Le concile de Trente n'a « voulu dire autre chose, sinon que les Évêques pourront « contraindre tous ceux qui sont ainsi chargés des paroisses, « de pourvoir à la subsistance des prêtres nécessaires... » (loco citato, pag. 432).

3° Verum est Jansenistas scriptores jus illud parochorum vicarios suos nominandi propugnasse; sed cum in hoc Romanis Pontificibus, Sacræ Congregationis Concilii declarationibus, et communi doctorum catholicorum sententiæ consonent, non est cur ideo doctrina hæc rejicienda videatur. Illam nos probabimus, non ex impuro Giberti, Van-Espenii, aliorumve id genus scriptorum fonte ; absit : sed ex auctoritatibus, quæ apud catholicum quemque vim habere, et

summa cum veneratione recipi mereantur. Quibus prænotatis, proposita thesis :

PROBATUR. *Ex ipso Tridentino textu.* — Dum scilicet decernunt Tridentini Patres, ut Episcopi parochos *cogant sibi* vicarios *adjungere*, aperte et æquivalenter nominationem hanc parochis ipsis tribuunt. Si enim debuisset nominatio hæc ab Episcopis fieri, non usi fuissent hac formula, *cogant parochos sibi adjungere* vicarios; bene vero hac altera, *parochis vicarios adjungant*. Imo si vicarius nominetur ab Episcopo, et sola Episcopi auctoritate deputetur et in parochia constituatur, jam non potest *cogi* parochus *ad adjungendum* sibi hunc vicarium ; siquidem ex ipsa Episcopi nominatione et deputatione jam est *adjunctus* et constitutus. Ut proinde dicendum sit, vel Tridentinos Patres absurda et ridicula formula usos fuisse (quod profecto dicere nefas est), vel *adjunctionem* vicariorum, seu quod idem est, eorum electionem et nominationem, ad parochos ipsos pertinere. Quod tamen non impedit, quin debeant, ut dicetur infra, ejusmodi vicarii a parochis assumpti, approbationem ab Episcopo prius obtinere, quam officium suum exercere valeant. Sed etiamsi non foret adeo apertus et obvius hic tridentinorum verborum sensus, indubitatum eum fecissent sequentes auctoritates. Nempe.

PROBATUR II. — *Ex constitutionibus* APOSTOLICI MUNERIS *Innocentii XIII, et* IN SUPREMO *Benedicti XIII.* — Dicta Innocentii XIII constitutio, § 11, sic habet : « Quoties itaque « in aliis parochialibus ecclesiis, quæ, ut præfertur, unitæ « non sint, oportuerit ex aliqua justa causa provideri per « coadjutores parochorum, aut per vicarios temporarios; « curæ erit Episcopis, pro data sibi a Tridentina synodo po- « testate, partem fructuum prædictis coadjutoribus aut vi- « cariis assignandam determinare... *Quod si parochi ab Epis- « copis moniti, congruo iisdem termino præfixo, coadjutores, « sive vicarios temporarios*, quoties opus fuerit, *assumere ne- « glexerint, poterunt ipsi Episcopi* eos, quos huic muneri « idoneos censuerint, *auctoritate propria deputare*, cum as- « signatione ante dictæ portionis fructuum. Et nihilominus, « ubi etiam prædicti coadjutores aut vicarii temporales a

« parochis *nominati vel assumpti* fuerint, eorum de idonei-
« tate Episcopis constare per examen debeat, antequam ad
« exercitium admittantur; nec satis sit, quod ad confessio-
« nes audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qua-
« litatibus, ad curam animarum recte exercendam oppor-
« tunis, prædiți noscantur. Quibus si careant, *nec parochi*
« *deinde intra alium similem terminum, ab Episcopis præ-*
« *figendum, alios vere idoneos nominaverint, tunc pariter*
« *ad ipsos Episcopos libere spectet deputatio*, cum dicta con-
« gruæ assignatione... Verum quia non satis animarum cu-
« ræ et necessitatibus quandoque consultum est per hoc,
« quod ad obeunda parochialia munia alii sacerdotes paro-
« chis adjungantur, sed majora remedia adhiberi oportet...,
« etc. » (Ibi transit Pontifex ad casum, quo dismembranda est parochia.) In his Innocentii XIII verbis habes luce meridiana clarius declarata sequentia : 1° Quando parochis adjungi vicarios opus est, ad parochos ipsos spectat vicarios illos sibi *assumere* et *nominare*. 2° Si necessariam existimet Episcopus ejusmodi vicariorum adjunctionem, debet parocho *præfigere congruum terminum*, intra quem debeat vicarium vel vicarios sibi *assumere* et *nominare*. 3° Si vero parochi, sic ab Episcopis moniti, intra præfixum terminum vicarios assumere negligant, *tunc poterunt Episcopi propria auctoritate* dictos vicarios deputare. 4° Quando parochus vicarium *asssumpsit vel nominavit*, debet nihilominus vicarius ille ab Episcopo examinari et approbari; nec sufficit eum fuisse jam ad confessiones approbatum, sed debet specialiter quoad vicarii parochialis munus approbari. 5° Si vicarium a parocho nominatum minus idoneum Episcopus judicet, eumque rejiciat, non potest alium sibi bene visum ipse Episcopus deputare; sed debet iterum parocho terminum præfigere, ut alium sibi eligat. Et idem currit jus de hoc secundo, ac de priore : debet nempe et ipse ab Episcopo approbari. Parique modo procedendum quoad tertium, quartum, etc., si priores a parocho nominati rejecti fuissent. Hæc, inquam, aperte patent ex citata Innocentii XIII constitutione.

Objici utique posset dictam bullam universalem non fuisse,

sed ad Hispaniarum dumtaxat ecclesias directam. Verum non is fuit constitutionis scopus ut nova, et decretis Tridentinis derogantia statuerentur; sed, quemadmodum ipsemet declarat Pontifex, ut corrigerentur *nonnulla, ecclesiasticæ disciplinæ rationibus, ac saluberrimis sacri œcumenici concilii Tridentini decretis haudquaquam consentanea, quæ sensim in diversis inclytæ nationis Hispanicæ locis obrepsisse* perlata fuerant. Unde ea quæ adduximus haberi debent tanquam juris communis, et in specie tanquam juris Tridentini declarativa; ac proinde ad probandam thesim vim habere censenda sunt. Et notetur constitutionem hanc fuisse ab ipsamet Sacra Congregatione Concilii elaboratam. Editam autem illam reperies, et simul a Benedicto XIII per constitutionem *In supremo* confirmatam, ad calcem provincialis Romani concilii, anno 1725 celebrati.

Probatur III. — *Ex variis Sacræ Congregationis Concilii declarationibus.* — In causa *Mediolanensi*, 26 aprilis 1732, quam reperies in tomo 5 *Thesauri resolutionum*, agitur de quadam ecclesia collegiata, quæ simul erat parochialis. Residebat cura *habitualis* penes capitulum; *actualis* vero penes præpositum (eodem ferme modo, quo res se habet in cathedralibus, quando capitulo cathedrali cura fuit annexa: tunc nempe cathedrale capitulum est parochus *in habitu*, et curæ exercitium est penes vicarium ad hoc deputatum, qui ideo vicarius *curatus* dicitur). Fuit autem propositum, inter alia, hocce dubium : 2° *An et ad quem spectet jus eligendi coadjutorem in excercitio curæ, quoties eo opus sit*? Et Sacra Congregatio respondit : *Ad secundum, spectare ad præpositum, cum approbatione Ordinarii.* Ex quo vides vicariorum nominationem pertinere ad curatum, etiam quando non habet nisi curam actualem, remanente penes capitulum habituali cura.

Refert Zamboni (parte 1, verbo *Parochus*, § 2, n. 12) quomodo, condolentibus parochianis cujusdam parochiæ, quod, præ multitudine populi, unicus parochus præsto esse nequiret omnium spiritualibus necessitatibus, nisi mediante deputatione coadjutoris in animarum cura ; « Episcopus, « neglecta a parocho facta deputatione hujusmodi, coad- « jutorem sacerdotem Felicem de Christophoro depu-

« tavit. Ast deputationem hanc firmam non habuit Sacra Con-
« gregatio; et ut Ordinarius provideat ad formam con-
« cilii. » (*Tridentina*, deputationis coadjutoris, 11 januarii 1716.) Ibi expresse agitur de assumendo adjutore ob numerositatem populi. Hunc adjutorem seu vicarium sibi assumpserat parochus. Episcopus vero, non obstante vicarii nominatione et deputatione a parocho facta, alium ipse deputavit. At Sacra Congregatio hanc ab Episcopo factam deputationem pro irrita habuit, et mandavit ut provideret ad formam concilii; id est, ut approbationem dumtaxat sibi vindicaret; nominationem vero parocho relinqueret: id enim ex citatis Zambonii verbis aperte colligitur.

Probatur IV. *Ex communi doctorum sententia.* — Ferraris (verbo *Vicarius parochialis*, n. 43), postquam varias enumeravit causas, ob quas in parochiis constitui possunt vicarii temporales, et ultimo loco memoravit casum vacantis parochiæ, sic subjungit: « Deputatio vicarii temporalis, seu
« œconomi clerici sæcularis, in hoc ultimo casu vacationis ec-
« clesiæ, spectat ad Episcopum, in cujus diœcesi parochia va-
« cans sita est, seu ad eum qui potest instituere concursum. »
Sed excepto hoc casu (de quo in nostra thesi non agitur, cum disseramus dumtaxat de vicariis qui adjuvant parochos), laudatus auctor cæterorum vicariorum nominationem attribuit, non Episcopo, sed ipsimet rectori parochiæ, sive rector ille sit sæcularis, sive ecclesia parochialis sit regularis, vel regularibus subjecta : « Nominatio, inquit, aliorum vi-
« cariorum temporalium, ad nutum amovibilium, spectat
« ad rectorem principalem, seu Prælatum monasterii cui be-
« neficium est unitum. Et Episcopus solum debet ipsum ap-
« probare, ac licentiam administrandi sacramenta ei con-
« cedere, si per examen vel aliunde sibi constet esse ido-
« neum ; nec ulla alia requiritur collatio aut institutio... Vi-
« carius temporalis nominatus a superioribus regularibus,
« et a rectoribus principalibus, potest ab ipsis ad libitum
« removeri : non autem ab Episcopo, nisi ex causa legitima
« et approbata, propter quam (etiamsi perpetuus esset) pri-
« vari posset.»

Consonat Fagnanus, in caput *Consultationibus*, *de Cle-*

rico ægrotante, n. 13 : « Quamquam enim authoritas ins-
« tituendi vicarios perpetuos in beneficiis sit penes Epis-
« copum (ut capite *Ex frequentibus*, *de Institutionibus*), cu-
« rati tamen et vicarii perpetui utique vicarios temporales,
« absque Episcopi licentia, sibi assumere possunt, dummodo
« sint noti, et de promotione eorum constet (ut notatur in
« capite *Adjicimus*, 16, q. 1 : ad idem caput *Mulier*, 23 dis-
« tinct.: ad hoc concilium Tridentinum, capite 4 sessionis 21);
« dummodo tamen statutum synodale, vel provinciale non
« impediat (capite *Illud*, et capite *Nihil*, 7, q. 1). Hodie
« tamen approbari debent ab Ordinario (ut in concilio Tri-
« dentino, capite 1 sessionis 23, § *Eadem omnino* et capite 11,
« versus *Nec ibi aliqui*, sessionis 25, *de Regularibus*) ; et ab
« ipso Ordinario deputari debent in casu capitis 7 sessionis
« 7, et capitis 6 sessionis 21. »

Perpendamus tantisper hæc Fagnani verba. 1° Persuasum ei omnino fuit posse vicarios temporales assumi a parochis ; imo et a vicariis perpetuis ; idque *absque Episcopi licentia*. 2° Putavit id recte colligi, tum ex aliis juris textibus, tum præcipue ex capite 4 sessionis 21 Tridentini concilii ; ac proinde ex supra citatis verbis, *cogant parochos tot sacerdotes sibi adjungere*, etc. : citat enim in probationem hoc caput 4 sessionis 21, in quo præcise agitur de vicariis, ob populi multitudinem, cui solus parochus providere nequit, constituendis. 3° Supponit olim ante Tridentinam synodum necessariam non fuisse, quoad ejusmodi vicarios, Episcopi approbationem ; sed fuisse satis quod noti essent parocho eos assumenti, et de eorum ordinatione constaret : addit autem, post Tridentinum concilium omnino necessariam esse dictam ab Ordinario approbationem. 4° Quoad duas vicariorum species dicit, eos esse *deputandos* ab ipso Episcopo : nempe quoad vicarios de quibus agitur sessionis 7 capite 7, et sessionis 21 capite 6 Tridentinæ synodi. Porro in capite 7 sessionis 7 agitur de vicariis curatis parochiarum alicui capitulo vel monasterio annexarum : penes quos nempe residet tota actualis cura. In capite vero 6 sessionis 21 agitur de vicariis seu coadjutoribus qui dantur parocho ob illius inscitiam. 5° Cum necessitatem hujus deputationis restringat

ad duos illos casus, quoad alios vicarios temporales aperte supponit, posse eos a parochis, non tantum eligi et assumi, sed et deputari ; necessariamque esse tantum ex parte Episcopi approbationem. 6° Dictum jus parochorum suos assumendi temporales vicarios sic limitat : *dummodo tamen statutum synodale vel provinciale non impediat* ; et hanc limitationem fundat capitibus 15 et 16 quæstionis 1 causæ 7. Verum in his textibus Toletani Patres statuunt dumtaxat ut sacrificium missæ, quando celebrans viribus destituitur, per alium sacerdotem perficiatur : quod ad præsentem quæstionem nihil facit, Nec mihi videtur limitatio hæc concordare posse cum citato capite 4 sessionis 21. Nam, ex dictis, textus ille parochis tribuit jus vicarios suos sibi assumendi. Quod autem lege universali Ecclesiæ statutum fuit, tolli nequit per synodalia aut provincialia etiam statuta.

§ III.

Quatenus vicarii parochorum adjutores amoveri possint a parochis, et quid juris hodie in Gallia quoad nominationem et amotionem (remissive).

Ad calcem tractatus reperies, sub titulo *Appendicis* 1, disceptationem de vicariis parochiarum et cappellanis ; in qua expenditur quæstio, an et quatenus eorum remotio pertineat, sive ad parochum, sive ad Episcopum ; et an parochus eos removere possit sine causa ab Episcopo approbata. Atque ibidem (capite 1, § 5) statum præsentem ecclesiarum Galliæ perpendendo, concluditur, tam nominationem quam remotionem vicariorum hodie in ea regione ad Episcopos, non ad parochos, pertinere.

CAPUT III.

JUS PAROCHI, QUOAD BAPTISMATA.

1° Certum est ad parochum regulariter pertinere jus solemniter baptizandi parochianos suos; ita ut prærogativa hæc

inter jura parochialia numeretur. (Vide Barbosam. *de Officio parochi* c. 18).

Dicimus *regulariter*; quia titulo privilegii vel longævæ consuetudinis posset cathedrali pertinere jus baptizandi puerosaliarum parochiarum civitatis, vel etiam diœcesis, qui ad illam deferrentur. Secluso ergo hoc casu.

2° Tenentur parochiani pueros suos baptizandos ad parochiam suam deferre ; et peccant graviter si in alia parochia baptismum fieri procurent absque licentia sui parochi.

« Adeo certum est quemcumque baptizandum esse in Ec-
« clesia cui subest, si habet fontem baptismalem, ut id etiam
« locum habeat quando baptizandi sunt ad fidem conversi ;
« qui ex decreto Congregationis Concilii (22 septembris 1687,
« et 21 februarii, ac 28 augusti 1680, *in Napolitana, juris*
« *baptizandi*) baptizari debent, non a parocho Metropolitanæ,
« sed a parochis parochiarum, intra quarum limites degunt.»
(Giraldi, *Additamenta ad Barbosam, de Parocho*, cap. 18, n. 7.)

3° Item si absque licentia proprii parochi alter sacerdos infantem, extra casum necessitatis, baptizet, peccat mortaliter ; et incurrit censuras latas contra usurpantes jura aliarum ecclesiarum. (Vide Giraldi, *Additamenta ad Barbosam, de Parocho* cap. 18, n. 11).

CAPUT IV.

JUS PAROCHI QUOAD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

I. Parochus vi officii ordinariam fori interni jurisdictionem habet in sua parochia ; « et censetur quoad hoc a lege
« approbatus, absque alia desuper sibi facienda per Ordi-
« narium licentia, ut colligitur ex concilio Tridentino, ses-
« sione 23, *de Reformatione*, capite 15, ibi, *nisi aut paro-*
« *chiale beneficium etc.* » (Barbosa; *de Parocho*, cum *Ad-*
« *ditam*. Giraldi, c. 19, n. 1.)

II. Quamvis ordinariam jurisdictionem suam habeat parochus a lege, eam tamen habet dependentem ab Ordinario quoad culparum reservationem.

III. « Ut notat Cardinalis de Lugo (*de Sacramento pœnitentiæ* disp. 20, sect. 3, n. 11) quamvis Episcopus possit « jurisdictionem absolvendi, quam aliis sacerdotibus delegat « omnino pro libito limitare, et ad paucissimas causas restringere, tanta tamen potestate non potitur quoad parochos, quorum jurisdictio, etsi ab Episcopo pendeat eique « subjaceat, non est tamen delegata, sed ordinaria ; nec « potest sine legitima causa, aut prorsus auferri ; autadeo « imminui, ut fere inanis remaneat. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, libri 5, c. 4. n. 3.)

IV. Jurisdictio fori pœnitentialis quam habet parochus vi officii sui, non est quoad totam diœcesim, sed dumtaxat quoad civitatem vel oppidum ubi sita est parochia. Ita doctores communiter (vide Barbosam, de *Parocho* cum *Additamentis* Giraldi, cap. 19, n. 3). Quod et a Sacra Congregatione Concilii declaratum refert ibidem Giraldi, in hunc modum : « Ita quidem decisum fuit a Sacra Congregatione Concilii (in « Leodiensi, mense augusto 1600, ad secundum dubium, ut « libro 9 decretorum, p. 7) Ideoque, stante hoc decreto, ad « removendas omnes dificultates, expediret ut quilibet Episcopus expresse facultatem daret omnibus parochis audiendi confessionem in tota diœcesi. »

V. « Potest tamen, ait Giraldi loco citato, parochus in « propria ecclesia absolvere parochianos alterius parochiæ, « absque alia licentia, ut declaravit laudata Congregatio (in « *Vilnensi*, 25 junii 1639, libro 16 decretorum, pag. 213, ad 5.) »

VI. Ad dubium, « An curati unius diœcesis, vocati a parochis alienæ diœcesis, possint in illa audire confessiones, « tam suorum subditorum, quam alienorum, absque licentia « Episcopi loci. » Sacra Congregatio Concilii rescripsit: *Affirmative quoad subditos, negative quoad reliquos* (in *Posmaniensi* 3 decembris 1707, in *Thesauro resolutionum*, tomo 9, q. 141).

VII. Ad dubium, « An sacerdotes approbati ad confessiones audiendas in una diœcesi, vocati a parochis alterius « diœcesis, possint in ista audire confessiones quorumlibet « absque approbatione Episcopi loci, « Sacra Congregatio,

in citata causa respondit, *negative*. Has binas responsiones refert Giraldi (*Additamenta ad Barbosam de Parocho*, c. 19 n. 3).

VIII. Quod diximus de restrictione jurisdictionis parochi ad locum ubi curam exercendam habet, intelligitur, non quoad parochianos suos, sed quoad cæteros ipsi non subditos; nam, ut ait Barbosa, et tenent doctores unanimiter, « suo« rum confessiones potest etiam in aliena diœcesi, et ubique « locorum audire. » Barbosa, *de Parocho, cum Additamentis* Giraldi cap. 19, 5.) Atque id sequitur ex decisione Sacræ Congregationis Concilii, modo relata, sub numero 6.

IX. Parocho non competit potestas dispensandi in votis ; quia caret jurisdictione fori externi, quæ ad hoc necessaria est. (Vide *Additamenta Giraldi ad Barbosam, de Parocho*, cap. 19, n. 10).

X. An jus habeat parochus ut parochiani, tempore paschatis aut instante mortis periculo, sibi sacramentalem faciant confessionem, nec possint aliis sacerdotibus, nisi de ipsius licentia, confessionem illam facere ?

Respondendum negative. Quam conclusionem peremptoriis auctoritatibus firmatam habes apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 7, capite. 64, n. 2 et seq.). Nec contrarium recentioribus temporibus sustinuerunt nisi malesanæ doctrinæ auctores, veluti Launoy, Juenin, Van-Espen, et horum similes. Et notandum ne auctoritate quidem Episcopi posse hanc imponi fidelibus obligationem ; prout etiam concludit laudatus Benedictus XIV (loco citato, n. 6). Possunt ergo fideles, etiam in mortis articulo, cui voluerint ex approbatis presbyteris, sive regularibus, sive sæcularibus, confessionem sacramentalem facere, absque ulla parochi licentia. Regulares tamen qui infirmorum confessiones audierunt, debent parochum de hoc certiorem facere; prout statutum reperitur in constitutione *Suprema* (11 cal. junii 1670 (Clementis X. Addit autem laudatus pontifex, *sufficere, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam, apud ipsum infirmum relinquendam.*

XI. An jus habeat parochus exigendi a parochianis, dum Eucharistiam in paschate petunt, attestationem de facta sacramentali confessione alicui approbato sacerdoti ? — Equi-

dem generaliter decreverat sanctus Carolus Borromœus, ne parochi sacram Eucharistiam in paschate administrarent, *nisi confessis sibi, aut alicui ex confessariis approbatis, de qua confessione fidem scriptam ferant* (apud Benedictum XIV, institutione 45, n. 15). Abstrahendo autem ab ejusmodi statutis diœcesanis, quoad diœceses nempe ubi nihil hac de re præscripsit Ordinarius, dicendum non posse parochum attestationem ejusmodi generaliter ab omnibus exigere, sed dumtaxat ab eis, quos merito et ex gravibus rationibus suspicatur ad expiationis sacramentum non accessisse, quamvis contrarium asserant. De quo vide, citato loco, Benedictum XIV; qui plene in hoc adhæret Roncalio, in hunc modum quæstionem solventi: « Certum est parochum posse dene-
« gare in paschate communionem non exhibenti schedulam
« confessionis, quoties prudenter credi non possit alicui as-
« serenti, se confessum esse: nam tunc, cum parochianus
« fidem non mereatur, bene parochus abstinet se ab
« administranda eidem communione. »

In tradenda autem dicta attestatione, sciat confessarius communiorem doctorum sententiam esse, quam et laudatus Benedictus XIV amplectitur, de *confessione* dumtaxat, non autem de *absolutione*, mentionem esse faciendam: « Tes-
« timonium nempe de peracta confessione tribuendum sine
« ulla absolutionis mentione; si præsertim confessarius idem
« testimonium aliis concesserit; vel cognitum aliis perspec-
« tumque fuerit ad sacrum pœnitentiæ tribunal eum homi-
« nem, de quo sermo est, accessisse. Nam si alius de con-
« fessione solum peracta, alius vero de accepta pariter ab-
« solutione testimonium accipiat, suspicandi locus præbetur,
« et sigillum confessionis aliquo pacto violatur. » (Benedictus XIV, institutione 45, n. 10.)

XII. Nequit parochus, ad confessiones audiendas vel prædicandum divinum verbum, sibi in adjutorem assumere ullum sacerdotem, qui non sit ab Episcopo quoad hoc approbatus. Nam pro confessionibus tum licite, tum etiam valide audiendis omnino necessaria est approbatio Episcopi, ut constat ex capite 15 sessionis 23 Tridentinæ synodi; et pariter ut quis, etiam a parocho invitatus, licet valeat præ-

dicare, debet licentiam obtinere ab Ordinario, ut constat ex capite 2 sessionis 5 ejusdem Tridentinæ synodi. Unde prorsus derelinquenda est opinio quorumdam canonistarum qui olim contrarium tenebant, prout Barbosa (in suo tractatu *de Parocho*, c. 19, n. 38).

CAPUT V.

JURA PAROCHI QUOAD SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

I. Tenentur parochiani communionem paschalem facere in ecclesia parochiali.

II. Rejicienda est nonnullorum sententia, qui olim tenebant, posse huic præcepto satisfieri in ecclesia cathedrali a parochianis aliarum parœciarum. Vide id probatum pluribus decisionibus apud Giraldi (*Additamenta ad Barbosam de Parocho*, cap. 20, n. 12), et apud Benedictum XIV (institutione 18, et encyclica *Magno*, 2 junii 1751, § 21).

III. Ab hac lege excipiuntur laici degentes intra domos regularium, et actu ipsis inservientes ; prout sic decisum a Sacra Congregatione Concilii refert Giraldi (*Additamenta ad Barbosam, de Parocho*, cap. 20, n. 12) : « An laicis, qui « intra claustra regularium habitant, et illis actu serviunt, « possint regulares sacramentum Eucharistiæ, et tempore « paschæ ac extremæ unctionis ministrare, necnon in eorum « ecclesiis eisdem laicis sepulturam dare? — Sacra Congre- « gatio sub mense junii 1587 rescripsit, posse ; ut libro 4 « decretorum, pagina 267. »

IV. Contrarium dicendum de iis, qui apud regulares morantur, tanquam *hospites* (vide probatum a Giraldo, loco. citato). Potest nempe parochus exigere, ut paschalem communionem in parochiali ecclesia recipiant.

V. Impedire nequit parochus, quin parochiæ suæ fideles cæteras præter paschalem communiones, in quibuslibet ecclesiis et cappellis publicis, faciant.

VI. Hinc possunt regulares personis sæcularibus sacram communionem in suis ecclesiis distribuere, etiam toto tempore

paschali (id est a dominica Palmarum, ad dominicam in Albis), excepto solo Paschatis die ; quod vide pluribus Sacræ Congregationis Concilii decisionibus firmatum, apud Benedictum XIV *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 16 n. 3). Die autem Paschatis nequeunt sacram Eucharistiam porrigere, etiam iis qui jam in sua parochia paschalis communionis præcepto satisfecere. Id pariter decisum reperies apud laudatum Benedictum XIV, citato loco.

VII. In oratoriis vero privatis, nec parochus, nec quilibet alius celebrans sacram synaxim præbere potest sine licentia Episcopi, quamvis ex indulto Apostolico in iis oratoriis possit missa celebrari ; ut declaravit Benedictus XIV in citata encyclica *Magno* 2 junii 1751, §§ 23 et 24 (de quo vide etiam Giraldum, citato loco).

VIII. An jus habeat parochus suos parochianos cogendi ad audiendam missam in parochia ?— Respondendum negative. Dicendum nempe, olim revera de jure communi adstrictos fuisse fideles ad interessendum sacro in suis quique parochiis. Postea vero huic obligationi derogatum fuisse contraria consuetudine, tum et expresse variis summorum pontificum constitutionibus. Ita ut hodie certum sit, posse fideles præcepto missam audiendi satisfacere in quacumque ecclesia, modo tamen non sit cappella *privata* seu oratorium *privatum*. Imo nequit hodie Episcopus præcipere suis subditis, ut se sistant missæ parochiali ; nequit enim delere consuetudinem in toto orbe vigentem, utpote quæ juris communis naturam induit. Hæc probata vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, lib. XI, c. 14, a n. 7 ad 11), qui rem totam eximie discutit, et ad modo expositam conclusionem deducit.

IX. An possit parochus exigere, ut parochiani ad verbum Dei audiendum parochiam adeant ? — Respondendum negative. Quæ sententia, jam recepta generaliter, quo fundamento nitatur, et quomodo respondeatur Tridentino decreto (in quo dicitur *teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei,)* vide apud Benedictum XIV *de Syn. diœc.*, lib. XI, c. 14, n. 12 et 13).

Eodem modo quo in ecclesiis regularium, ita in ipsorum

oratoriis privatis seu domesticis, celebrari posse missas tum a regularibus tum a sæcularibus presbyteris probat P. Tinnebroeck (folio 3 manuscripti mihi commodati) citans multos auctores, inter quos Ferraris voce *oratorium* n. 72. Item probat in *multis* ejusmodi regularium *privatis oratoriis* posse fideles præcepto missam audiendi satisfacere, et citat Ferraris (v. *oratorium* 76 ; et v. missæ sacr. art 16, n. 12).

Moderandum ergo quod dixi (supra, n. VIII) *modo tamen non sit cappella privata seu oratorium privatum* seu potius illud idem a Benedicto XIV dictum (de syn. diœc. l. XI, c. 14, 11, 10. Nam hoc a laudato pontifice desumpseram.

CAPUT VI.

AN ET QUATENUS POSSIT PAROCHUS BINAS EODEM DIE MISSAS CELEBRARE.

Prænotandum,—Quæstionem hanc reperies erudite discussam in bulla *Declarasti* Benedicti XIV (16 martii 1746, tomo 2 ipsius bullarii, n. 4); et accuratius in voto quodam Francisci Zeladæ, Sacræ Congregationis Concilii secretarii, postea vero Cardinalis, quod habetur *Thesauri resolutionum* tomo 37 (in causa *Derthusensi*, 26 augusti 1768). Atque in his duobus documentis citantur præcipua de eodem argumento doctorum scripta. Ad quæ nos lectorem pro fusiori evolutione remittentes, propositam quæstionem sequenti conclusionum serie breviter absolvemus.

Propositio I^a^. — *Prioribus Ecclesiæ sæculis invaluerat passim disciplina, ut sacerdos pluries eadem die divina mysteria celebraret.* — Rem pro explorata habent doctores multi; inter quos Christianus Lupus (in scholiis ad decretum 1 Alexandri II, tomo 5 operum, pag. 197, edit. Venet.), Martene (*de Antiquis Ecclesiæ ritibus*, l. 1, cap. 3, art. 3), Cardinalis Bona *Rerum liturg.*, lib. 1, cap. 18, § 5), Sainte-Beuve (tomo 3, *Resolut. casuum conscientiæ*, casu 83). Hos sequitur Cardinalis Zelada (citato voto, n. 1. Postea vero, ob exortos abusus, disciplina hæc moderata est ut sequitur.

Propositio II[a] — *A multis jam sæculis certa est lex ecclesiastica hodiedum plene vigens, qua prohibentur sacerdotes, præterquam in festo Natalis, pluries eodem die celebrare, excepto necessitatis casu.* — Anno 1212, sciscitanti Vigorniensi Episcopo, num sacerdotibus liceret pluries eodem die sacrum facere, respondit Innocentius III : « Excepto die Na-« tivitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, suf-« ficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo cele-« brare. » Porro ejusmodi responsum, libris decretalium insertum (libro 3, titulo 41 *de Celebratione missarum*, capite 3), pro lege universali Ecclesiæ unanimiter et constanter habitum fuit. Et quamvis Pontifex utatur dumtaxat verbo *sufficit* verum ibi et proprie dictum præceptum esse intelligendum probat tum decretalis contextus, tum constans et unanimis doctorum interpretatio, et generalis ecclesiæ praxis, quæ juxta hanc interpretationem perpetuo determinata est, Id insuper supponunt quotquot Sacrarum Congregationum decisiones declarant, num in tali vel tali casu adsit sufficiens necessitas, ut licite possit sacerdos bis eodem die celebrare. Nisi enim exstaret lex, id extra casum necessitatis prohibens, absone quæreretur de hac sufficienti necessitate.

Unde certa est omnino lex, qua prohibetur sacerdos bis eodem die celebrare. At simul certa est, et quidem de jure communi, duplex exceptio : prior nempe quoad diem Natalis Domini : posterior ob *necessitatis* casum.

Cum autem lex, *necessitatis casum* a generali prohibitione excipiendo, nequaquam declaraverit, quis sit et quotuplex ille casus, fuit postea hæc quæstio a doctoribus disputata. Excogitati nempe fuere ab ipsis non pauci ejusmodi casus, in quibus locum esse dictæ exceptioni existimarunt. De hac casuum serie agendum nunc sub sequentibus propositionibus.

Propositio III[a] —*Plures casus ab antiquis canonistis habiti tanquam a præfatæ legis prohibitione excepti, ut tales hodie habendi non sunt.* — Durandus (*Rationale divinorum officiorum*, I. 4, c. 1), glossa (in caput *Consuluisti*, 3, *de Celebr. miss.*), aliique veteres canonistæ, inter casus, in quibus sacerdoti liceret bis eodem die sacrum facere, enumerabant

sequentes : si supervenirent hospites aut peregrini, dicta jam missa, nec alius adesset sacerdos, qui aliam missam celebrare posset : item si superveniret princeps : si nuptiæ non possent in crastinam diem differri : si dandum moribundo viaticum, nec adesset particula consecrata.

Porro dictos casus non esse comprehendendos sub casu necessitatis ab Innocentiana decretali excepto, sic probat Benedictus XIV (*de Missæ sacrificio*, I, 3, c. 5, n. 3) : « Ut « autem ad alios redeamus casus, in quibus veteres theologi « putabant posse sacerdotem plures eodem die missas cele- « brare, quilibet potest intelligere eos nullomodo contineri « sub *necessitatis* voce, quam diserte exprimit Innocentius « III in allata decretali. Ejusmodi est casus hospitum et eo- « rum qui iter faciunt; atque itidem ille de principe aut « Episcopo, qui die festo missam non audierint, nec « alius quisquam sacerdos sit, qui possit missam celebrare : « *Quod enim inconveniens est, si Episcopus vel alia persona* « *nobilis missam non audiat, quia nullus adest sacerdos, qui* « *jure possit illam dicere*, ait Suarez (in 3 part. D. Thomæ, « tom. 3, q. 73, art. 2, disp. 80, sect. 3). Ejusmodi est etiam « casus de nuptiis, quæ differri non possint: nam quid in- « commodi inde sequeretur, si, cum nuptiæ differri non « possint, matrimonium condicta die celebraretur, cumque « non esset qui missam celebraret, die proxime sequenti sa- « crificium fieret, et nuptiæ benedicerentur? *Adde parum referre, quod differatur in diem sequentem benedictio* : sunt « verba Cardinalis de Lugo. » Quod vero attinet ad casum quo moribundus viaticum petit, neque sacramenti copia est, nec sacerdos ullus sacramentum potest conficere, nisi qui jam missam celebravit, adnotat Benedictus XIV, casum respicere posse dumtaxat pauca illa temporis momenta, quæ communionem inter et ablutionem celebrantis interfluunt ; si nempe hoc intervallo certior fiat sacerdos de viatico deferendo. Nam si ante consecrationem id resciat, particulam consecrabit : si post consecrationem et ante communionem, e magna hostia particulam abrumpet. Si post ablutionem, certum est non posse eum iterum celebrare : *Nullus enim* (sunt verba dicti Pontificis) *qui non sit jejunus potest missam celebrare, etiam*

ut viaticum moribundo ministret. Unde cum casus respiciat solummodo parvum illud intervallum, a communione usque ad ablutionem interfluens, fere est chimericus.

Hinc, abstrahendo a casibus, qui in infidelium et hæreticorum regionibus occurrere possunt (verbi gratia, si ob metum mortis, nequeant fideles nisi turmatim, non autem omnes simul, sacro interesse), pro quibus speciales missionariis facultates concedi solent, solus practicus hodie casus est, quando populus, aut populi magna pars, sacro careret diebus dominicis et festis, nisi parocho liceret bis eodem die celebrare. De quo casu præcipue nobis hic disserendum. Agemus autem primo de iteratione divini sacrificii in duabus ecclesiis : tum et in eadem ecclesia.

Propositio IV[a]. — *Ad hoc ut parochus in duabus ecclesiis eodem die licite celebrare possit, satis est quod alioquin alteruter ex duobus dissitis populis missa carere debeat die dominico aut festo*. — Pro certa communiter a doctoribus haberi hanc conclusionem, sic adnotat Cardinalis Zelada, in supra citato ipsius voto, n. 13 : « Communis theologorum « omnium sententia est, quorum plures recenset Benedictus « XIV (*de Sacrificio missæ*, I. 3, c. 5, n. 1 ; et in epistola ad « Oscensem Episcopum) necessitatis casum, ad sacrificium « eodem die repetendum, eum potissimum esse, cum duas « presbyter parœcias habet, si in alterutram parochiam ne- « queat populus convenire, nec alius præsto sit sacerdos « præter parochum, qui missam possit celebrare. » Addit autem citatus auctor idem procedere quando parochus, etsi non *duas parœcias*, duos tamen habet in sua parochia populos, prædicto modo distantes. Atque ad confirmandam communem in hac re theologorum sententiam inter varia documenta adducit sequens synodale statutum sancti Turribii, Limani Archiepiscopi : « Quantum convenit, et per locum « juris possumus, licentiam concedimus omnibus... parochis « nostri destrictus, ut diebus dominicis et festivis ex præ- « cepto servandis, possint celebrare duas missas in duabus « ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius ec- « clesiæ assistunt, non possint commode accedere ad audien- « dam missam in altera. Cum autem habuerint alium sacer-

« dotem, qui possit celebrare in altera dictarum ecclesiarum, « non poterit parochus celebrare in utraque. »

Nota. — Utrum nihilominus in dicto casu indigeat parochus licentia Episcopi, expenditur infra.

Propositio V^a^. — *Etiam in eadem ecclesia bis eodem die celebrare licitum esse potest parocho : si nempe unicæ missæ magna pars populi adesse nequeat.* — De hoc casu synodus Nemausensis, anno 1284, decrevit in hunc modum : « Si « omnes parochiani ad unam missam simul non possint con- « venire, eo quod in diversis locis habitant, distantibus ab « ecclesia, et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ec- « clesia duo sacerdotes, et dicta prima missa, postmodum « parochiani venientes postulent missam aliam sibi dici, po- « terit tum sacerdos missam aliam celebrare. » Quod autem, stante ejusmodi causa, parocho liceat bis, in eadem etiam ecclesia, celebrare, est pariter concludendum. Utrumque casum postquam memoravit Benedictus XIV his verbis, *Sive missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus, ut in supra citata synodo Limana, sive una tantum sit ecclesia, in qua missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in synodo Nemausensi*, sic addit : *Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt, uti præcipue advertit Theophilus Rainaudus.* (In citata bulla *Declarasti*, 16 martii 1746.)

Consonat Cardinalis Zelada : « Quamvis autem (inquit in supra citata synodo VII Limana, quemadmodum etiam in « concilio Burdigalensi anni 1583, facultas fiat parocho in « prædicto casu duo perficiendi sacra in *duabus* tantummodo « *ecclesiis* inter se distantibus, non autem in eadem ecclesia, « eodemque oppido; fatendum tamen est expedire ut paro- « cho fiat potestas secundum offerendi sacrificium, tametsi « una tantum sit ecclesia in qua missa celebratur, et ad quam « insimul universus populus convenire non potest. Hi quippe « duo casus eodem jure censendi sunt, ut post Theophilum « Rainaudum animadvertit Benedictus XIV... Nec desunt « vetustissima hujus rei monumenta...

« Itaque ut liceat parocho duas parœcias habenti, vel duos « populos maxime inter se dissitos, duo sacra perficere die-

« bus festis, ut populus missæ sacrificio intersit, sive cele-
« branda ea sint in duabus ecclesis inter se distantibus,
« sive in una tantum ecclesia ad quam universus populus
« nequit insimul convenire, non alia necessitatis causa est
« admittenda, secundum hodiernam ecclesiæ disciplinam,
« quam quæ oritur ex defectu alterius sacerdotis, qui aliud
« sacrificium offerre possit. Quæ tamen ita intelligenda sunt
« ut nullum inde inferri putetur præjudicium aliis casibus,
« qui solent contingere in sacris missionibus, in quarum uti-
« litatem missionariis conceditur facultas plures missas cele-
« brandi eadem die. » (Votum Francisci Zeladæ, in causa
« Derthusensi, 20 augusti 1768, in *Thesauro resol.*, tomo
37, § 15.)

Et revera si possit parochus eodem die celebrare in duabus ecclesiis, ex ea ratione quod alioquin trecenti (verbi gratia) parochiani missa carebunt, cur non idem ei concederetur in eadem ecclesia, quando pariter, si unica tantum missa celebretur, trecenti nequibunt illi interesse ? Si reputetur sufficiens necessitas in priori casu, et in posteriori reputanda est.

Dum autem quoad duplicem casum in duabus ultimis propositionibus expensum, concluditur dari locum iterationi missæ ab eodem sacerdote, id dictum intelligi debet abstrahendo a quæstione, an etiam tunc nihilominus necessaria sit licentia Episcopi. De qua Episcopi licentia exquirendum remanet utrum requiratur et sufficiat, tum quoad iterationem missæ in duabus ecclesiis, tum quoad iterationem in eadem ecclesia.

Propositio VI[a]. — *Ad iterationem in duabus ecclesiis (etsi detur sufficiens necessitas) requiri videtur, regulariter loquendo, licentia Episcopi.* — Id evincere mihi videntur rationes a Cardinali Zelada in hunc modum expositæ : « An
« vero ad sacrum bis celebrandum in locis ubi prædicta ur-
« get necessitas, parochi opus habeant licentia Episcopi,
« haud recens est doctorum disputatio. Quidam plane nega-
« tive sentiunt, ea ducti ratione, quod facultas hæc a jure
« communi illis concedatur. Affirmativam vero tuentur sen-
« tentiam alii plures a Benedicto XIV relati (*de Sacrificio*

« *missæ*, libro 3, c, 5, n. 1). At, quemadmodum ibidem, nu-
« mero 2, tradit citatus Pontifex, sive sit necessaria Episcopi
« licentia, sive non, id certe necessarium est, ut ille rem co-
« gnoscat, ac perspiciat num revera necessitas urgeat, ut sa-
« cerdos duas missos celebrare cogatur. Hinc in citata cons-
« titutione ad Episcopum Oscensem, certissimum esse statuit,
« *missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquan-*
« *do fieri ut uno die sacrificium bis operentur* : *reliquis vero*
« *sacerdotibus opus esse ut hac de re facultatem ab Episcopo*
« *consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videa-*
« *tur, cujus sane judicium ad ipsos sacerdotes nequaquam*
« *pertinet*. Ad quæ confirmanda auctoritatem etiam profert
« Verricelli..., testantis ita a Sacra Congregatione fuisse re-
« solutum. » (in supra citato voto, § 19). Hæ porro rationes, et auctoritas præsertim Benedicti XIV, sat demonstrare videntur dictæ licentiæ necessitatem, quamvis antea res fuerit inter doctores controversa. Diximus autem *regulariter loquendo* : quia in uno aut altero casu, præsertim repentino, et in quo non facilis pateat ad Episcopum recursus, si aliunde certo adesse videatur sufficiens necessitas a jure requisita, non puto crimini vertendum parocho, quod dictam licentiam non exquirat.

A fortiori autem necessaria certo erit Episcopi licentia, si Episcopus aliquo statuto prohibuerit, ne absque illa ullus unquam diœcesis suæ sacerdos bis eodem die celebrare præsumat. Nec dubium est quin possit Episcopus ejusmodi prohibitionem edicere. Unde illi etiam theologi, qui sustinuerunt posse parochum absque venia Episcopi, modo adsit requisita a jure necessitas, bis eodem die celebrare, intelligendi sunt quoad diœceses, in quibus Episcopi nihil in hac re præter jus commune statuerunt; non autem quoad eas, in quibus exstat Episcopi vel provincialis synodi statutum, necessariam decernens dictam Ordinarii licentiam.

Propositio VII[a] — *Ad iterationem in eadem ecclesia, non requiritur Sedis Apostolicæ licentia, sed sufficit licentia Episcopi.* — Quoad casum iterationis in *duabus ecclesiis*, nullus est qui de necessaria Sedis Apostolicæ licentia cogitaverit. Equidem citatus Benedictus XIV, et Cardinalis Zelada (contra non paucos doctores, nullam omnino requiri licentiam

contendentes), existimant parochis fieri debere facultatem ab Episcopo, ut licite valeant bis eodem die sacrum facere. Ast plane sufficere hanc Episcopi facultatem omnino supponunt. Et revera, cum per ipsummet jus commune licita decernatur, in casu necessitatis, dicta iteratio (ut patet ex decretali *Consuluisti* Innocentii III), obtinendæ a Sede Apostolica facultatis necessitas repeti non posset, nisi ex reservatione, qua postea Sedes eadem jus commune hac in re coarctasset; et de hac reservatione certo constare deberet. Porro ejusmodi reservationis, ne vestigium ullibi reperire est, quoad casum iterationis in duabus ecclesiis.

Atvero quoad iterationem *in eadem ecclesia*, putavit modernus quidam (1), non posse nisi a Sede Apostolica facultatem concedi. In quam opinionem eum nonnullæ Sacrarum Congregationum declarationes impulerunt. Hæc tamen sententia nequaquam mihi admittenda videtur. Etenim.

I. In citata decretali *Consuluisti*, qua jus commune statuitur, casus iterationis in eadem ecclesia, nequaquam distinguitur a casu iterationis in duabus ecclesiis; sed generatim licere iterationem statuitur, si *necessitatis causa suadeat*.. Aliunde autem utrumque casum *pari jure censendum esse*, pro certo tenent viri gravissimi Theophilus Rainaud, Benedictus XIV et Cardinalis Zelada, prout supra vidimus ; et merito quidem : nam cum ex ea tantum ratione concedatur missæ iteratio, ne populi magna pars alioquin ei intervenire nequeat, non est cur non concessa censeatur in eadem ecclesia, sicut iu duabus ecclesiis, quando in priori casu æque ac in posteriori, ex unica tantum celebrata missa sequitur, eumdem parochianorum numerum sacris mysteriis defraudari. Nec dicatur intrinsece repugnare divini sacrificii in eadem ecclesia iterationem, cum contrarium probet triplex concessa missa in die Natalis Domini, et priorum Ecclesiæ sæculorum vetus disciplina. Hinc dici nequit requiri, quoad iterandam in eadem ecclesia missam, Sedis Apostolicæ facultatem, nisi certo constet intervenisse hac in re ejusdem sedis aliquam dispositionem, qua sibi facultatem hanc reservaverit. Porro,

(1) *Analecta juris Pontificii*, octobre 1853, pag. 545 et seq.

II. De hujusmodi reservatione nullatenus constat. Non quidem expresse ex aliquo decreto; nullum siquidem in probationem adducitur; et si quod exstaret, non illud ignorassent aut siluissent citati Benedictus XIV et Cardinalis Zelada, rem ex professo tractantes: sed neque implicite seu indirecte ex declarationibus et praxi Sacrarum Congregationum, ut sibi videre visus est prælaudatus modernus scriptor. Nam quas ad fulciendam opinionem hanc adducit ejusmodi declarationes, tota qua potui diligentia perlegi et perpendi; et nedum ipsius intentum probare, contrarium potius evincere mihi visæ sunt. In qua minuta controversia ne ultra immorer quam fert hujus tractatus instituta ratio, lectorem dumtaxat præmonebo ut ipse suis oculis prædictas causas perlustret. Sunt autem 1° *Derthusensis*, de qua in tomo 37 *Thesauri resolutionum* agitur, sub datis 20 augusti, 17 septembris, et 26 novembris 1758; 2° *Ambianensis*, diei 22 maii 1841, quæ in collectione Gardelliana occurrit sub numero 4768; 3° allegat quidem memoratus scriptor aliam causam ad Sacram Congregationem Concilii delatam; sed absque ulla diei, locive aut voluminis indicatione; quæ tamen, prout ab ipso refertur, non magis quam duo alia documenta, necessariam probat (meo quidem judicio) Sedis Apostolicæ licentiam, quoad iterationem in eadem ecclesia.

Dum autem in nostra præsenti conclusione diximus *sufficere* licentiam Episcopi, intelligendum simul est eam *requiri*, sicut in casu iterationis in duabus dissitis ecclesiis; cum, ut pluries dictum est, hi duo casus pari jure censendi sint.

Propositio VIII[a]. — *Licita non est iteratio, si aliis a jure indicatis remediis necessitati occurri possit.* — Tunc enim non adesset vera et a jure requisita necessitatis causa. Unde si possit alter sacerdos deputari, qui secundam missam celebret, vel si cogi possit parochus ad sibi assumendum vicarium, vel si dismembrari parochia queat, ita ut suus nimium distanti populo detur parochus, vel alio ejusmodi remedio provideri, nequaquam permittenda est ab Episcopis missæ iteratio. Quod vide evolutum in citato voto Cardinalis Zeladæ, § 20.

Propositio IX^a^. — *Si non adsit requisita a jure necessitas, nulla consuetudo licitam facere potest iterationem.* — Quia nempe talis consuetudo pro irrationabili et tanquam abusus merito censetur. Quod vide firmatum in bulla *Declarasti* Benedicti XIV, et in memorato voto Cardinalis Zeladæ, § 25. Vi autem abusivæ consuetudinis nunquam contra legem præscribi legitime potest.

Nota. — 1° Quamvis alicui parocho liceat duas eodem die missas celebrare, « Feria tamen sexta parasceves non potest « nisi semel officium facere, quia pars hostiæ consecratæ « sumi debet cum vino, et sic desinit esse jejunus. » (Sylvius, apud Benedictum XIV, *de Sacrificio missæ*, l. 3, c. 5, n. 5).

2° Item nequit feria 5 in cœna Domini bis celebrare ; quia non tenetur populus hoc die sacro adesse. Atque idem dic de omnibus festis quæ non sunt de præcepto quoad populum ; quia tunc deest necessitatis causa, qua non adstante, licita esse nequit iteratio, quantumvis eam concederet Episcopus.

3° Quando parochus alteram missam celebraturus est, non purificet calicem, sed illum patena, palla et velo (absque purificatorio interposito) cooperiat. Digitis autem ablutis in vase solito, et finita missa, calicem velo circumligatum asportabit ad locum ubi iterum sacra facturus est. Calix autem, donec purificetur, tum in ecclesia in qua primum celebratum est, tum in altera, super corporali reponatur.

Propositio X^a^. — *Quando bis eodem die presbyter celebrat, non potest honorarium pro intentione secundæ missæ recipere.* — Constat pluribus decisionibus. Verbi gratia, in causa Cameracensi 25 septembris 1858, ad dubium : *an parochus qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam pro populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur,* a sacra Congregatione concilii responsum fuit : *Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.* — Quamvis nequeat celebrans ullam eleemosynam recipere pro *intentione* secundæ missæ, potest tamen recipere *salarium* in compensationem laboris (vide *Revue des sciences eccl.,* t. 3, p. 280, et 461, — t. 6, p. 95, — t. 8, p. 77).

CAPUT VII.

JUS PAROCHI QUOAD MATRIMONIA.

Dicemus 1° quisnam sit proprius parochus quoad matrimonia. 2° Jurisdictictionem parochorum circa matrimonia describemus.

§ I.

Quisnam sit quoad matrimonia proprius parochus.

Ut validum sit matrimonium, sancivit Tridentina synodus contrahi debere coram proprio contrahentium parocho (sess. 24, c. 1 *de Ref. matrimonii*). Quis autem censendus sit proprius contrahentium parochus, Patres non declararunt. « Hinc super hac re innumeræ prope disceptationes, qua« rum pleni sunt libri, excitatæ fuerunt. » (Benedictus XIV, institutione 33, n. 3.) Difficultates ejusmodi non ex professo hic discutiemus, sed earum dumtaxat solutionem breviter adnotabimus.

1° Ad validitatem matrimonii sufficit præsentia solius parochi sponsæ, si matrimonium celebretur in sponsæ parochia; item solius parochi sponsi, quando in sponsi parochia contrahitur. Ita decisum a Sacra Congregatione Concilii, libro 1 decretorum, pagina 125 a tergo. Atque ita omnino tenendum, vide passim apud doctores de matrimonio tractantes.

2° Proprius parochus, non est parochus originis, sed domicilii. Vide Benedictum XIV, institutione 33, n. 6.

3° Qui domicilium habet in duabus parochiis, matrimonium inire potest coram eo parocho, in cujus territorio degit quando contrahit. (Benedictus XIV, loco citato.)

4° Quando quis ruri degit recreationis causa, vel pro rusticanis negotiis, parochus ruris non est ejus proprius pa-

rochus. Vide id pluribus Sacræ Congregationis Concilii declarationibus firmatum, apud Benedictum XIV, loco citato, n. 7.

5° Si quis domicilium suum relinquens, contrahat in loco, in quo nec domicilium nec quasi domicilium acquisivit, matrimonium est invalidum. (Vide Benedictum XIV, citata institutione 33. n. 8.)

6° Si quis in loco, in quo non fuit publicatum Tridentinum decretum, contrahat sine parocho et testibus, invalide contrahit, antequam ibi domicilium acquisiverit : valide autem, si ibi acquisiverit domicilium vel quasi domicilium. (Vide probatum loco citato, n. 9.)

7° Vagorum proprius parochus quoad matrimonium censetur ille, in cujus parochia vagi illi actu reperiuntur. (Ibidem, n. 10.)

8° Si quis in perpetuum vel ad certum tempus in carcere detineatur pœnæ luendæ causa, ejus proprius parochus ille censendus est, in cujus parochia exstat carcer. Si vero in carcere detineatur dumtaxat custodiæ causa, verbi gratia, donec de eo sententia proferatur, ejus parochus quoad matrimonium ille est, in cujus parochia domicilium habebat, antequam in carcerem detruderetur. (Ibidem, n. 12.)

9° Quando contrahendum est matrimonium ab aliquo, qui in xenodochio degit, an matrimonium celebrari debeat coram cappellano xenodochii, an vero coram parocho loci, in quo exstat xenodochium, *magno studio contenditur*. (Benedictus XIV, institutione 33, n. 13.) Qua stante opinionum diversitate, sic prudenter quoad suam Bononiensem diœcesim statuerat laudatus Benedictus XIV : « Præcipimus ut quoties « hæc eveniant, statim nos de more certiores faciant, ut sta- « tuamus qui matrimonio celebrando intersit. » (Institutione 33, n. 13.)

10° Quando matrimonium contracturæ sunt puellæ, quæ in hospitio spuriarum detinentur, contrahendum est coram parocho, in cujus territorio situm est hospitium, non autem coram illius hospitalis cappellano seu rectore. (Benedictus XIV, institutione 33, n. 14.)

11° Quoad puellas in monasterio degentes, vel aliud domi-

cilium non habent; et tunc earum matrimonium celebrari debet coram parocho loci, in quo exstat monasterium: vel habent domicilium aliud (verbi gratia, paternum, vel maternum, vel fraternum) et tunc coram parocho hujus domicilii est contrahendum. Denuntiationes vero in utroque loco fieri tunc debent (Benedictus XIV, loco citato, n. 16.)

12° Quoad famulos et famulas, idem dicendum ac de puellis in monasterio degentibus. (Ibidem, n. 17.)

§ II.

Describitur jus parochi quoad matrimonia.

I. Ad ipsum proprio jure pertinet denuntiare matrimonia a parochianis suis contrahenda. Expresse enim a *proprio contrahentium parocho* esse denuntiationes illas faciendas decrevit concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 1, *de Ref. matrim.*) « Nec eas possunt regulares publicare infra missarum « solemnia, ut censuit Sacra Congregatio... » (Barbosa, *de Parocho*, cum *Addit.* Giraldi,cap. 21, n. 16.)

II. Item ad ipsum pertinet benedictionem nuptialem impertiri: *Statuitque benedictionem a proprio parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso parocho, vel Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse; quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* (Trid. concilium, sess. 24, c. 1, *de Ref. matrim.*)

III. Potest tamen parochus alium sacerdotem delegare, tum ad faciendas denuntiationes, tum ad assistendum matrimonio, tum ad impertiendam nuptialem benedictionem.

IV. Per prædictum jus parochi, nequaquam excluditur jus

Episcopi per seipsum, si velit, vel per alium a se deputatum sacerdotem, faciendi denuntiationes, nuptialem benedictionem impertiendi, et matrimoniis assistentiam præstandi; sed a fortiori jus illud ad Ordinarium diœcesis pertinet, cum sit parochus parochorum et curam totius diœcesis habeat. Imo nec excluditur vicarius generalis Episcopi, ob ordinariam quam universaliter habet jurisdictionem: unde, et per se potest, si sit sacerdos, matrimoniis valide assistere, et (etiamsi nondum presbyteratui sit initiatus) alium ad id deputare, modo is sacerdos sit; prout in tractatu *de Judiciis ecclesiasticis*, agendo de vicariis generalibus, probavi.

Hinc quando vicarius generalis in aliqua parochia vult per seipsum matrimonio assistentiam præstare, et nuptialem benedictionem impertiri, vel presbyterum aliquem ad id præstandum deputat, nequit parochus obsistere, aut conqueri quasi sibi injuria fieret; essetque in hoc casu parochi resistentia grave delictum, quod gravibus pœnis plecti posset. Quamvis autem Ordinarius ejusque generalis vicarius possint per seipsos matrimonia peragere, regulariter tamen, et nisi adsit rationabilis causa, parochis esse munus illud relinquendum, passim ab auctoribus adnotatum reperies.

V. Jus non habet parochus assistendi matrimoniis, nisi præmissis publicationibus, vel obtenta ab Ordinario eas omittendi facultate. Quamvis autem graviter peccet assistendo libere contractui matrimoniali omissis illis denuntiationibus, et non obtenta ab Episcopo dispensatione, validum tamen erit matrimonium, modo adsint simul duo testes. Dicimus assistendo *libere* : fieri enim potest ut contracturi cum duobus testibus ex inopinato parochum adeant, et coram eo, etsi invito, mutuum consensum emittant : quo casu validum erit matrimonium ; nec peccabit parochus, utpote coacte assistens; sed graviter peccabunt hoc modo contrahentes.

VI. Jus proinde non habet parochus assistendi occultis matrimoniis quæ matrimonia *conscientiæ* vocantur, nisi ad hoc ab Episcopo deputetur; siquidem ea matrimonia ideo occulta dicuntur, quod fiant omissis denuntiationibus, licet coram requisito testium numero. Quando autem Episcopus, justa de causa, ejusmodi matrimonia permittit, et ipse, et pa-

rochus, sive alius quem deputat sacerdos, tenentur eas servare formalitates, quas præscripsit Benedictus XIV in sua constitutione *Satis vobis*, 17 novembris 1741 ; quarum summam vide a Giraldo expositam (*Addit. ad Barbosam, de Parocho*, c. 21, n. 29). Atque ibidem vide casum, quo parocho licet, ad removendum scandalum, talia secreta matrimonia revelare. Item quoad proles ex iis matrimoniis ortas quid servandum sit, præscribit in citata constitutione laudatus Pontifex.

VII. Potest parochus valide matrimoniis assistere, etsi nondum sit sacerdos, sed prima dumtaxat tonsura initiatus; prout decisum a Sacra Congregatione Concilii, et a Clemente VIII confirmatum, vide apud Fagnanum (in cap. *Præterea 5, de Ætate et qual. præficiend.*, n. 8).

VIII. Potest quidem, attenta sola validitate, parochus alium deputare sacerdotem ad præstandam matrimonio assistentiam. Atvero id eum *licite* non posse, nisi *legitima gravissimaque de causa* impeditus, monet Benedictus XIV, in sua constitutione *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743, § 9. « Et quando « concessit alteri sacerdoti licentiam assistendi, ipse paro- « chus tenetur adnotare in libro ad hoc confecto etiam istud « matrimonium. Cum enim spectet ad parochum fidem « facere de matrimoniis suorum parochianorum, hæc debent « probari per hujusmodi librum : circa quod proinde si pa- « rochus negligens fuerit, deficit in suo munere in re valde « gravi, ideoque mortaliter peccat. » (Giraldi, *Additamenta ad Barbosam, de Parocho,* c. 21, n. 62.)

IX. Nequit parochus quidquam pro benedictione nuptiali exigere. Si quid tamen sponte offeratur, potest legitime recipere. Atque illa spontanea oblatio ad parochum pertinet, etiamsi alium deputaverit ad impertiendam nuptialem benedictionem. (Vide Barbosam, *de Parocho*, cum *Addit.* Giraldi, c. 21, n. 99, et 103)

CAPUT VII

JUS PAROCHI QUOAD EXTREMAM-UNCTIONEM ET VIATICUM.

I. Ad parochum pertinet jus extremam-unctionem parochianis suis ministrandi; ita ut alii sacerdotes, etsi valide, licite tamen, extra casum necessitatis, illud ministrare nequeant absque parochi vel Ordinarii licentia. Dicimus *extra casum necessitatis*: nam instante mortis periculo, et absente parocho, posse a quolibet sacerdote ægrotum sacro oleo inungi, pro certo tenendum est; quidquid in contrarium olim senserint nonnulli theologi. (De quo vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, lib, 7, c. 19, n. 7.)

II. Regulares qui, extra casum necessitatis, extremam-unctionem parochi subditis ministrarent absque ejus licentia, non tantum peccarent graviter, sed et incurrerent excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam, ut constat ex clementina I *de Privilegiis*.

III. Atvero licite possunt hoc sacramentum ministrare confratribus tam professis, quam novitiis, fratribusque oblatis sive donatis, necnon famulis actu inservientibus, et intra septa monasterii degentibus. Unde possunt regulares oleum infirmorum apud se retinere. (Vide Barbosam, *de Parocho*, cum *Additam.* Giraldi, c. 22, n. 4, et c. 20, n. 12.)

IV. Idem dicendum de administratione sanctissimi sacramenti per modum viatici; utpote quæ ad parochum eodem modo pertinet ac ministratio extremæ-unctionis. Et de hoc nulla est difficultas. Vide illud decisum, etiam quoad sacerdotes et clericos infirmos, in causa *Eugubina*, 12 martii et 2 aprilis 1729 (in *Thesauro resolutionum*, tomo 5),

V. Etiam canonici cathedralis, viaticum et extremam-unctionem recipere debent a rectore parochiæ in qua degunt et infirmi decumbunt. Id pluries decisum a Sacra Congregatione Concilii, vide apud Zamboni (parte 1, verbo *Parochus*, § 1, n. 4, 6, 7). Item vide præfatam causam *Eugubinam*, 12 martii 1729 (tomo 5 *Thesauri resolutionum*).

Episcopo infirmo viaticum et extremam-unctionem ministrare non pertinet ad parochum ; sed pluries a Sacra Congregatione Concilii decisum fuit servandum esse cæremoniale. Verbi gratia, in *Faventina* 7 junii 1760 (in *Thesauro resolutionum*, tomo 29), ad dubium VIII : *An capitulo ejusque primæ dignitati competat jus administrandi Episcopo ægrotanti sacramenta sanctissimæ Eucharistiæ et extremæ-unctionis, seu potius an, et in quibus casibus idem jus competat parocho Sancti Terentii, in casu* ? Responsum est : *Ad* VIII, *servetur cæremoniale.* Porro cæremonialis dispositio est in hunc modum (l. 2, c. 38, § 3 et 4) : « Episcopus ægrotans.., « cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, pri- « ma peccata sua confessario diligentissime confiteatur ; dein- « de tempore congruo sacrum petat viaticum ; et antequam « communicet, indutus rochetto et stola, præsente sanctissi- « mo Christi corpore, profiteatur catholicam fidem, ex for- « mula ab Apostolica Sede præscripta, quam affirmet se sem- « per inconcusse et firmiter tenuisse et credidisse, seque in « ea velle vivere, et mori cum Deo placuerit. Tum majori « qua poterit devotione et humilitate, sacrum sumat via- « ticum, quod illi deferat prima dignitas, comitante capitulo « et toto clero cathedralis ecclesiæ, in habitu ecclesiastico; « et cum candelis accensis... : moneatque Episcopus sacris- « tam seu curatum, ut cum tempus erit, extremæ-unctionis « sacramentum sibi administret et animæ commendationem « faciat: » Quod nulla in contrarium prævalere debeat consuetudo, sic adnotat Zamboni (tomo 2, verbo *Cæremoniale Episcoporum*, nota 29) : « Spectare ad primam dignitatem « ministrare sacramenta Episcopo decumbenti, omnes con- « veniunt doctores ; neque suffragari posse contrariam con- « suetudinem, inspecta cæremonialis clausula, quæ irritat « contrarias contrarias consuetudines : ac etiam declaravit « Sacra Congregatio Rituum, in *Gerundinensi*, 11 februarii « 1702 ; ubi quanquam allegaretur contraria consuetudo, « servari in omnibus cæremoniale mandavit. »

CAPUT IX.

JUS PAROCHI QUOAD OBLATIONES

Exponemus 1° quid de jure communi parochis quoad oblationes competat ; 2° quomodo hodie in Gallia prærogativa illa parochorum reguletur.

§ I.

Quid de jure communi competat parocho circa oblationes,

Quæstio 1 ª. — *Quid sint oblationes* ? — 1° Oblationes lato sensu vocantur res omnes, sive mobiles, sive immobiles, quæ intuitu religionis Deo offeruntur, ut, vel in usum Ecclesiæ, vel in usum ipsius ministrorum cedant.

2° « Oblationum tres sunt species : *prima* dicitur donatio « rei inter vivos facta Deo et Ecclesiæ ; *secunda* dicitur do- « natio causa mortis, quæ fit pro animæ redemptione ; *ter- « tia* dicitur usualis ; et est illa quam faciunt fideles, dum « offerunt ad altare, vel ad manum sacerdotis. » (Barbosa, *de Parocho*, cap. 24, n. 3.)

3° Restringi autem solet *oblationum* vocabulum ad illas res mobiles quæ a fidelibus offeruntur, ad Ecclesiæ vel ministrorum usum, tum ad altare intra missam, tum occasione aliarum sacrarum functionum, puta, pro benedictione nuptiarum, pro benedictione mulierum post partum, pro exequiis seu sepulturis, et aliis similibus. Et in hoc strictiori sensu vocabulum illud hic usurpamus : eo nempe sensu, qui solet gallice exprimi per vocem *casuel*. Et circa ejusmodi usuales oblationes quærimus nunc quodnam jus parochis competat.

Quæstio 2ª. — *Ad quem pertineant oblationes, tam quæ jure debentur, quam quæ sponte offeruntur*. — 1° Ad quæstionem illam sic respondet Leurenius (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 463, n. 2). « Oblationes utræque de jure communi

sp ectant ad parochum, seu presbyterum ecclesiæ rectorem. » I n quo admittendo generali principio concordant doctores. Hinc attento jure communi dicendum est, ad parochum pertinere, *primo* oblationes quæ fiunt in ecclesia parochiali intra celebrationem missæ, etiamsi non ipse parochus, sed alius sacerdos celebret; *secundo* item oblationes quæ fiunt pro benedictione nuptiarum, pro sepulturis, pro benedictione mulierum post partum, aliisque functionibus sacris; etiamsi non ipse parochus, sed alter in ecclesia parochiali dictas functiones peragat.

2° Quantumvis autem certum sit præfatum principium, fieri potest ut, vi consuetudinis, aliter se res habeat. Nam posse consuetudinem quoad hoc contra dictum jus commune præscribere, adnotant pariter doctores; et monent multum in hac re attendendum locorum consuetudinibus legitime præscriptis.

3° Si oblatio nullo titulo debeatur, et offerens expresse dicat se velle dare sacerdoti functionem sacram peragenti, ad hunc, non ad parochum, oblatio illa pertinebit.

Quæstio 3ª. — *Ad quemnam oblationes quæ fiunt, tum alicui cappellæ vel imagini ecclesiæ parochialis, tum alicui oratorio extra ecclesiam parochialem, intra ambitum tamen parochiæ, existenti?* — Per se et nisi aliter constaret de mente offerentis, ad parochum pertinerent. (Vide Leurenium, loco citato, n. 3.) Sed regulariter loquendo, ejusmodi oblationes non fiunt ut cedant in usum parochi, sed ad ornamentum imaginis, oratorii ve, aut cappellæ. Et tunc in hunc finem omnino sunt adhibendæ. Atvero, in hoc casu ad parochum pertinere administrationem ejusmodi oblationum, vide apud Leurenium (loco cit. n. 8). et Barbosam *de Parocho*, c. 24, n. 22).

Quæstio 4ª. — *An oblationes ex justitia debeantur, ita ut possit parochus eas exigere?* — 1° « Ad faciendas obla-« tiones parochiani neque divino neque humano ullo præ-« cepto obligantur. » (Ita Leurenius, in suo *Foro beneficiali*, parte 1, q. 461, adducens Lessii et Suaresii auctoritatem.) « Se-« cure tenendum est, ait Barbosa (*de Parocho*, c. 24, n. 9), « oblationem non deberi ex præcepto, cum id in sacris ca-

« nonibus nusquam appareat. » Et hæc sententia communiter recipitur, contra nonnullos veteres canonistas, qui contrarium tenuerunt.

2° Per consuetudinem tamen potest induci obligatio certas et determinatas ejusmodi oblationes faciendi. Quæ quidem consuetudo, etsi initio voluntaria, si decursu temporis eas conditiones induerit, quæ vim legis consuetudinibus tribuunt, poterit parochus dictas oblationes ex justitia exigere. (Vide Barbosam, *de Parocho*, c. 24, n. 12.)

3° Insuper ex triplici titulo posse oblationes obligatorias evadere tenent communiter doctores cum sancto Thoma (3, 2, q. 86. a. 1): nempe, « *Primo*, dum debentur per modum census, pensionis aut conventionis antea factæ cum ecclesia; « *Secundo*, cum debentur ex testamento, legato, donatione, « voto; *Tertio*, dum minister ecclesiæ non habet congruen- « tem sustentationem; tenentur enim tunc parochiani (nisi « et ipsi tam sint inopes et tenues, ut nequeant concurrere « ad sustentationem parochi) facere oblationes aliquas. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 461.)

Quæstio 5ª. — *Quomodo ad Episcopum pertineat determinare quænam oblationes ex justitia exigi possint?* — 1° Ubi ex consuetudine non tenerentur fideles ullas oblationes facere, atque aliunde non deesset congrua cleri sustentatio, non posset Ordinarius ejusmodi oblationes obligatorias ex justitia decernere. Sequitur ex principio supra memorato, et communiter a doctoribus admisso, nullam scilicet exstare neque divinam neque ecclesiasticam legem, qua ad id parochiani adstringantur. Nec penes Ordinarium est de bonis temporalibus diœcesanorum pro libitu disponere; sed dumtaxat eos ad contribuendum compellere potest, ex causis et in casibus a jure determinatis.

2° Cum vero, ut diximus, contingere possit, ut oblationes obligatoriæ ex justitia evaserint, tum ex titulo consuetudinis, tum etiam ex eo quod alioquin parochus sufficienti sustentatione destitueretur; quoties dubium intervenit, sive de vi obligatoria hujusmodi consuetudinis, sive de necessitate subveniendi clero per oblationes, sive de quantitate offerenda, sive de abusibus hac de re introductis aut præcavendis, ad

Ordinarium pertinet pronuntiare, et normam in his omnibus tenendam decernere. Episcopus enim ex ordinaria sua jurisdictione potestatem habet statutis et legibus decernendi, quæ ad bonum diœcesis suæ regimen conferre possunt : multi autem interest, tum injustas ac sordidas oblationum exactiones præpedire, tum ad quamnam quantitatem ex justitia parochiani teneantur determinare, et quæ oriri hac de re possent contestationes dirimere. Hinc in particulari quoad abusus circa eleemosynam pro celebrandis missis disposuit Tridentina synodus (sess. 22, decreto *de Observandis in celebratione missæ* in hunc modum : « Decernit sancta synodus « ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere et de « medio tollere sedulo curent ac teneantur, quæ vel avari- « tia..., vel irreverentia... induxit. Atque ut multa paucis « comprehendantur, imprimis quod ad avaritiam pertinet, « cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid « pro missis novis celebrandis datur, necnon importunas at- « que illiberales eleemosynarum exactiones potius quam pos- « tulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel « certe a turpi quæstu longe non absunt, omnino prohi- « beant. » Similem autem potestatem Episcopis competere, ut circa alias etiam oblationes abusus removeant, et quid justum sit decernant, dubium non est.

3° Ab ejusmodi autem Episcopi decretis, si gravatos sese existiment parochiani, aut parochi, aut alii, appellare ad superiorem ecclesiasticum possunt; cum regula generalis sit, posse a quocumque Episcopi decreto, quo quis se læsum reputaret, appellari.

§ II.

Quonam modo hodie in Gallia jus parochorum quoad oblationes determinetur.

1° In ea regione sæcularis potestas reliquit quidem ab Episcopis determinandum, seu potius gubernio proponendum, quænam oblationes ex justitia exigi possint.

2° At simul decrevit ut ejusmodi Episcoporum statuta suæ

approbationi subjicerentur, nec nisi prius a gubernio approbata possent publicari, aut ad executionem deduci. Constant hæc duo ex articulo 69 inter *organicos*, in quo sic disponitur : *Les Évêques rédigeront les projets de règlement relatifs aux oblations que les ministres du culte seront autorisés à recevoir pour l'administration des sacrements. Les projets de règlement rédigés par les Évêques ne pourront être publiés, ni autrement mis à exécution, qu'après avoir été approuvés par le gouvernement.* Quæ verba Episcopis non tribuunt potestatem dictas oblationes determinandi, sed dumtaxat gubernio proponendi quid ipsis hac de re opportunum videatur. Gubernium autem sibi reservat jus approbandi vel rejiciendi ; id est, de re ipsa statuendi et decernendi.

3° Cum ad potestatem ecclesiasticam, nullatenus autem ad sæcularem, pertineat de hac materia pronuntiare, certum est statuta Episcopi, etiam antequam a gubernio approbentur, et etiamsi a gubernio rejicerentur, plenam vim habere ; et catholicum quemque teneri ex conscientia ipsis sese subjicere, nisi forte a superiori tribunali ecclesiastico (appellatione interjecta), fuissent annullata.

4° De facto tamen, nisi accedat dicta gubernii approbatio (quæ prævia concilii status deliberatione dari solet), deerit sæcularis brachii auxilium ad obtinendam solutionem earum oblationum quas Episcopus ex justitia solvendas decrevit.

5° Hinc Episcopi Galliæ sua de oblationibus statuta, sæculari potestati nota faciunt, et ut ab ea approbentur procurant : non quod in potestate sæculari jus ullum agnoscant de ejusmodi re decernendi, sed ne alias statuta sua dicto sæcularis brachii auxilio destituantur.

6° In singulis ergo diœcesibus Galliæ eæ censendæ sunt ex justitia debitæ oblationes, quas tales Episcopus decreverit, et in ea quantitate quam determinaverit. Nec poterunt absque injustitia aut plus parochi exigere, aut minus parochiani præstare. Quæ quidem utrorumque obligatio, non ex approbatione aut sanctione gubernii (ut dictum est) oritur, sed ex sola Ordinariorum ita decernentium potestate. Deberet nempe sæcularis potestas ea Episcoporum statuta, non judicare aut approbare, sed ex simplici notificatione brachii sui auxi-

lio munire; aut certe, si ea minus justa reputaret, ad superius tribunal ecclesiasticum, pro obtinenda moderatione, recurrere.

CAPUT X.

JUS PAROCHI QUOAD FUNERALIA.

Jus illud tria complectitur : 1° jus sepeliendi ; 2° jus interveniendi funeribus ; 3° jus percipiendi emolumenta ex funeribus provenientia. De his in triplici sequenti paragrapho. Quartum addemus de modo quo hodie in Gallia jus illud parochorum regulatur.

§ I.

De jure sepeliendi ad parochos pertinente.

Propositio I^a^. — *Exceptis certis casibus, a jure determinatis, jus sepeliendi parochianos pertinet ad parochum.* — Probatur capite *Ex parte* (5, tituli 28, *de Sepult.*, libri 3 decretalium), ubi agitur de collegio canonicorum, qui jure parochiali quamdam parochiam administrabant : cumque decessisset unus ex eorum parochianis, hunc in sua ecclesia Prior quidam sepeliverat. De quo sic decernit Innocentius III: *Quoniam hoc ecclesiasticæ institutioni contrarium est, et a rationis tramite penitus alienum, ut quis falcem mittat in messem alienam, mandamus quatenus præfatum Priorem compellas, ut memoratis canonicis prædicti parochiani corpus restituat, et exinde amicabiliter conveniat cum eisdem.* Idem constat ex capite *Is qui* (3, tituli *de Sepulturis* 12, in 6), ubi de eo qui moritur in parochia villæ ruralis, sed est parochianus alterius parochiæ, sic decernitur : *Non in ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali, vel in ea potius in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debebit; dummodo absque periculo ad eam valeat deportari.* Unanimes autem sunt doctores in admittendo præfato parochorum

« jure. Parochus, ait Leurenius, hianos paroc suos om-
« nes, quibus sepultura sacra conceditur, sepelire debet
« in ecclesia vel cœmeterio parochiali (Barbosa..., Lay-
« man... cum communi). Sicut enim sacramenta et verbi Dei
« prædicationem, ita et sepulturæ officium fidelibus præs-
« tare ad eorum pastores pertinet. » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 452, n. 1.) Addit autem laudatus auctor paro-cho jus competere sepeliendi, non tantum parochianos suos, sed « item omnes alios (puta scholares, et peregrinos, ubi « hi ad propriam parochiam deferri non possunt...), intra « parochiam degentes et decedentes; estque hoc jus *paro-* « *chiale*; ita etiam ut parochus præferatur, et ante omnia sit « restituendus, si fuerit spoliatus, corpore jam sepulto; cum « illud possit extrahi auctoritate superioris, tanquam non « justæ sepulturæ traditum, et restitui. »

Diximus autem in propositione, *exceptis casibus in jure determinatis* : quia dantur revera casus (quos nempe subsequentibus propositionibus enumeramus) in quibus legitime potest parochianus sepeliri ab aliis quam a proprio parocho, et alibi quam in parochiæ suæ ecclesia vel cœmeterio.

Propositio II[a]. — *Si quis habeat majorum suorum sepulcrum alibi quam in parochiæ suæ ecclesia vel cœmeterio, nec aliam sepulturam elegerit, non tantum potest, sed debet in majorum suorum sepulcro sepeliri.* — Constat ex pluribus juris textibus ; præcipue vero ex capite *Nos instituta* (1, *de Sepulturis* 28 libri 3 decret.), in quo sic decernitur : *Statuimus unumquemque in majorum suorum sepulcris jacere ut patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam.* Unde rector ecclesiæ, in qua exstat sepulcrum majorum defuncti, hoc ipso jus acquisitum habet defunctum illum sepeliendi. Sepulcrum autem majorum dicitur locus sepulturæ, familiæ alicui reservatus, et in quo de facto jacent, vel pater, vel aliquis alius, aut aliqui alii ex majoribus defuncti. (Vide Barbosam, *de Officio parochorum*, c. 26, n. 32.)

Propositio III[a]. — *Quilibet, modo ætatem pubertatis attigerit, sepulturam suam eligere potest ; ita ut in ea debeat sepeliri, quamvis extra parochiæ suæ ecclesiam et cœmete-*

rium. — Constat sequentibus juris textibus : capite *Nos instituta* (1, *de Sepulturis*), in quo expresse dicitur : « Nulli « tamen negamus propriam eligere sepulturam... ubicumque « libitum fuerit eligat sepulturam. » Capite *Licet* (4, *de Sepulturis,* in 6), in quo sic decernitur : « Licet pater mi- « nores filios, qui nequeunt antequam ad annos pubertatis « perveniant eligere sepulturam, possit (si consuetudo terræ « id habeat) quo voluerit sepelire ; hoc tamen non potest ubi « consuetudo hujusmodi non habetur ; sed sunt cum suis « majoribus, vel in parochiali ecclesia tumulandi. Quamvis « autem filiusfamilias absque patris assensu sibi possit libere « eligere sepulturam, pro anima tamen sua præter ipsius « assensum (nisi peculium castrense aut quasi castrense ha- « beat) aliquid judicare potest. » Clementina *Dudum* (2, *de Sepulturis*) decernit posse religiosos Dominicanorum et Minorum ordines in suis ecclesiis sepulturam dare omnibus, qui eam ibi elegerint. Ex his et aliis textibus tanquam omnino certum concludunt unanimiter canonistæ, liberum esse cuique, modo tamen pubertatis annos attigerit, suam ubi voluerit sepulturam eligere. Pubes autem censetur masculus qui decimum quartum, femina quæ duodecimum annum complevit.

Propositio IV[a]. — *Pro impubere sepulturam eligere potest pater, et (hoc deficiente) mater, et (patre et matre deficientibus consanguinei, affines, et etiam tutor, modo ea sit regionis consuetudo* Quoad patrem expresse decernit caput *Licet* (4, *de Sepulturis*, in 6), his verbis : *Licet pater minores filios, qui nequeunt (antequam ad annos pubertatis perveniant) eligere sepulturam, possit (si consuetudo terræ id habeat quo voluerit sepelire...* Id vero deficiente patre, extendendum ad matrem et alios memoratos, utpote qui paterno juri quoad hoc succedunt, communius tenent doctores. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale* parte 1, q. 452, n. 2.)

Nota. — Quod in duobus ultimis propositionibus dicitur de libertate sepulturam eligendi, ita intelligitur, ut nequeat tamen sepultura eligi, nisi in aliqua ecclesia, aut cœmeterio ecclesiæ, quæ de jure ordinario (prout ecclesiæ parochiales), vel saltem ex privilegio, sepulturas habere queat.

Propositio V[a]. — *In monasterio suo respectivo sepeliri possunt : novitii, etiam extra monasterium decedentes, modo ad illud transferri queant : domestici, religiosis inservientes et apud ipsos degentes, quando intra septa monasterii decedunt : tertiarii qui collegialiter vivunt ; tertiariæ quæ cum habitu tertiariarum et voto castitatis vivunt.* — Hos omnes, etiam invito parocho, sepeliri posse in respectivo suo monasterio seu conventu, ab ejusdem conventus aut monasterii religiosis, vide apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 452, n. 4, 5 et 7) Atque item infirmi, in hospitali absque sepulturæ electione decedentes, sepeliri possunt ab hospitalis rectore, in ecclesia eidem hospitali annexa, si hæc privilegio sepulturas habendi donata sit. Et quoad ejusmodi infirmos, rectores hospitalium dicuntur parochi, et omnia sacramenta eis ministrare possunt. (Leurenius, loco cit.)

Propositio VI[a]. — *Parocho non licet officium facere super cadaveribus in aliena ecclesia tumulandis.* — Constat sequenti Sacræ Congregationis Rituum declaratione : « Œconomi et ministri ecclesiæ Sancti Juliani conquesti sunt « de curatis loci, prætendentibus facere officium super cadaveribus quæ deferuntur in eorum ecclesia sepelienda, « necnon cantare missas, aliaque facere, ac si essent in propriis ecclesiis ; supplicantes declarari, an liceat ? Et Sacra « Congregatio respondit *non licere.* Die 20 novembris « 1628. » (Apud Gardellini, n. 632.)

Item in Andriensi, 10 februarii 1629, eadem Sacra Congregatio respondit : *Officium super cadaveribus in ecclesiis regularium fieri debere per ipsos regulares, non autem per alios curatos, etiam cathedralium, non obstante quacumque contraria consuetudine* (apud Gardellini, n. 648). Idem reperies decisum 18 augusti 1629 (Gardellini, n. 684).

Propositio VII[a]. — *In casu, quo defunctus tumulatur in ecclesia regularium, non posse parochum defuncti impediri ab ipsis regularibus, quin pulset campanas parochiales ; neque ipsos regulares ecclesiæ, in qua defunctus sepelitur, impediri a parocho, quin pulsent campanas eorum ecclesiæ.* — Ita expressis terminis declaravit Sacra Congregatio Rituum. (Apud Gardellini, n. 1217.)

Nota. — Qoad jus parochiarum habendi sepulturas, tanquam certæ haberi solent duæ sequentes regulæ : 1° jus ordinarium sepulturas habendi competit ecclesiis parochialibus. Ecclesiæ vero regulares, collegiatæ, et cæteræ non parochiales, nonnisi ex privilegio jus illud habent. (Vide Leurenium, *Forum benef.*, parte 1, q. 452, n. 2.) 2° Privilegium istud concedi potest alicui ecclesiæ non parochiali ab Episcopo, de consensu tamen cathedralis capituli. Quod vide pariter apud laudatum Leurenium, loco citato.

§ II.

De jure parochi interveniendi funeribus.

Distinguendum jus sepeliendi a jure interveniendi funeribus; quia quandoque, etsi ad alios pertineat defunctum sepelire, jus tamen parocho remanet corpus e domo levandi, et funus ducendi usque ad ecclesiam, in qua ab aliis explendum officium et facienda sepultura est. Quod jus parochorum funeribus interveniendi, quandonam ipsis competat, et quomodo intelligi debeat, hic exponendum occurrit. Ob multiplices autem hac de re solvendas quæstiones, ad distincta quædam capita rem totam reducemus, in hunc modum: 1° ostendemus parocho revera competere jus funeri interveniendi, etiam quando ad ipsum non pertinet parochianum sepelire. 2° Dicemus quasnam ipse functiones tunc jure proprio possit peragere. 3° Quid in ducendis ejusmodi funeribus observandum sit quoad crucem. 4° Quid juris ad parochum pertineat quoad præcedentiam.

I.

Etiamsi parochianus in aliena ecclesia et ab aliis sit sepeliendus, jus habet ipsius parochus ut ad funus vocetur et vocatus tenetur intervenire.

« Parocho, ait Leurenius, de jure communi competit jus « interveniendi funeribus hinc inde coactivum: et ex neces-

« sitate reciproca, seu activa et passiva ; quo scilicet ipse « tenetur, quamvis invitus, intervenire ; et e converso paro- « chiani tenentur, quamvis inviti eum vocare (Cardinalis de « Luca, *de Parochis* discursu 28, n. 6); juxta textum capitis 1, « et Clementinæ *Dudum de Sepulturis* ; ubi communiter doc- « tores. Quod ita verum, ut licet a defuncto jussi sint advo- « cari soli regulares ad sepeliendum cadaver, nullatenus « parochus sit excludendus.., juxta declarationem Congre- « gationis præpositæ negotiis Episcoporum... Item ut re- « gulares, quamvis expresse privilegiati in hoc, ut a parocho « impediri nequeant ne in ecclesiis suis sepulturam sæcu- « laribus concedant adhuc sine parocho funus peragere ne- « queant extra suas ecclesias, ut ad illas cadaver ducatur ; « quia esset exercere jurisdictionem in territorio parochi, in « quo illi jus nullum habent, utpote constrictum ad territo- « rium ipsorum proprium, quod consistit intra septa et am- « bitum monasterii. » (*Forum benefic.*, parte 1, q. 453.)

Etiamsi corpus in ecclesia regularium sepeliendum jam intra septa monasterii existat (eo quod, verbi gratia, parochianus ibi casu, vel tanquam hospes obierit), nihilominus debere parochum ad funus vocari, vide apud laudatum Leurenium, loco citato.

Sed notetur popositionem intelligi quoad parochianos : nam si agatur de regularibus ipsis, extra monasterium suum decedentibus, posse eos, inconsultis parochis, ad monasterium deferri et ibi sepeliri, nec posse id impedire parochos sub prætextu quod prius solvendum sit jus sepulturæ, vide ab eodem Leurenio probatum, loco citato.

Dictum autem jus parochorum interessendi funeribus, ex iis omnibus Sacræ Congregationis Ritum declarationibus firmatum remanet, quæ certas ipsis functiones in iis funeribus attribuunt, et quarum nonnullæ infra referuntur. Si enim potest parochus in iis funeribus nonnulla peragere, a fortiori potest adesse.

II.

Parocho, quatenus funeri intervenienti, quænam functiones, quænamve jura competant.

1° Quamvis parochianus in aliena ecclesia, et ab aliis, sepultura donandus sit, ad ejus parochum pertinet stolam deferre, corpus e domo levare, aqua benedicta respergere, et præcinere antiphonam *exultabunt Domino*. — Ex multis, quæ ad id probandum adduci possent declarationibus, sequentes seligimus : « Sacra Rituum Congregatio.. censuit, « regularibus supradictis nullo modo licere, etiam specialis « alicujus consuetudinis prætextu, parochias cum cruce pro- « cessionaliter aut aliter ad levanda et efferenda de- « functorum corpora, intrare, vel illa levare, et efferre, nisi « vocato et expectato proprio parocho eoque ibidem præsente, « nisi tamen ipse aliter fieri consentiat, vel requisitus venire « expresse omnino recuset : neque etiam licere eisdem re- « gularibus aut in domo, aut per viam, dum defuncti cadaver « ad sepeliendum defertur, illud aspergere, neque ante ja- « nuam ecclesiæ orationem solitam cantare seu dicere, ante- « quam cadaver intus illam collocetur, etiamsi in eorum ec- « clesiis suam defuncti elegerint sepulturam; hæc enim omnia « proprio parocho competere, ad regulares vero su- « pradictos solum spectare facere officium circa corpus de- « functi, postquam intus eorum ecclesias fuerit delatum, » (12 octobris 1619, Gardellini. n. 429.)

« Sæpissime a Sacra Rituum Congregatione declaratum « fuit, ad parochum defuncti spectare in funeribus stolam « deferre, aqua benedicta cadavera aspergere antequam e « domo efferantur, et antiphonam præcinere, *exultabunt* « *Domino*... Imo a Sacra Congregatione Concilii (in Calliensi « jurium parochialium, 20 decembris 1828) declaratum fuit « hoc pertinere etiam in funeribus canonicorum ecclesiæ cathedralis. Præcedentia vero parochi supra capitulum col- « legiatæ statuta fuit a Sacra Rituum Congregatione in Fa- « ventina, 15 septembris 1668. » (Sacra Congregatio Rituum

apud Gardellini. n. 4524.) Vide etiam Leurenium *Forum beneficiale,* parte 1, q. 453, n. 2 et seq.

2° Quando defunctus in ecclesia regularium tumulandus est, tenetur parochus associare cadaver usque ad ecclesiæ regularium januam. Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, 2581, 2688. Quod si parochus funeri adesse recuset nec alium mittat, possunt regulares levare cadaver. (Ibidem, n. 2581, 2694.)

3° Quando parochus pervenit ad januam ecclesiæ regularium in qua sepeliendum est corpus, an possit consuetas preces deposito feretro recitare? An ingredi ecclesiam processionaliter cum stola usque ad locum in quo deponendum est feretrum? an functioni a regularibus faciendæ cum vel sine stola interesse? — De his sic reperio a Sacra Congregatione Rituum declaratum, apud *Gardellini.*

« Die 23 martii 1619.. Congregatio Sacrorum Rituum censuit... *associato funere ad ecclesiæ portam, debere parochum, vel illum ex capitulo et clero penes quem animarum curæ exercitium existit, ad populum converti eique absolutione impertita recedere, relicto cadavere in ecclesiæ dictorum clericorum regularium, ad quos dumtaxat peragendi officii cura spectabit.* » (Gardellini, n. 422 : et consonat numerus 429.)

« An parochus defuncti et clerus sæcularis in associatione cadaverum possint ingredi ecclesias regularium, in quibus præfata cadavera tumulari debent, etiam cum cruce usque ad locum in quo cadaver collocatur, » Sacra Congregatio respondit : *Posse parochos supradictos et clerum sæcularem ingredi ecclesiam cum cruce ; nullam tamen ibi peragere functionem circa cadavera. Die 20 junii* 1654.) Apud Gardellini, n. 1559.

Et cum ulterius petitum fuisset an præmissa decisio intelligenda esset de ingressu *usque ad locum* in quo defuncti cadaver collocatur, responsum est: *Affirmative, dummodo parochi statim discedant e loco prædicto, et ad propria revertantur, liberum absolutionis cæremoniæ regularibus peragendæ locum illico dimittentes. Die 10 junii* 1656. (Apud Gardellini, n. 1654.)

« An possit prælucli aditus parocho processionaliter cum « cruce stola et superpelliceo ingredienti ecclesias regula- « rium, quando cadavera in eorum ecclesiis sepeliuntur, « comitando tantummodo defunctum ?.. Sacra Congregatio.., « respondit.. *Non licere parocho, et posse impediri, nisi adsit « contraria consuetudo immemorabilis formiter et legitime « probanda.* » (Gardellini, n. 2684)

« *Primo* utrum renuentibus parochis cadavera ad eccle- « sias regularium associare, possint regulares ipsi cadavera « de domo levare, et ad ecclesiam ducere, et sepelire absque « parochi præsentia, nec possint a parochis impediri? *Secundo*, « an parochi, postquam cadavera associarunt usque ad ja- « nuas ecclesiæ regularium, teneantur ab ea recedere, vel « saltem stolam dimittere, et manere in loco distanti ab of- « ficiatura, nec in ea se ingerere? *Tertio* an parochi dum « pervenerint ad fores ecclesiæ regularium, in associatione « cadaveris, teneantur deponere crucem in ipsa janua vel « saltem eam collocare in loco distanti ab officiatura ? — « Sacra Congregatio respondit: *Ad I affirmative, posse vocatis « parochis, et ipsis renuentibus intervenire, vel alterum mit- « tere, ut resolutum fuit in Senogalliensi die 22 junii 1675 « Ad II teneri ab ea recedere, nisi adsit contraria consuetudo « immemorabilis legitime probanda, vel saltem admitti posse dimissa stola. Ad III sub unica cruce sunt deferenda cada- « vera et debet esse illius ecclesiæ, ad quam corpus defertur.* « 20 novembris 1677. » (Gardellini, n. 2694.)

« An liceat parocho cathedralis Camerinensis, occasione « associationis defunctorum ad ecclesiam regularium, depo- « sito feretro ante limina ecclesiæ, preces consuetas recitare ? « — Sacra Congregatio censuit : *Non licere et amplius*. » (Gardellini, n. 3644.) Vide etiam numerum 3573.

Communiorem autem canonistarnm de eadem re doctrinam sic exprimit Leurenius (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 453, n. 3) : « Ad parochum spectat, tam in domo defuncti, quam « per viam, donec accedatur ad ecclesiam regularem, in qua « cadaver sepeliendum et exequiæ peragendæ, officium pe- « ragere ; quamvis oporteat per aliarum parochiarum fines « transire ; dum ita dicitur continuare jus suum, jam incep-

« tum in suo termino a quo, usque ad terminum ad quem « (Cardinalis de Luca *de Regularibus* discursu 1, n. 53); « juxta declarationem Sacræ Congregationis præpositæ ne- « gotiis Episcoporum. Ac ita tenetur usque ad januam ec- « clesiæ regularium in qua sepeliendus defunctus, funerale « ducere et prosequi, juxta eamdem Congregationem. Sed « neque dum mortuus in hospitali elegit sepulturam in alia « ecclesia, ac propterea inde asportandum funus, possunt re- « gulares, quorum est hospitale, se in hoc ingerere extra « septa propriæ domus regularis ; sed tali casu subintrat pa- « rochus, nimirum proprius defuncti sub cujus parochia hic « vivebat; et non ille intra cujus parochiam situm est hos- « pitale, nisi forte ex privilegio et consuetudine. »

« Porro debent regulares vocati ad funus associandum ac- « cedere ad ecclesiam parochialem, et exinde cum parocho « ad domum, ex qua exportandum cadaver, se conferre. « Quamvis in hoc (num sufficiat regulares invitatos reperiri « in loco in quo cadaver est, et exinde tantum perrecturos, « an vero debeant accedere ad ecclesiam parochialem, ex « qua dirigenda processio ad accipiendum corpus in propria « domo) deferendum esse consuetudini ; et (cessante consue- « tudine) servandum regularibus quod jam dictum, utpote « contra eos decisum, asserat Cardinalis de Luca (*de Regul.*, « discursu 1, n. 61).

« Verum in ingressu portæ vel atrii ecclesiæ regularis, aut « alterius, in qua sepeliendus defunctus, parochus suum « munus dimittit, illudque reassumit Prælatus istius domus « regularis (vel alius regularis de ejus mandato), vel alter « parochus sæcularis, si ecclesia electa pro sepultura sit « alia parochialis. »

4° Potest parochus prohibere regularibus ne propriam cru- cem erigant in funeribus, quando cadavera non deferuntur ad eorum ecclesias. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gar- dellini, n. 570, ad 4.)

5° Dummodo autem incedant sine cruce, prohiberi nequeunt a parocho regulares ne ad funus vocati, corpus as- socient psalmos de more canendo. (Sacra Congregatio Ri- tuum, apud Gardellini, n. 684).

6° Parochus impedire nequit quin confraternitates funus associent. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 685.)

7ª Parochus per cujus parochiæ fines transit funus, nullum jus acquirit, nec transitum impedire potest, aut quidquam stipendii petere. (Sacra Congregatio Rituum, in Fanensi 14 februarii 1626 ; apud Gardellini, n. 468). — Idem decisum in Sutrina 15 septembris 1685. (Apud Gardellini, n. 2945.) Item in Turritana 9 decembris 1634 (Gardellini, n. 863).

8° Ad parochum spectat declarare per quam viam exportandus sit defunctus. — Ita decisum a Sacra Congregatione præposita negotiis Episcoporum et regularium refert laudatus Leurenius, citato loco, n. 4.

9° *Non ad parochum, sed ad hæredes pertinet quos voluerint clericos convocare* ; *sicut et numerum cereorum, atque alia, ad majorem minoremve pompam adhibenda, determinare.* — Vide id variis Sacrarum Congregationum decisionibus declaratum, apud Leurenium, citato loco, n. 4.

10° Officium funerale in ecclesia regularium in qua sepeliendus defunctus, non a parocho, sed a prælato regulari, vel alio ab ipso deputato peragendum est. Si electa fuerit a defuncto alia ecclesia parochialis, officium in ea peragendum est a rectore illius ecclesiæ, non autem a parocho defuncti. (Leurenius, loco citato, n. 7.)

11° Quando exequiæ fiunt in sua parochia, potest parochus ad funus vocare quos maluerit clericos, nisi hæredes defuncti aliter disponant. — « Parochus seu vicarius Sancti Romani « in civitate Ferrariensi petiit a Sacra Rituum Congrega- « tione declarari, an ad funera et exequias, quæ fiunt et ce- « lebrantur in sua parochia, possit ad libitum vocare quos « clericos vel presbyteros voluerit ; an vero teneatur, ut « aliqui prætendunt, vocare viciniores ? — Eadem Sacra « Rituum Congregatio respondit : *Posse parochum ad libi- « tum vocare quos voluerit, dummodo illi sponte velint acce- « dere, nisi aliter disponant hæredes defuncti, quorum vo- « luntatem servandam esse* consuit et declaravit die 7 sep- « tembris 1613. » (Apud Gardellini, n. 329.)

12° Stante consuetudine immemorabili, potest parochus,

invitis regularibus, in ipsorum ecclesiis, cum superpelliceo et stola, simpliciter assistere officio, quod ab iisdem regularibus decantatur, cadaveribus defunctorum præsentibus. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 2201 et 2206.)

Sed tunc nequit parochus quidquam functionis exequi, sed solum interesse. (Ibidem, n. 2239.)

III.

Jus parochi quoad elevandam in ducendis funeribus crucem.

1. Unica tantum crux in ducendo funere elevari potest; estque hæc regula omnino certa, ut ex modo adducendis decisionibus patebit.

2. Quando funeri intervenit cathedrale capitulum, non alia crux deferenda est quam capituli. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 2424.)

3. Idem procedere quoad collegiale capitulum, sequitur ex declaratione in causa Balneoregiensi, 11 aprilis 1840. (Apud Gardellini, n. 4730.) Ibi enim dicitur elationem crucis deberi *Ecclesiæ ad quam defunctus defertur, uti pluries decretum fuit... Si vero intersit collegiatæ capitulum, huic debetur prælatio crucis, juxta generale decretum diei 2 julii 1661.* Generale illud decretum reperies apud Gardellini, sub n. 1956.

4. Excepto prædicto casu intervenientis cathedralis vel collegialis capituli, elevari semper debet *crux ecclesiæ tumulantis*, id est ad quam cadaver defertur, et in qua sepeliendum est. Constat hæc regula, tum decisionibus apud Gardellini sub numeris 684, 2694, 4061 positis, tum aliis infra indicandis.

5. Hinc si unius parochiæ defunctus in alia parochiali ecclesia sepeliendus sit, hujus posterioris, non autem propriæ defuncti parochiæ crux elevari debet. Id expresse decisum est in *Sabinensi*, 12 novembris 1831. (Apud Gardellini, n. 4524.) Orta nempe hac de re contentione inter collegiatam Sanctæ Mariæ Magdalenæ (quæ collegiata ecclesia simul pa-

rochialis erat), et alteram parochiam, Sancti Hilarii nuncupatam, ad dubium: *An et cui competat elevatio crucis*? Responsum est: *Crucis elevationem competere ad ecclesiam parochialem tumulamtem: nempe si cadavera deferantur ad ecclesiam collegiatam Sanctæ Mariæ Magdalenæ, hujus ecclesiæ crux est elevanda, etiamsi defunctus ad Sancti Hilarii, paræciam pertineret: et vicissim crucis elevatio competit ad paræciam Sancti Hilarii, si defunctus in hac ecclesia sit tumulandus, quamvis de parochia collegiatæ esset: cum sub una tantummodo cruce ecclesiæ tumulantis in funeribus esse procedendum pluries decreverit Sacra Rituum Congregatio; præsertim, in Melphitana 12 julii 1628, in Lucensi 15 maii 1694, in Melvitana jurium parochialium 27 februarii* 1723, *et* (*omissis aliis*) *novissime in Aletrina 6 maii 1826.*

6. Item si defunctus non in sua parochiali ecclesia, sed in ecclesia regularium sepeliendus sit, ecclesiæ regularis, non parochiæ crux adhibenda est. Sequitur ex præmissa regula, procedendum nempe esse *sub cruce ecclesiæ tumulantis*; et præterea decisum est in *Camerinensi* 19 septembris 1750 (apud Gardellini, n. 4061). Contendentibus nempe Franciscanorum conventu et parocho cujusdam oppidi, Ploraci nuncupati, propositum est dubium, *An plebanus oppidi Ploraci, associando cadavera sepelienda in ecclesia Sancti Francisci Patrum minorum conventualium, teneatur incedere sub illorum cruce, seu potius valeat propriam crucem elevare*? Et Sacra Congregatio respondit, *affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.*

Hinc, etsi olim disputatum fuerit, an possit parochus *cum sua cruce* ingredi regularium ecclesiam, in qua sepeliendum est corpus, jamdudum hæc difficultas evanuit; siquidem ex quo decisum fuit unicam, et quidem ecclesiæ tumulantis, intervenire posse crucem, falso supponeretur parochum suam habere.

IV.

Jus parochi quoad præcedentiam in funeribus.

Quoad præcedentiam parochi, stola induti et funus ducentis, hæc, ex variis Sacræ Congregationis Rituum decisionibus, tenenda sunt :

1° Si neque cathedrale neque collegiale capitulum interveniat, præcedentia, ac proinde dignior locus debetur parocho, stola induto et funus ducenti. Dignior autem locus tunc est ultimus : unde parochus immediate ante cadaver, post alios omnes incedere debet.

2° Si interveniat cathedrale capitulum, ipsi præcedentia et dignior locus competit : ac proinde incedere debet immediate anter cadaver ; parochus autem, stola indutus, immediate ante capitulum, et post cæteros omnes (salva sequenti exceptione).

3° Interveniente cathedrali capitulo, cathedralis curatus et sacrista, etiamsi sint amovibiles, utpote incedentes sub cruce capituli, præferuntur etiam parocho : unde incedere debent cum capitulo, post parochum, non autem ante parochum.

4° Quando intervenit capitulum collegiale, an ipsi, an vero parocho dignior debeatur locus, non una semper et eadem fuisse videtur Sacræ Congregationis Rituum sententia. De quo, ut nonnulla proferam, in una *sassoferrati*, Nucerinæ diœcesis, die 24 octobris 1609 responsum est : *Illum presbyterum, seu curatum, seu priorem, qui defert stolam, et ad cujus ecclesiam funus defertur alios omnes præcedere debere, etiam canonicos ecclesiæ collegiatæ.* In una autem *Prænestina Cavarum*, 12 maii 1618, necnon in generali decreto 2 julii 1661 (apud Gardellini, n. 1956), contrarium decisum est. In *Anagnina* 28 julii 1832, emanavit responsio, *præcedentiam competere illi qui stolam defert*, et agebatur in casu de præcedentia quoad collegiale capitulum (apud Gardellini, n. 4546). Ast in *Balneoregiensi*, 11 aprilis 1840 ad dubium,

cui debeatur præcedentia in incessu per vias occasione associandi funus, an capitulo collegiatæ capitulariter intervenienti, vel parocho ipsius defuncti, responsum est : *Debetur capitulo, uti in una Januensi, diei 13 martii 1688* (apud Gardellini, n. 4730). Tandem in *Syracusana,* 17 junii 1843, declaratur præcedentiam deberi *capitulo collegiatæ, dummodo sit, vel a parocho, vel ab hæredibus defuncti invitatum* (apud Gardellini, n. 4819). Ejusmodi autem de præcedentia parochum inter et collegiale capitulum in deducendis funeribus declarationes, an et quo sensu concordent, aliis expendendum relinquimus.

5° Circa modo dicta quoad parochi in funeribus præcedentiam, confer in Gardelliana collectione numeros 295, 638, 1575, 1598, 758, 269, 426. 413, 564, 1908, 2299, 3566, 3618, 4524, 4546, 4730, 4819, 1956.

6° Quamvis funeri interveniat cathedrale capitulum, et præcedentiam habeat super parochum, ut dictum est, non tamen ad aliquem de capitulo pertinet intonare antiphonam *Exultabunt Domino*, etc., sed ad parochum, juxta Rituale Romanum. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 2369, 2424, 2386.)

§ III.

Jus parochi quoad emolumenta ex funeribus provenientia.

Jus parochi ad ejusmodi emolumenta duplex distingui potest : jus nempe ad certam aliquam oblationem, dum ipsius parochianus in parochiali ecclesia vel cœmeterio sepelitur ; et jus ad *quartam funeralem*, dum ejus parochianus alibi sepultura donatur. De utroque jure sub sequentibus quæstiotionibus.

Quæstio 1ª. — *An possit parochus aliquid exigere pro officio sepulturæ ab ipso præstito* ? — Respondeo 1° quoad pauperes, certum est non posse quidquam exigi ; sed tenetur parochus gratis eos sepelire. 2° Etiam quoad cæteros, si agatur de modo sepeliendi ordinario (id est, non cum extraor-

dinaria pompa), et abstrahendo a consuetudine vim legis habente, nequit parochus quidquam exigere. Nam sepeliendi officium est quid spirituale, et vi muneris sui tenetur parochus illud parochianis suis præstare. Unde si pretium exigeret, injustitiæ, cupiditatis, et simoniæ reum se faceret. 3° Si tamen defuncti hæredes vel consanguinei postulent extraordinarium modum, verbi gratia, missam solemniter cantatam, et alia ejusmodi, ad quæ vi officii non tenetur parochus, poterit is, in stipendium hujus extraordinarii laboris aliquid exigere. 4° « Utrum autem valeat consuetudo quod « quid certum exigi possit a curato pro sepultura seu pro « officio sepulturæ, Abbas (in caput *Cum M. Ferrariensis, « de Constit.;* et in caput *Abolendæ, de Sepulturis*, post « glossam) tenet talem consuetudinem, post traditum sepul- « turæ corpus esse observandam, quia habet principium vo- « luntarium. Contrariam vero opinionem, imo consuetudinem « solvendi aliquid pro sepultura seu pro officio sepulturæ « non tenere, sustinet Hostiensis..., Antonius de Butrio... » (Barbosa, *de Officio parochi*, c. 26, n. 18.)

Certum autem est ad parochum pertinere oblationes quæ sponte fiunt sive intra sive extra missam, et sive ante sive post funus, in ecclesia parochiali, ejusdem funeris intuitu et occasione.

Quæstio 2ª. — *Quid sit quarta funeralis, seu canonica portio* ? — « Est certa quantitas a jure canonico inducta, et « solvi debita parocho vel Episcopo ab ecclesia illa, in qua « quis, relicta propria, sepelitur, ex relictis eidem a paro- « chiano defuncto, vel obvenientibus ratione funeris. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 454). Cum nempe, ex stabilitis supra; cuilibet liberum sit sepulturam suam alibi quam in parochiali ecclesia et cœmeterio eligere, sæpe contingit ut parochianus illi ecclesiæ aut monasterio, ubi sepeliendum se mandavit, legatum aliquod ex testamento relinquat ; item ut eidem ecclesiæ vel monasterio ratione sepulturæ fiant oblationes. Porro ecclesiastica lex, etsi permittat ita fieri, voluit tamen ut ex iis legatis et oblatis certa aliqua pars parocho tribui deberet; atque illa pars a jure determinata vocari solet quarta funeralis, vel portio parochialis, vel etiam

portio canonica. Vocatur autem *quarta,* quia de jure ordinario, et nisi aliter ex consuetudine inductum fuerit, paro-cho debetur *quarta* pars ex omnibus emolumentis, quæ occasione funeris alienæ ecclesiæ obvenerunt. Certum omnino est jus illud parochorum ad quartam funeralem, prout constat ex multis juris textibus, quorum nonnullos mox adducemus.

Quæstio 3ª. — *Quanta sit portio canonica parocho debita* ? — Respondeo 1° : de jure ordinario est quarta pars, ex omnibus emolumentis, quæ ratione funeris alteri ecclesiæ obvenerunt ; sed vi consuetudinis potest esse diversa. Constat id sequentibus juris textibus : *Præsentium auctoritate statuimus, ut, si aliquem parœcianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius quarta vobis portio relinquatur.* (Caput *Cum super* 8, tituli *de Sepulturis* 28, libri 3 decretalium.) In clementina *Dudum* (2, *de Sepulturis*) pariter præcipitur parochis solvi quartam portionem ; et quidem *de obventionibus omnibus tam funeralibus quam quibuscumque et quomodocumque relictis, distincte vel indistincte, ad quoscumque certos vel determinatos usus ; necnon de datis vel qualitercumque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis vel dantis, de qua decesserit ; quomodocumque directe vel indirecte ; fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem.* In capite autem *Certificari* (9, *de Sepulturis*) sic disponitur : *Certificari voluisti a nobis quomodo illa clausula, quæ in privilegiis solet apponi,* salva justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, *intelligi debeat et exponi. Cum autem super hoc articulo diversa antecessorum nostrorum mana-verint instituta, Leone justitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, et Urbano quartam fore censentibus : Nos tale præbemus in hac varietate responsum : ut, sicut beatus Hieronymus inquit, unaquæque provincia in suo sensu abundet, secundum rationabilem consuetudinem regionis illa justitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem, pro locorum diversitatibus attendatur.*

2° Ex his et nonnullis aliis textibus concludunt canonistæ posse, vi consuetudinis, portionem parochialem esse dimi-

diam vel tertiam partem; imo posse esse majorem dimidia et minorem quarta parte : cum hoc tamen discrimine, quod valeat consuetudo decem annorum quoad dimidiam, tertiamque, et quamlibet aliam non majorem dimidia nec minorem quarta : quoad portionem autem vel majorem dimidia, vel minorem quarta, dicunt requiri consuetudinem 40 annorum spatio præscriptam. (Vide Barbosam, *de Officio parochi*, c. 25, n. 2; et Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 454, n. 2.)

Quæstio 4ª. — *De quibus rebus solvenda sit portio canonica?* — « Respondeo : de omnibus quæ ecclesiæ, in qua quis « (relicta propria) eligit sepeliri, ratione et occasione funeris « seu sepulturæ obveniunt; puta quæ tali occasione legan- « tur illi ecclesiæ (non autem personæ certæ illius), sive res « sint mobiles, sive immobiles : quæ deferuntur seu por- « tantur cum funere : quæ offeruntur tempore quo fu- « nus seu exequiæ celebrantur; sive obveniant ante- « quam corpus in terra condatur, sive post, usque ad « trigesimum diem; et quamdiu fit memoria funeris, dum « ex causa pluribus diebus post tumulationem fiunt exequiæ « magna cum pompa; etiam dum parocho jam die funeris « data est candelarum, facum, similiumque quarta pars...; « hæc enim omnia dicuntur funeralia. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 455, n. 1.) Ita deducunt communiter auctores ex supra citatæ clementinæ *Dudum* verbis.

« In particulari : 1° debetur quarta funeralis de candelis et « cereis oblatis : item ex eis qui accensi afferuntur et po- « nuntur circa crucem et cadaver. Nulla tamen debetur por- « tio ex candelis quas fratres confraternitatum aliique pres- « byteri in manibus portant, cum hæ remaneant deferenti- « bus, juxta declarationem Benedicti XI...; uti nec de in- « torstitiis quæ portantur a locis piis ad associandum funera « pauperum.

« 2° Ex iis quæ legantur sive dantur pro legendis missis.

« 3° De armis, culcitra, pallio, pannis sericis, etc., quæ in « feretro deferuntur.

« 4° Ex bonis relictis jure institutionis, ut si defunctus « instituerit hæredem ecclesiam, in qua eligit sepulturam.

« 5° Ex iis quæ relinquuntur ecclesiis donatione, causa « mortis facta; aut in mortis articulo donantur. Item ex ea « pecunia, quam, dum regularibus talis ecclesiæ nihil lega- « tum est, frater aliquis ex illis datus executor ad eam pro « libitu suo distribuendam, distribuit inter dictos regula- « res...

« 6° Ex omnibus legatis tali ecclesiæ factis seu relictis in « ultima voluntate. » (Leurenius, loco citato.)

Dum autem dicimus portionem canonicam ex his omnibus esse solvendam, id procedere intelligitur juxta jus commune; id est, quoad eos, qui hanc portionem juxta jus commune parocho solvere tenentur. Nam ab hoc onere num regulares auctoritate apostolica exempti fuerint, infra expenditur.

« Sacra Rituum Congregatio censuit..., quoad tertium, semper quartam funeralem intorstitiorum, quæ circa corpus defuncti deferuntur, reservatam intelligi proprio parocho, quotiescumque defunctus alibi sepeliri contigerit. Die 9 decembris 1628. » (In Senogalliensi, apud Gardellini, n. 638.)

CAPUT XI.

QUÆNAM SINT FUNCTIONES PAROCHIALES, ID EST QUÆ NONNISI A PAROCHO, AUT DE IPSIUS LICENTIA PERAGI POSSUNT?

Prænotanda. — 1° Jam supra monuimus, non tantum in varias hac de re sententias doctores abiisse, sed et discrepantes videri Sacrarum Congregationum declarationes; atque ut ejusmodi contrarietatibus finis (quoad multa saltem) imponeretur, editum fuisse a Sacra Rituum Congregatione percelebre decretum, *urbis et orbis* inscriptum, diei 10 decembris 1703. De qua opinionum varietate Cardinalis Colloredus, cui demandata fuerat dicti decreti præparandi cura, sic adnotabat : « Adeo frequentes sunt controversiæ paro- « chos inter ac sodalitia, scriptorum vero opiniones, et Sacra- « rum pariter Congregationum sententiæ adeo variæ ac « discrepantes inter se videntur, ut Eminentiæ Vestræ ne-

« cessarium alias duxerint aliquem modum statuere ac judi-
« cium ferre de quibusdam controversiis, quæ generatim pro-
« ponantur ; ita ut reliquæ in posterum difficultates facile com-
« poni, aut facilius judicari possent. Id nunc eo difficilius
« obtinetur, quo facilius excitantur dissidia....; quia utræ-
« que *(partes)* facile inveniunt auctores ac decreta, quæ cau-
« sæ suæ plurimum suffragantur : quæ sane decreta variis
« temporibus, atque a diversis judicibus confecta, vim ma-
« jorem vel minorem a majori vel minori partium dissiden-
« tium peritia atque industria sibi comparaverunt. » (Apud Benedictum XIV, institutione 105, n. 92.)

2° Quo prænotato, ad propositæ quæstionis solutionem procedemus hoc modo : *primo* exquiremus quibusnam auctoritatibus, tanquam norma, nitendum sit, ad discernendas parochiales functiones a functionibus mere sacerdotalibus. *Secundo* transcribemus dictum decretum Sacræ Congregationis Rituum 10 decembris 1703. *Tertio* concludemus quænam functiones pro parochialibus habendæ sint.

§ I.

Quænam auctoritates pro norma habendæ sint ad determinandas parochiales functiones.

1° Cum anno 1703 confectum fuerit, per modum legis universalis, memoratum decretum Sacræ Congregatienis Rituum, et in eum præcise finem ut opinionum varietas huc usque perseverans de medio tollerctur, decretum illud pro norma sumendum procul dubio est ; cum aliunde constet idem decretum nequaquam postea fuisse revocatum ; ut adeo etiamnum pro lege universali habendum sit.

2° Doctorum opiniones, atque ipsæ etiam Sacrarum Congregationum declarationes, dicto decreto anteriores, et quæ eidem contrariæ viderentur, jam attendendæ non sunt ; cum per illud decretum eis, in quantum contrariæ forent, derogatum fuerit.

3° Quoad cætera de functionibus parochialibus dubia, de quibus dictum decretum silet, perpendendæ sunt Sacrarum

Congregationum declarationes, sive eidem decreto anteriores sint, sive posteriores; atque iis deficientibus, attendenda de more communi doctorum sententia.

4° Quod autem, ut diximus, attendendæ non sint declarationes sæpedicto decreto anteriores, si forte ipsi adversari viderentur, fuit etiam clarissimi Benedicti XIV sententia. Nequaquam scilicet, ut optime adnotat, intentum finem controversias finiendi assecuta fuisset Sacra Congregatio, « Si, « post decreta *urbis et orbis* anni 1703, liceret repetere con- « traria decreta, quæ ante illud tempus edita fuerunt: cum « Sacra Congregatio post diuturnum et accuratum examen « aliqua ex ipsis penitus abrogaverit, alia vero confirmave- « rit, et alia nova condiderit, ut pristinis controversiis opta- « tus finis, certaque in posterum norma super hac re statue- « retur. » (Institutione 105, n. 102.)

5° Hæc præmittenda duximus, ne forte existimet quis elidi posse conclusiones, mox a nobis e decreto anni 1703 deducendas, adductis in contrarium vetustioribus Sacrarum Congregationum declarationibus. Nunc ipsummet decretum oculis subjiciamus.

§ II.

Decretum generale Sacræ Congregationis Rituum diei 10 decembris 1703, circa jura parochialia, functiones et præeminentias, inter parochos et confraternitates laicorum, earumque capellanos et officiales.

« Ad debitum imponendum finem controversiis, quæ inter « parochos et confraternitates sæculares, earumque capella- « nos et officiales, super juribus parochialibus et functioni- « bus ecclesiasticis, nonnullisque præeminentiis seu prærо- « gativis frequenter exoriri solent; in Sacra Rituum Congre- « gatione ab Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali « Colloredo propositis infra scriptis dubiis, videlicet:

« 1° An confraternitates laicorum, legitime erectæ in ec- « clesiis parochialibus, habeant dependentiam a parocho in « explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus?

« 2ª An dictæ confraternitates erectæ in capellis vel orato-

« riis, tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus ec-
« clesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependen-
« dentiam a parocho quoad dictas functiones?

« 3° An confraternitates erectæ in aliis ecclesiis publicis
« habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a
« parocho intra cujus parochiæ limites sitæ sunt ecclesiæ?

« 4° An confraternitates erectæ in oratoriis tum publicis
« tum privatis, sejunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad
« dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependen-
« tiam a parocho?

« 5° An benedictiones et distributiones candelarum, cine-
« rum et palmarum sint de juribus mere parochialibus?

« 6° An benedictiones mulierum post partum, fontis bap-
« tismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de juri-
« bus mere parochialibus?

« 7° An functiones omnes hebdomadæ sanctæ sint de juri-
« bus mere parochialibus?

« 8° An celebratio missæ solemnis feria V in cœna Domini
« sit de dictis juribus parochialibus?

« 9° An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit
« de dictis juribus parochialibus?

« 10° An celebratio missarum solemnium per annum, sive
« pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus paro-
« chialibus?

« 11° An expositio quadraginta horarum, et benedictio quæ
« fit super populo sit de dictis juribus mere parochialibus?

« 12° An expositio quæ fit cum reliquiis et sacris imagini-
« bus, et benedictio quæ cum eis fit super populo, sit de
« dictis juribus parochialibus?

« 13° An functiones in præcedentibus octo dubiis, vide-
« licet a dubio 5 ad 12 expressæ, peragi possint in oratoriis
« privatis, contradicente parocho?

« 14° An in dictis oratoriis privatis confraternitatum per
« confratres statis horis recitari possint horæ canonicæ cum
« cantu, vel sine, absque alia licentia parochi?

« 15° An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio mis-
« sæ privatæ, assentiente Ordinario loci, et contradicente pa-
« rocho?

« 16° An cappellani confraternitatum possint populo de-
« nuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada
« absque licentia parochi?

« 17° An parochus, invitis confratribus, docere possit doc-
« trinam christianam in prædictis ecclesiis et oratoriis pu-
« blicis vel privatis, a parochiali divisis et separatis?

« 18° An in sæpe dictis ecclesiis publicis confraternitatum
« possint haberi publicæ conciones, etiam per totum cur-
« sum quadragesimæ vel adventus cum licentia Ordinarii, et
« absque licentia parochi?

« 19° An in eisdem ecclesiis possit celebrari missa sive
« lecta, sive cantata, ante missam parochialem sive lectam
« sive cantatam?

« 20° An ad parochum spectet facere officium funebre su-
« per cadaveribus sepeliendis in sæpedictis ecclesiis et ora-
« toriis publicis confraternitatum?

« 21° An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri pos-
« sint processiones, juxta cujusque confraternitatis institu-
« tum, absque interventu vel licentia parochi?

« 22° An eædem processiones fieri possint extra ambitum
« dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum,
« per quorum territorium transeundum est?

« 23° An in dictis processionibus cappellani confraterni-
« tatum possint deferre stolam?

« 24° An Episcopo accedenti ad ecclesias publicas confra-
« ternitatum, quæ non sint regularium, neque proprium rec-
« torem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium
« a parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ ecclesiæ?

« 25° An earumdem ecclesiarum et confraternitatum rec-
« tores et cappellanos possit parochus, cessante speciali ac
« legitimo titulo, et ex solo jure parochialitatis, compellere
« invitos ad assistendum functionibus ecclesiæ parochialis?

« 26° An in sæpedictis ecclesiis confraternitatum neque
« parochialibus neque regularibus, retineri possit sanctissi-
« mum Eucharistiæ sacramentum sine speciali indulto Sedis
« Apostolicæ?

« 27° Præsupposita facultate retinendi, an possit infra
« annum publice exponi, sine licentia Ordinarii?

« 28° An possit parochus se ingerere in administratione « oblationum, eleemosynarum in sæpedictis ecclesiis recol- « lectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ cla- « vem retinere?

« 29° An in ecclesia parochiali confratres, vel eorumc appel- « lani immiscere se valeant, invito parocho, in ejusdem eccle- « siæ functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus?

« 30° An confraternitates, sive sint erectæ in ecclesia pa- « rochiali, sive extra illam, possint pro libitu, et juxta unius « cujusque peculiaria statuta congregationes suas facere, « absque interventu vel licentia parochi?

« 31° An possint propria bona administrare, ac de illis dis- « ponere, absque ulla dependentia a parocho?

« 32° Quando parochus eisdem congregationibus intersit « de mandato Ordinarii, et tanquam ejus delegatus, an pos- « sit suffragium decisivum ferre? Et quatenus affirmative.

« 33° An etiam suffragium duplex?

« Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, « respondendum esse censuit:

« Ad 1, affirmative; — ad 2, affirmative; — ad 3, nega- « tive; — ad 4, negative; — ad 5, negative; — ad 6, nega- « tive; sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis « fieri debere a parochis; — ad 7, negative prout jacet; — « ad 8, negative prout jacet, sed spectare ad parochos: — « ad 9, negative prout jacet, sed spectare ad ecclesiam di- « gniorem, ad formam constitutionis Leoni X, 22, § 14; — « ad 10, negative prout jacet, sed licere confratribus dum- « taxat in festivitatibus solemnioribus, ejusdem ecclesiæ, vel « oratorii, ut in Brundusina sub die 1 julii 1601; — ad 11, « negative; — ad 12, negative; et quoad benedictiones cum « reliquiis et imaginibus serventur decreta; — ad 13, satis « provisum in superioribus; — ad 14, affirmative, nisi aliter « Ordinarius statuat ex rationabili causa; — ad 15, affirma- « tive; — ad 16, affirmative; — ad 17, negative; — ad 18, « affirmative; — ad 19, negative nisi aliter Episcopus dis- « ponat; — ad 20, affirmative, quando tumulandus est sub- « jectus parocho, intra cujus fines est ecclesia, vel oratorium; « — ad 21, affirmative; — ad 22, negative, nisi adesset li-

« centia Episcopi; — ad 23, negative extra propriam eccle-
« siam; — ad 24, negative; — ad 25, negative; — ad 26,
« negative; — ad 27, negative; — ad 28, negative; — ad
« 29, negative; — ad 30, affirmative, dummodo non impe-
« diant functiones et divina officia; — ad 31, affirmative;
« — ad 32, negative; — ad 33, negative. — Et ita (salvis ta-
« men conventionihus et pactis in erectione confraternita-
« tum forsan factis, concordiis inter partes initis et a Sancta
« Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus, et
« provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus vel
« saltem centenariis) declaravit ac decrevit.., die 10 decembris
« 1703. » Occurrit illud celebre decretum apud Gardellini,
« numero 3521, sub rubrica *Urbis et orbis*. Atque illud
« etiam per extensum transcripsit Benedictus XIV in sua
« institutione 105. Fuisse autem idem decretum a Clemente
« XI, constitutione *Ad debitum,* confirmatum, vide in citata
« collectione Gardelliana, numero 4855.

Videri possunt aliæ sanctarum congregationum declarationes, apud Ferraris, verbo *Confraternitas*, articulo 2.

§ III.

Concluditur quænam functiones pro parochialibus habendæ sint.

Propositio I^a^. — *Benedictio fontis baptismalis est functionibus parochialibus annumeranda.* — Nam ad dubium sextum præallati decreti respondetur quidem illam benedictionem non esse *de juribus mere parochialibus;* sed additur, illam *fieri debere a parochis;* quæ voces idem sonant, ac si expresse diceretur, ejusmodi benedictionem esse ad parochiales functiones referendam.

Propositio. II^a^. — *Missa solemnis feriæ V in cœna Domini est etiam de functionibus parochialibus.* — Nam ad dubium VIII respondetur pariter, hujus missæ celebrationem non esse quidem de juribus parochialibus, sed additur illam *spectare ad parochos.*

Propositio III^a^. — *Benedictiones mulierum post partum*

esse de functionibus parochialibus fuerat dicto decreto 1703 *decisum; sed iterum postea intervenere declarationes contrarium statuentes.*— Quod ex decreto anni 1703 parochialis functio censenda sit puerperis impertienda benedictio, patet responsione ad dubium VI; in qua negatur quidem benedictionem illam esse *de juribus parochialibus*, sed expresse additur illam nihilominus *fieri debere a parochis*. Atvero contrarium postea declaratum reperitur. Verbi gratia, in *Derthonensi*, 7 decembris 1720, ad dubium quo quærebatur ad quem spectaret jus benedicendi puerperas, Sacra Congregatio Concilii expresse decrevit, *esse in libertate puerperarum accedere ad quamcumque ecclesiam sibi benevisam* (in *Thesauro resolutionum*, tomo 1, p. 299). Aliam in hunc sensum ejusdem Congregationis declarationem anni 1708, adducit Giraldi (in suis *Additamentis ad Barbosam, de Officio parochi*, capite 12, n. 12). Qua stante declarationum contrarietate quid concludendum sit, doctioribus expendendum relinquo. Adnotabo dumtaxat, præfatum decretum anni 1703 esse generale, et a Sede Apostolica legis instar confirmatum. Ut adeo videatur declarationibus particulares casus respicientibus anteponendum.

Propositio IV^a^. — *Benedictiones et distributiones candelarum, cinerum, palmarum, ignis, ovorum et similium; item hebdomadæ sanctæ functiones cæteræ præter missam solemnem feriæ V in cœna Domini; item missæ solemnes per annum, expositio quadraginta horarum, benedictio quæ fit super populo, expositio quæ fit cum reliquiis vel sacris imaginibus, et benedictio quæ cum eis fit super populo, non sunt de functionibus parochialibus.* — Huic nostræ conclusioni contrarios reperies nonnullos auctores, inter quos Monacellus (*Formularium legale,* tomo 2, tit. 13, formula 1, n. 54 et seq.). Ipsi nempe volunt in præfato decreto anni 1703 decisum dumtaxat fuisse prædictas functiones non esse *de juribus parochialibus*; nequaquam vero non esse *de functionibus parochialibus*. Unde, nonosbtante hoc decreto, negant posse a cappellanis, in oratoriis ecclesiisve sodalitatum, peragi benedictiones cinerum, candelarum, ramorum olivæ, expositiones divinæ eucharistiæ per 40 horas, benedictiones super

populo ; utpote quæ functiones, etsi de juribus parochialibus non sint, sunt tamen munia parochialia, seu ad parochum privative pertinentia.

« Attamen huic adhærere sententiæ nullo modo possumus, » ait Benedictus XIV (institutione 105, n. 102). Cujus clarissimi Pontificis sententiam omnino hac in re tenendam existimo ob rationes ab ipso adductas : nempe,

1° Nisi decreti sensus foret, dictas functiones nequaquam esse parochiales, posseque eas proinde in oratoriis peragi invito parocho, absona prorsus fuisset Sacræ Congregationis agendi ratio. Nam decretum edebat, prout ipsamet expresse testatur, *ad debitum imponendum finem controversiis..., super juribus parochialibus, et functionibus ecclesiasticis* (Vide supra, initio decreti).

Jam vero si. quoad præfatas functiones, declaravit dumtaxat eas non esse *de juribus parochialibus*, intactam autem reliquit quæstionem, an *parochiales* sint necne, controversias de hoc ipso antea existentes nequaquam composuit, sed e contra eas tales quales permanere permisit. Quæ hypothesis omnino repugnat, præsertim quoad decretum ea cura, iisque præmissis investigationibus elaboratum, de quibus documenta profert Benedictus XIV in citata institutione 105. Hinc quando ad dubium 13, *an functiones in præcedentibus octo dubiis expressæ, peragi possint in oratoriis privatis contradicente parocho*, respondet Sacra Congregatio, *satis provisum in superioribus,* sensus est, posse revera dictas functiones a cappellanis invito parocho peragi, exceptis tribus supra-memoratis, pro quibus addidit, spectare illas ad parochum. Alioquin enim ridiculum fuisset dicere, *satis provisum in superioribus*, cum nequaquam provisum fuisset.

2° Ita intelligendam esse responsionem ad dubium 13, constat præterea ex verbis Cardinalis Colloredi et duorum advocatorum consistorialium, qui concinnando decreto adlaboverant ; quæ verba vide apud Benedictum XIV (institutione 105, n. 106).

3° « Certissimum est, quod Sacræ Congregationes, cæte-
« rique judices Romæ, in causis propositis post decreta de
« quibus verba fecimus, perpetuo decreverunt, eas functio-

« nes peragi licere in ecclesiis et oratoriis confraternitatum, « nisi vetusta consuetudo aut leges diœcesanæ synodi id « prohibeant. » Benedictus XIV, institutione 105, n. 107.

4° Conclusionem nostram confirmat declaratio Sacræ Congregationis Concilii (in *Reatina*, 13 januarii 1844). Propositis enim dubiis : « 1° An liceat cappellano novenas, triduos, « et alias functiones cum expositione et benedictione sanctis- « simi Sacramenti explere in oratorio Sancti Dominici, in- « dependenter a parocho in casu ; — 2° an liceat eidem cap- « pellano missas solemniter canere independenter a paro- « cho in casu, » Sacra Congregatio respondit : « Ad I et II « affirmative in omnibus, ad formam decretorum urbis et « orbis Sacræ Congregationis Rituum diei 10 decembris « anni 1703, salvo tamen jure Episcopi super licentia bene- « dicendi populum solemniter cum sanctissimo Sacramento « prout de jure. » (In *Thesauro resolutionum*, tomo anni 1844, pag. 8.)

Propositio V^a^. — *Prima pulsatio campanarum in sabbato sancto non est de juribus, nec de functionibus parochialibus.* — Constat responsione ad dubium 9 ; qua statuitur hanc primam pulsationem *spectare ad ecclesiam digniorem, ad formam constitutionis Leonis X*, 22, § 14. Fieri autem potest ut ecclesia dignior non sit parochialis ; prout est, verbi gratia, cathedralis, quamvis curam sibi annexam non habeat.

Propositio VI^a^. — *Denuntiatio festivitatum et vigiliarum iu hebdomada occurrentium, non est de functionibus parochialibus.* — Constat responsione ad dubium 16 citati decreti anni 1703, qua statuitur posse hanc denuntiationem absque licentia parochi fieri in oratoriis aliisve ecclesiis, intra parochiæ ambitum sitis.

Propositio VII^a^. — *Officium funebre super parochianorum cadaveribus sepeliendis in confraternitatum ecclesiis et oratoriis publicis, est de functionibus parochialibus.* — Constat responso ad dubium 20 citati decreti, quo statuitur officium illud ad parochum spectare, *quando tumulandus est subjectus parocho, intra cujus fines est ecclesia vel oratorium.*

CAPUT XII.

DE JURE PAROCHORUM QUOAD STOLÆ DELATIONEM.

In quæstionem vocari solet, an stolæ delatio parochis competat *in signum jurisdictionis*; et an eam deferre valeant extra illas functiones, quæ ejus usum exigunt, a quocumque presbytero peragantur.

I. Fatendum est non omni auctoritate destitui opinionem quæ stolæ gestationem parochis attribuit *in juridictionis signum*. De quo, inter alia, quæ citari possent documenta, sequentem dumtaxat Sacræ Congregationis Rituum declarationem adducemus : « Ad sedandam controversiam obortam « inter rectores curatos parochialium ecclesiarum, et inter « canonicos et archipresbyteros cathedrales Sulmonensis ci- « vitatis, super prærogativa deferendi stolam et pluviale, ac « præcedendi in itinerario cum ad dictas parochiales eccle- « sias cadavera efferuntur, Congregatio Sacrorum Rituum « censuit : *In processione funebri, ubi cadaver defertur, dic- « tos canonicos et capitulum cathedralis ecclesiæ Sulmonis « præcedere debere, parochum deferre stolam, tanquam suæ « in cadaver illud* JURISDICTIONIS SIGNUM, *quemadmodum et « Romæ servatur*. Die 2 decembris 1592. » (Gardellini, tomo 7, in *Supplemento*, n. 35.)

II. Quod tamen stola parochis tanquam signum jurisdictionis non competat, melius fundatum videtur.

III. Parochis autem non licere stola uti extra functiones quæ illam exigunt, et in quibus eam deferre possunt et debent alii etiam presbyteri qui eas functiones peragunt, videtur omnino tenendum.

Duo ultima asserta ex professo sustinet adnotator Gardellianæ collectionis (ad numerum 4400, tomo 6, pag. 95, editio romana) in hunc modum : « Siquidem (inquit) stola sacer- « dotale est indumentum, quod omnibus presbyteris æque « convenit, sed non semper : bene vero in conficiendis et ad- « ministrandis sacramentis, ac in sacramentalibus. Ideo nec

« Episcopi stola utuntur, nisi dum pontificalia aut sacerdo-
« talia munera exercent, vel aliud præstant quod, servata
« forma *libri cæremonialis*, stolæ exigat delationem. Sacra
« Rituum Congregatio, neque hebdomadario in canendis di-
« vinis officiis fas esse stolam adhibere, pluries declaravit,
« quod *tantum in sacramentorum administratione et confec-*
« *tione adhiberi debeat.* Ita in Alexanensi, die 7 septembris
« 1658 ; in altera Dalmatiarum, 4 augusti 1664. Et nuperri-
« me die 7 septembris 1816, nedum idipsum generali decreto
« confirmatum fuit, sen insuper additum, *consuetudinem*
« *in contrarium esse abusum, per locorum Ordinarios om-*
« *nino eliminandum*... Solus Romanus Pontifex in signum
« supremæ universalis potestatis, stolam non solum ad aram
« sacrisque actionibus, sed ubique defert... Hinc fit, ut
« stolæ usus in parochis haberi nequeat tanquam signum
« jurisdictionis, nisi lato modo accipiatur pro exercitio pro-
« prii officii, ita ut officium sit cum actuali ordinis exercitio
« conjunctum... Adhibent utique stolam in aliis pluribus
« functionibus, quæ ad ipsos privative spectant ; sed ideo
« adhibent, quia hujusmodi actiones stolæ delationem ne-
« cessario requirunt, uti sacramenta, sacramentalia, etc...
« Quod si actio non exigeret stolæ usum, et nihilominus eam
« parochus deferre vellet, interverteretur ordo adhibendi sa-
« cra paramenta, stolæque delatio ut vana quædam osten-
« tatio habenda foret. Pone casum quod in solemni suppli-
« catione ducenda per ambitum alicujus parochiæ, sanctis-
« simum Sacramentum deferat aut Cardinalis aut Episcopus,
« aut canonicus, aut alius simplex sacerdos : is dumtaxat de-
« bet uti stola ; neque parocho licet ejusdem delatio, quia actu
« nonexercet officium sacerdotale erga sacramentum. Quod
« si alicubi fiat, reprobandus abusus est... Si Episcopus in
« sua diœcesi processionem sequitur, in qua canonicus vel
« alius sacerdos defert aut sanctissimum Sacramemtum aut
« sanctorum reliquias, non sibi stolam imponit, quia actu
« non exercet officium pontificale aut sacerdotale, licet in
« sua diœcesi plenam habeat et exerceat jurisdictionem. Erit-
« ne permittendum parocho intra limites parochiæ, quod
« Episcopo in sua diœcesi non licet ? Patet ergo delationem

« stolæ non esse signum jurisdictionis. » Addit citatus adnotator, decisiones sacræ Rotæ, quæ contrarium innuere viderentur, ita intelligendas esse, ut vox jurisdictio ibi designet officium, quatenus privative ad parochum pertinens, et stolam simul exigens.

CAPUT XIII.

BENEDICTIO SOLEMNIS PER VERBA *Sit nomen Domini benedictum*, EST PAROCHIS ET CÆTERIS QUIBUSCUMQUE, EXCEPTIS EPISCOPIS ET ABBATIBUS MITRATIS, SUB GRAVI ILLICITA.

« Populo solemniter benedicere, sive intra, sive extra ecclesiam, fuit semper jus unico pastori, id est Episcopo, reservatum; neque unquam fidelium cœtus, præsente Episcopo, dissolvi solitus fuit, nisi prius episcopali accepta benedictione. Sub priora sæcula, absoluta re sacra, clamabat diaconus ad populum: *Inclinate ad benedictionem* (vide Constitutiones apost., cap 37, 38, 39 libri 8). Episcopus scilicet primum clero, tum populo benedicebat; idque in fine matutini officii, missæ et vesperarum; prout adnotat Albaspineus ad canonem 20 concilii Arausicani anni 441; et ut expresse habet canon 30 concilii Agathensis anni 506; et insuper videri potest apud Amalarium, et in concilio Lemovicensi anni 1031. Atque idem hodie absoluta qualibet functione sacra peragit Episcopus. Dum Simmachus Papa anno 498, in sexta sua ad Anastasium imperatorem epistola, demonstraret imperiali præstare episcopalem dignitatem, benedictionem pastoralem inter cætera argumenta adducit: *Tu, imperator, a Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas.* Atque ex historicis discimus monumentis solitos imperatores et imperatrices, atque a fortiori cæteros, advenientis Episcopi benedictionem flexis genibus expostulare. Benedicebant autem Episcopi in ecclesia et foris, in civitate et ruri... (Vide apud Mansi tom. 18, col. 977, editio Florentiæ.)

« Presbyteris autem populo benedicere vetitum semper « fuisse certum est. Id expresse cavetur canone 44 modo ci- « tati Agathensis concilii : *Benedictionem super plebem in « Ecclesia fundere presbytero penitus non licebit.* In jure « autem canonico (26, q. 6, c. 3) vetita presbyteris dicitur « solemnis ea benedictio *quæ fit per talia verba* : *Sit nomen « Domini benedictum,* etc. Idem reperies in concilio Narbo- « nensi anni 1609 cap. 19, ubi prohibetur ne quisquam, cu- « juscumque dignitatis sit, præter Episcopos et mitratos ab- « bates, prædictam benedictionem impertiant. In appendice « ad canones sæculi sexti, libro 1, adnotatur non fas esse « presbytero benedictionem dare, quod et confirmatur ca- « none 7 Hispalensis concilii anni 619. In capitularibus con- « cilii Aquisgranensis anni 803, cap. 5, presbyteris et etiam « corepiscopis prohibitum dicitur *benedictionem in publica « missa tribuere, quæ omnia Summis Pontificibus, id est, « cathedralibus Episcopis debentur, et non corepiscopis « vel presbyteris.* Item in capitulo 78 Herardi legitur : *Ne « presbyter benedictionem publicam fundere super populum « præsumat.* Et capite 225 libri 7 Ansegisi, degradationis « pœna statuitur in presbyterum qui ausus fuerit *benedictio- « nem in ecclesia super populum fundere.* » (Nardi, *dei Pa- rochi,* tom. 1, pag. 82 et seq.)

Prohibitionem autem prædictam intelligi de benedictione solemni per verba *Sit nomen Domini*, etc., expresse habent canones. Cæterum presbyteri in fine missæ benedictionem simplicem, non præsente Episcopo, fundunt; cujus consuetudinis initium ad undecimum sæculum refert Nardi (loco citato, pag. 85).

Tanta fuit in tota retro antiquitate apud omnium æstimationem præfata episcopalis benedictio, ut etiam usus inoleverit sedis vacationem exprimendi hisce et similibus formulis : *Vacare pastorali benedictione* (in *Vita sancti Landoaldi,* Surius, mense martio) : *Absque benedictione episcopali deget* (apud Mansi, tom. 15, col. 130, editio Florentiæ) : *Unico pastore vidua, episcopali vacat benedictione* (ibid., tom. 20, col 30). Et in concilio Turonensi anni 1163, coram Papa et Cardinalibus prolata referuntur hæc verba : *Episcopi sumus. Ex*

eadem causa populorum nobis multitudines inclinantur, ut de manu nostra partem aliquam commissæ nobis benedictionis accipiat,

Ex præmissis patet minime parochis licere, absque Pontificio privilegio, trinam benedictionem, per verba *Sit nomen*, etc., usurpare. Hujusmodi quidem privilegio Ravennatenses canonicos donatos fuisse constat; quo etiam aliqui forsan alii gaudent.

At parochi Parisini id sibi illicite et ex mera præsumptione vindicarant. De quo libet prælaudatum Nardi disserentem adducere. « Parisienses curati, inquit, non tantum a suis sa-
« cristis insigniuntur formula *Votre Grandeur* (1) (quod in-
« credibile quidem, sed tamen verum est); non tantum curant
« sibi in ecclesia præire Helvetium (un Suisse), ut nos dicimus,
« id est atrii custodem quemdam, hasta instructum; non tan-
« tum missam cantant cum multis assistentibus (quorum laici
« quidam) diaconum et subdiaconum, ad formam pontifica-
« lium, agentibus; sed ego testis sum, et testes mecum qui-
« cumque Parisios adierunt, a prædictis parochis, finita
« missa, intonari solemniter cum cantu *Adjutorium nos-*
« *trum*, etc., et *Sit nomen Domini benedictum*; tum ab iis-
« dem ad populum conversis fundi formulam *Benedicat vos*,
« etc. » (*Dei Parochi*, tom. 1, pag, 81.« Romæ sciscitatus
« sum utrum Parisiensibus parochis a Sede Apostolica con-
« cessum unquam fuerit impertiendæ solemnis benedictionis
« privilegium. Mihique per dominum Golt (unum ex iis qui
« in secretaria status primas partes gerunt) respondendum
« curavit Reverendissimus Sala: *Id nunquam eis fuisse con-*
« *cessum*. Est ergo abusus *in diminutionem auctoritatis*
« *episcopalis*. Et qui talia usurpant, seclusa ignorantia... (2)
« rei sunt peccati gravis, atque irregularitatem incurrunt, ut
» adnotat Majolus, *de Irregularitate*, lib. 4., c. 13, n. 4. »
(*Dei Parochi,* tom. I, pag. 85, in nota.)

(1) Is tamen abusus, si revera exstitit eo tempore quo Nardi Parisios ivit (sub initium nempe præsentis sæculi), nunc penitus sublatus fuit.

(2) Addit auctor, *obonaria, non buona fede.*

CAPUT XIV.

DE POTESTATE PAROCHI DISPENSANDI A JEJUNIO VEL ABSTINENTIA ET A PRÆCEPTO SERVILIA OPERA DIEBUS FESTIS PROHIBENTE.

1° Quoad potestatem dispensandi a jejunio et abstinentia, sic habet Giraldi (*Additamenta ad tractatum Barbosæ, de Parocho*, parte 1, c. 16, n. 3): « Non videtur ita tutum ad-« struere parocho facultatem dispensandi a jejunio, præser-« tim ubi præsens est Episcopus, si agatur de pluribus paro-« chianis. Potius dicendum esset, posse pro peculiari aliquo « dubio alicui declarare, hic et nunc ad jejunium non teneri; « sive agatur de unica comestione, sive de cibis vetitis eden-« dis. Imo nec Episcopus dispensare posset, pro his edendis, « sine auctoritate Sedis Apostolicæ, etiam in gravi necessi-« tate, si ageretur de dispensatione pro integra civitate vel « diœcesi, ut ex constitutione Benedicti XIV *Si fraternitas*, « 10 junii 1745. »

Melius tamen fundata, et in praxi tuta doctrina sancti Ligorii, qui sic habet (libro 4, n. 1032) : « Parochi, licet dubitetur « inter doctores, an ex vi juris communis possint dispensare « in jejuniis, jure tamen consuetudinis certe id possunt ex « justa causa cum suis subditis particularibus, non vero pro « tota parochia. Ita ex communi sententia... Imo valde pro-« babiliter potest parochus in iis dispensare, etiam præsente « Episcopo ; quamvis enim parochi de jure hanc jurisdic-« dictionem non habeant, habent tamen, ut dictum est, ex « consuetudine, quæ satis potest jurisdictionem tribuere.. Id « possunt etiam vicarii parochorum, qui exercent actus pa-« rochiales jurisdictionem exigentes, nisi parochi expresse « repugnent. »

2° Quoad dandam licentiam operibus servilibus vacandi die-bus festis, sic docet idem sanctus Ligorius : « Parochus dis-« pensare potest, quando subditus nequit adire Episcopum;

« sed tantum ad tempus; et pro aliquo particulari casu » (libro 4, n. 288). Consonat Barbosa : « Ex causa legitima, veluti « damni evitandi vel vitæ sustentandæ, potest parochus conce- « dere licentiam laborandi diebus festis, in quibus ad Epis- « copum vel vicarium non potest haberi recursus. » (Barbosa, *de Parocho* cum *Additamentis* Giraldi, parte 1, cap. 16, n, 6.) Est doctrina hæc communis inter doctores, et tuta in praxi.

In citato autem loco præfati operis Barbosæ reperies et hæc utiliter adnotata : « Quamvis vero nulla dispensatio re- « quiratur, quando causa laborandi die festo est indubitata, « semper tamen petenda est licentia a superiore, quando « publice laborandum est ; cum ad eum, non ad quem- « cumque privatum hominem spectet judicium ferre de veri- « tate causæ ; nisi forte periculum esset in mora, et grave inde « damnum sequeretur, juxta decretum Congregationis Con- « cilii 12 aprilis 1697; quod amplexa est Congregatio Epis- « coporum et Regularium, 12 martii 1601. »

CAPUT XV.

JUS PAROCHORUM QUOAD CONFRATERNITATUM ORATORIA SIVE ECCLESIAS, NECNON EARUMDEM CAPPELLANOS.

Propositio I[a]. — *Si dictæ confraternitates erectæ sint in ipsa ecclesia parochiali, vel in aliquo ædificio eidem parochiali ecclesiæ annexo, nequeunt ab iis confraternitatibus functiones ullæ ecclesiaticæ peragi, nisi dependenter a parocho.* Constat ex decreto Sacræ Congregationis Rituum diei 10 decembris 1703, dubio 1 et 2, Vide illud decretum supra transcriptum (capite 11, § 2).

Propositio II[a]. — *Si confraternitas existat in alia ecclesia quam parochiali, vel in aliquo oratorio (sive publico, sive privato), ab ecclesia parochiali ejusque dependentiis sejuncto, possunt independenter a parocho in ejusmodi ecclesia vel oratorio confraternitatis peragi eæ functiones ecclesiasticæ quæ non sunt parochiales.* — Constat ex citato decreto anni 1703, dubio 3 et 4. Quænam autem functiones sint parochiales, diximus supra capite 11.

Propositio IIIª. — *In dictis confraternitatum oratoriis ab ecclesia parochiali sejunctis, possunt recitari horæ canonicæ cum vel sine cantu, absque ulla parochi licentia.* — Constat eodem generali decreto anni 1703, dubio 14.

Propositio IVª. — *In modo dictis confraternitatum oratoriis seu ecclesiis, celebrari potest missa privata, contradicente parocho, modo assentiat Episcopus.* — Constat ex eodem decreto anni 1703, dubio 15.

Propositio Vª. — *Jus non habet parochus, invitis confratribus, doctrinam christianam docendi in dictis eorum ecclesiis seu oratoriis, ab ecclesia parochiali divisis.* — Constat ex eodem decreto anni 1703, dubio 17.

Propositio VIª.— *In dictis confraternitatum ecclesiis et oratoriis, a parochiali ecclesia divisis, haberi possunt conciones, etiam per totum tempus Quadragesimæ et Adventus, absque licentia parochi, modo assentiat Episcopus.* — Constat ex eodem decreto, dubio 18.

Propositio VIIª. *In modo dictis confraternitatum oratoriis celebrari nequit missa, sive lecta, sive cantata, ante parochialem missam, sive lectam, sive cantatam, nisi aliter disponat Episcopus.* — Constat ex eodem decreto, dubio 19.

Propositio VIIIª. — *Intra ambitum modo dictarum ecclesiarum et oratoriorum, possunt confraternitates processiones suas facere, absque interventu vel licentia parochi : id vero nequeunt extra, absque licentia parochi per cujus territorium transeundum est, nisi de licentia Episcopi.* Constat ex eodem decreto, dubio 21 et 22.

Propositio IXª.— *In prædictis processionibus potest capellanus deferre stolam, si fiant intra ambitum : secus si fiant extra.* Constat ex eodem decreto, dubio 23.

Propositio Xª.— *Episcopo ad publicam confraternitatis ecclesiam accedenti (etiamsi hæc ecclesia non sit regularium nec rectorem beneficiatum habeat), non pertinet ad parochum aspersorium porrigere.* — Constat ex eodem decreto dubio 24.

Propositio XIª. — *Nequit parochus, ex solo jure parochialitatis. confraternitatum rectores seu cappellanos compellere ad assistendum ecclesiæ parochialis functionibus.* — Constat ex eodem decreto, dubio 25.

Propositio XII[a]. — *In præfatis confraternitatum ecclesiis, quæ nec parochiales sunt nec regulares, retineri nequit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum absque speciali indulto Sedis Apostolicæ.* — Constat ex eodem decreto, dubio 26. Præsupposito autem dicto speciali indulto, non potest publice exponi sanctissimum Sacramentum sine licentia Ordinarii, ut constat ex sequenti dubio 27.

Propositio. XIII[a]. — *Nequit parochus se ingerere in administratione oblationum vel eleemosynarum, in dictis confraternitatum ecclesiis seu oratoriis recollectarum, nec clavem capsulæ, in qua recipiuntur, retinere.* — Constat ex eodem decreto, dubio 28.

Propositio. XIV[a]. — *Nec confraternitates, nec eorum cappellani possunt invito parocho, sese immiscere in ecclesiæ parochialis functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus.* Constat eodem decreto, dubio 29.

Propositio XV[a] — *Confraternitates, sive in ecclesia parochiali erectæ, sive alibi, possunt, absque interventu et licentia parochi, suas congregationes habere, dummodo non impediant parochialis ecclesiæ functiones et divina officia.*— Constat eodem decreto, dubio 30.

Propositio XVI[a] — *Possunt dictæ confraternitates propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a parocho.* — Constat eodem decreto, dubio 31.

Propositio XVII[a] — *Etiam si parochus confraternitatum congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tanquam ejus delegatus, non habet suffragium decisivum.* — Constat eodem decreto, dubio 32.

CAPUT XVI.

DE JURE PAROCHORUM QUOAD REGULARES NONNULLA ADNOTANTUR.

I. Impedire nequit parochus quin regulares conventum aut collegium in ipsius parochiæ territorio ædificent. Vide id probatum apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 443.)

II. Est regula generalis, non posse extra sua claustra processiones a regularibus fieri, atque parochi proprium esse jus illud processiones per parochiæ suæ territorium ducendi. (Vide id decisum in collectione Gardelliana, numeris 340, 672, 692, 739, 823, 937, 938, 1081, 1221, 1274, 1299, 1489, 1648, 2422, 2500. Vide etiam Barbosam, *de Officio parochi*, cum *Addit.*, Giraldi, c. 12.)

Hæc tamen regula sequentes exceptiones patitur :

1° Cum licentia Episcopi possunt regulares, processionem extra claustra, per vias et plateas agere, absque parochi interventu aut assensu. « Certissimum quippe est (ait Bene- « dictus XIV, institutione 105, n. 52) solam Episcopi licentiam « satis esse, etiamsi parochi se contrarios antea, ac penitus « reluctantes exhibuerint. Petitum fuit a Congregatione Sa- « crorum Rituum, *an solius Episcopi accedente licentia, pos- « sint regulares dictam processionem facere (alienas parochias « circumeuntes), quamvis parochus contradicat et consentire « recuset*? Sacra autem Congregatio respondit, *sufficere « licentiam Episcopi*. Haud dissimiles sententias a Sacra « Congregatione Concilii desumptas in medium proferre « possemus. »

2° Processiones per octavam, et dominica infra octavam Corporis Christi, fieri possunt non petita parochi venia, intra cujus parochiæ limites ducendæ sunt. (Vide id probatum ex constitutione *Cum interdum* Gregorii XIII, 11 martii 1573, § 2, apud Barbosam, *de Officio parochi*, cum notis Giraldi, capite 12, n. 15. Item vide collectionem Gardellianam, n. 1643.)

III. Regulares approbati ad confessiones, possunt, absque assensu parochi, toto anno, et etiam paschali tempore, sæcularium confessiones excipere. (Vide id probatum apud Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, libro 11, c. 14, n. 3 et 4. Vide etiam Leurenium *Forum beneficiale*, parte 1, q. 442. n, 2.)

IV. Item possunt infirmorum etiam confessiones audire ; ast de excepta confessione certiorem facere debent parochum, quando infirmo viaticum est deferendum (Ibid., n. 5.)

V. Item possunt regulares in suis ecclesiis eucharistiam

sæcularibus distribuere, excepto solo dominicæ Resurrectionis die. (Ibidem.)

VI. Nec viaticum nec extremam unctionem ministrare parochorum subjectis possunt regulares. Id vero possunt quoad religiosos et novitios ; item quoad laicos actu degentes in monasterio, et eidem monasterio inservientes.
(Vide quæ supra dicta sunt, capite 7.)

VII. Nequit parochus subjectos suos cogere ut missam audiendi præcepto satisfaciant in ecclesia parochiali ; sed illi obligationi satisfacere possunt parochiani in ecclesiis etiam regularium. (Vide Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, libro 11, cap. 14, n. 7.)

VIII. Impedire nequit parochus quominus regulares in suis ecclesiis eas functiones ecclesiasticas peragant, quæ parochiales non sunt. Quænam autem sint eæ functiones non parochiales diximus supra (capite XI.) Etsi autem ibidem, ex decreto Sacræ Congregationis Rituum 10 decembris 1703 dictum sit, missam solemnem feriæ 5 in cœna Domini spectare ad parochum, id intelligendum est quoad ecclesias et oratoria confraternitatum, non autem quoad ecclesias regularium ; siquidem, tum ex privilegiis, tum ex generali consuetudine, omnes hebdomadæ Sanctæ functiones libere a regularibus in suis ecclesiis peraguntur.

IX. An possint regulares in suis ecclesiis mulieribus post partum benedictionem impertiri; vide supra, capite X, § 3, propositione 3.

X. Nequit impedire parochus quin regulares in suis ecclesiis hora sibi bene visa prædicent. Nequeunt tamen prædicare eadem hora qua prædicat Episcopus. (Vide Benedictum XIV *de Syn. diœces.*, libro 9, cap. 17, n. 6.)

XI. Possunt regulares absque assensu parochi, in suis ecclesiis annuntiare festa, vigilias et jejunia sequentis hebdomadæ. Vide id probatum apud Leurenium *Forum benef.*, parte 1, q, 442, n. 4).

CAPUT XVII.

DE JURE PAROCHORUM, QUOAD VARIA SUPERIUS NON RECENSITA.

Parochus impedire nequit, ne regulares propriam crucem erigant in processionibus, licet id impedire possit in funeralibus. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 570.)

Parochus impedire nequit quominus in aliis ecclesiis missæ ante parochialem celebrentur. (Ibid., n. 997.)

« An parochi possint cogi ad deserendam ecclesiam pro-
« priam, præsertim in solemnibus, et ad interessendum
« choro cathedralis? — Sacra Rituum Congregatio respondit
« *affirmative*. 16 junii 1668. » In *Ferentina*, apud Gardellini,
« n. 2075.)

« An parochi in choro cathedralis thurificari debeant du-
« plici ductu, veluti canonici? — Sacra Rituum Congre-
« gatio respondit... *unico ductu*. 16 junii 1663. » (In *Ferentina*, apud Gardellini, n. 2075.)

Ad parochum privative pertinet jus benedicendi campos et maledicendi animalia. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 2139. ad 4.)

Parochi assistentes functionibus cathedralis, extra proprium parochiale officium, nequeunt deferre stolam. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 2454.)

Et tunc sedere debent post canonicos et ante beneficiatos si sint de gremio cathedralis; alioquin etiam post beneficiatos. (Ibid., n. 1747 et 1851.)

Parochum cogere nequit Episcopus, sed dumtaxat eum hortari, ut sacerdotibus, sub parochia commorantibus, et in ecclesia parochiali celebrare volentibus, sacra supellectilia, et alia ad sacrificium necessaria subministret. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 3494.)

Parochis non competit jus benedicendi concionatoribus. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 3054.)

Parochus, qui ex necessitate celebrat duas missas, unam tantum tenetur applicare pro populo. (Sacra Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 4869.

PARS V.

AD QUID TENEATUR PAROCHUS

SEU

DE IPSIUS OFFICIO ET OBLIGATIONIBUS

CAPUT I.

DE EMITTENDA A PAROCHIS PROFESSIONE FIDEI, ET SPONDENDA ROMANO PONTIFICI OBEDIENTIA.

Quæstio 1ª. — *An teneantur parochi professionem fidei emittere, et obedientiam Romano Pontifici jurare?* — Respondeo affirmative. Expresse enim id præcepit concilium Tridentinum his verbis : « Provisi de beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus « ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali, orthodoxæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permanesuros spondeant ac jurent. » (Sess. 24, c. 12.)

Quæstio 2ª. — *Quanam formula utendum sit ?* — Formulam ad ejusmodi fidei professionem, et obedientiæ juramentum determinavit, atque obligatoriam fecit Pius IV in sua constitutione *Injunctum*, datam idibus decembris 1564. Illa

ergo, et non alia, dictæ Tridentinæ legi satisfieri potest. Vide Benedictum XIV, institutione 60, n. 1.

Quæstio 3ª — *Qualiter obliget prædictum Tridentinæ synodi præceptum?* — 1° Certum est illud obligare sub gravi, seclusa ignorantia. : « Colligitur ex concilio Tridentino (dicto « capite 12 sess. 24), quod utitur gravibus verbis, et infert « gravem pœnam; quo casu obligat ad culpam mortalem.. » « Ita Petrus de Ledesma.. Garcias.. Squillante.. Sanchez » (Giraldi, *Additamenta ad tractatum Barbosæ de Parocho*, parte 1, cap. 4, n. 14, pag. 44, edit. Romæ 1831.)

2° Quid vero si parochus *ex ignorantia* professionem fidei omittat? « Mortaliter peccare non videtur (ait Barbosa, ci- « tato loco); cum, bona fide legem humanam transgrediens, « mortale peccatum non committat. » Eam tamen conclusionem impugnat, ibidem, citatæ editionis adnotator Giraldi, his verbis : « Non videtur excusandus parochus, omit- « tens professionem fidei ob ignorantiam, quandoquidem sub « gravi pœna id onus a Tridentino injungitur; et cætero- « quin, cum parochus ratione sui status hoc scire teneatur, « sequitur hanc ignorantiam etiam sub gravi, illi esse impu- « tandam. » Sed pace laudati viri dixerim, jansenisticum rigorem sapit hæc ejus doctrina : non peccare eum, qui legem, quam transgreditur, inculpabiliter ignorat, tenent moralistæ communiter (de quo adi sanctum Ligorium.) Potest autem contingere ut aliquis parochus ne suspicionem quidem habeat de illius legis existentia, et simul bona fide credat sibi non deesse requisitam quoad statum suum scientiam ; quo casu inculpabilis certe erit ejus ignorantia.

3° Habet autem parochus ad satisfaciendum præfatæ legi spatium duorum mensium, a die adeptæ possessionis parochiæ suæ; ita ut non peccet, omittendo fidei professionem, nisi elapsis illis duobus mensibus. Sequitur id aperte ex citato Tridentino textu.

4° « Non tamen, si infra præfatum tempus non fiat, ob id « facere debens solutus remanet ab obligatione illam in pos- « terum emittendi; sed nihilominus semper ad eam facien- « dam tenetur; quia hujusmodi terminus a concilio assi- « gnatus, non est præfixus ad remittendam ac terminandam

« obligationem, sed ad differendam pœnam. » (Giraldi, loco citato, n. 10.)

5° Tenetur parochus se ultro offerre ad faciendam fidei professionem ; tenetur scilicet ad satisfaciendum huic præcepto, etiamsi nullam de hoc a superioribus monitionem recipiat. (Ibid., n. 8.)

6° Intelligendum est Tridentinum præceptum de qualibet parochiæ adeptione ; ita ut, qui in adeptione alicujus parochiæ fidei professionem jam emisit, si præficiatur alteri, teneatur iterum fidei professionem emittere. (Ibid., n. 7.)

Quæstio 4ª. — *An possit illa fidei professio per procuratorem fieri* ? — Multi olim canonistæ affirmative quæstionem hanc resolvebant, prout videre est in tractatu Barbosæ *de Parocho*, a Giraldo edito et correcto (parte 1, cap. 4, n. 3) ; cui opinioni accedebat et Rotæ auctoritas. Atvero nunc contrarium tenendum est, ob decisiones Sacræ Congregationis Concilii, prout, citato loco, adnotat Giraldi, his verbis : « Hodie corrigendi sunt asserentes fidei professionem fieri « posse per procuratorem, attenta clarissima declaratione Congregationis Concilii, in *Cathacensi*, sub die 9 februarii 1726, ad secundum dubium, ut in *Thesauro resolutionum* ejusdem Congregationis, tomo 3, pag. 271. » Citat Benedictus XIV (institutione 60, n. 1 et 3) declarationem Sacræ ejusdem Congregationis, in causa *Catanzarii* 26 januarii 1726, qua ad dubium, *an professio fidei emitti possit per procuratorem*, responsum est, *negative*. Sed causa hæc *Catanzarii* videtur eadem esse ac memorata *Cathacensis*, quæ in *Thesauro resolutionum* tomo 3, proposita occurrit die 26 januarii 1726, et decisa die 9 februarii ejusdem anni, sub terminis a Benedicto XIV relatis ; nec sub rubrica *Catanzarii* occurrit in *Thesauro* ulla causa anni 1726. Cæterum jam antea idem declaraverat Sacra Congregatio Concilii, anno scilicet 1610, his verbis : *Sacra Congregatio Concilii censuit, professionem fidei per procuratorem emitti nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari* (in causa *Valentiæ*, libro 11 decretorum, pagina 11 ; citata a Benedicto XIV, institutione 60, n. 3).

Quæstio 5ª. — *Quamnam pœnam incurrat parochus, dictam fidei professionem omittens*? — Pœnam illam determi-

navit Tridentina synodus his verbis: *Alioquin non faciant fructus suos.* Amittit ergo fructus omnes beneficii, a die elapsorum duorum mensium, qui ad faciendam professionem conceduntur. Si vero postea obligationi satisfaciat, ex tunc quidem faciet fructus suos; sed non recuperabit amissos. (Tractatus Barbosæ *de Parocho*, cum *Additamentis* Giraldi, parte 1, c. 4, n. 15.)

Quæstio 6ª. — *Quis condonare possit parocho fructus amissos ob non factam debito tempore fidei professionem*?— Id nequit Episcopus; sed ad Sedem Apostolicam est recurrendum. De quo sic in opere modo citato (eodem loco, n. 16): « Quæ pœna procedit usque adeo, ut nec Ordinarius possit « condonare fructus amissos ob non factam fidei professio- « nem; quia Ordinarius non potest remittere pœnam inflic- « tam a Concilio, nisi in casibus ibi expresse permissis... Fruc- « tus male percepti ob omissionem professionis fidei condo- « nari solent a Sede Apostolica (si omissa fuerit, vel male « emissa, bona fide), injuncta aliqua eleemosyna, arbitrio « Episcopi, vel confessarii; juxta plura exempla relata in fo- « lio Congregationis Concilii, 13 aprilis 1728, in *Toletana*, « pag. 175. »

Quæstio 7ª. — *An parochus, qui non fecit fructus suos, ob omissam fidei professionem, teneatur illos restituere ante sententiam declaratoriam*?— Vide id in utramque partem disputatum in tractatu Barbosæ *de Parocho*, cum *Additamentis* Giraldi (loco supra citato, n. 19 et seq.) Putat Giraldi teneri ex conscientia parochum illum fructus restituere, etiam non interveniente ulla sententia.

Quæstio 8ª. — *Cui assignandi et applicandi sint fructus amissi ob non factam fidei professionem*? — Id Tridentinum concilium non determinat: sed « communis omnium fere sententia tenet, eos esse impendendos, vel in usus pauperum, vel in fabricam ecclesiæ, sicut fructus eorum qui non resident. » (Opere modo citato, loco eodem, n. 21.

Quæstio 9ª — *An Tridentinum præceptum de emittenda fidei professione adstringat etiam parochos ad nutum amovibiles*? — Respondendum negative. Concilium enim loquitur de *Beneficiis* curam animarum habentibus. Porro vox

illa *beneficium*, quando sola adhibetur, intelligitur de beneficiis stricto sensu sumptis, id est, *perpetuis*; nullatenus vero de beneficiis *manualibus*. Parochi autem ad nutum amovibiles non habent nisi beneficium manuale; unde ad eos lex Tridentina extendenda non est. (Vide Pellizzarium idem sentientem, *Manuale regularium* tractatione 7, cap. 4, sect. 4 n. 127.)

Quæstio 10ª. — *An dicta obligatio professionem fidei emittendi tolli possit per contrariam consuetudinem* ? — Quæstio hæc particularis pendet ab alia generali, quam expendimus in tractatu *de Principiis* (pagina 369), an scilicet valere censendæ sint consuetudines Tridentinis decretis contrariæ. Et nostra conclusio fuit, pro legitimis non habendas esse ejusmodi consuetudines. Cujus conclusionis ratio est potissimum, quod merito præsumi nequeat Romanus Pontifex hisce consuetudinibus consentiens, stante, et hodiedum perseverante Romanarum Congregationum praxi, nullas constanter declarandi easdem consuetudines. Quod vide evolutum citato loco tractatus *de Principiis*. Cæterum *nihili faciendam esse* consuetudinem omittendi professionem fidei, parochis a Tridentina synodo injunctam, ex professo tradit Benedictus XIV, *Institutione* 60; ubi sic habet (n. 7) : « Licet ejusmodi consuetudo constans haberetur, nihili tamen facienda esset, « cum Tridentino concilio apertissime repugnet. Quamvis « enim post decretum, quo professio fidei præcipitur, « aliud decretum non sequatur abrogans quæcumque in « contrarium proferri possint, tamen id cautum satis fuit « per Pium IV Pontificem in ea constitutione quæ incipit « *Benedictus Deus*, et quæ in fine concilii solet excudi. Illa « quidem abrogat omnia, quæ Tridentinæ synodo contraria « esse videantur; ideoque singula ejusdem concilii capita « simul amplectitur; et nullius efficit momenti consuetudi- « nes, quæ leges aliquas in iisdem capitibus præscriptas « violent. »

Quæstio 11ª. *Quid concludendum videatur quoad parochos earum regionum, in quibus non viget dictæ professionis fidei usus* ? — 1° Cum, ex præmissis, harum regionum consuetudo ab observanda lege Tridentina non excuset, sequitur

reos esse illos parochos violatæ legis ecclesiasticæ, et quidem legis eos sub gravi obligantis, ut supra, quæstione 3, dictum est; nisi tamen eos excusaverit ignorantia et bona fides.

2° Fructus non fecerunt suos, et ad restitutionem tenentur.

3° Facienda remanet hæc restitutio, etiamsi bona fide existimaverint se ad dictam fidei professionem non teneri. Etenim hæc bona fides eos quidem excusabit a peccato; non autem ab obligatione restituendi id quod illegitime perceperunt. Potest tamen et solet Apostolica Sedes, quando sic bona fide erratum est, ejusmodi fructuum beneficii male perceptorum restitutionem condonare, injuncta in commutationem modica eleemosyna. Atvero ejusmodi condonationem solus Papa facere potest, utpote bonorum omnium ecclesiasticorum supremus administrator.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE RESIDENDI QUA OBSTRINGUNTUR PAROCHI.

Plures occurrunt quoad ejusmodi obligationem expendendæ quæstiones, quas in sequentes paragraphos distribuimus.

§ I.

Recensentur præcipui textus, et nonnullæ Sacrarum Congregationum declarationes, onus residendi parochorum spectantes.

1. Tridentinum concilium (sess. 23, cap. 1, *de Ref.*), post nonnulla circa residentiam Episcoporum statuta, sic decernit quoad cæteros, quibus incumbit animarum cura : *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas, de curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens,*

obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit : ita tamen ut, quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem et substractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere ; nec executionem hanc, quolibet privilegio..., exemptione..., consuetudine, etiam immemorabili (quæ potius corruptela censenda est), sive appellatione aut inhibitione,.. suspendi posse.

2. Cum autem, præter hæc speciatim quoad inferiores curatos decreta, generatim dicat Tridentina synodus, iisdem esse applicanda ea, quæ prius quoad Episcopos statuerat, illa de Episcopis decreta, quæ parochos etiam spectare possunt, subjicimus. Statuerat nempe, eodem capite, sancta synodus ita teneri Episcopos ad personalem residentiam, ut abesse non possint, nisi ex causis sequentibus : *Cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas* eos abesse exigunt. Item statuerat posse Episcopos abesse per tres menses, etiam non existentibus prædictis causis, modo tamen id fieret *æqua* ex causa et sine gregis detrimento ; quia hæc brevis absentia non censetur residentiæ debito contraria. En synodi verba : *Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacrosancta synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere ; et haberi rationem ut id æqua ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento : quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit.*

3. Anno 1573. ad dubium : *An parochi ab ecclesiis suis abesse possint per duos menses sine licentia Episcopi ?* —

Sacra Congregatio Concilii censuit: *non posse* (libro 1 decretorum, folio 131 (1).

4. In Toletana diœcesi prœtendebant parochi, plurium doctorum auctoritate innixi, necessariam sibi non esse licentiam Episcopi ut a parochia per duos menses abessent; sed satis esse propositam ab ipsis Episcopo fuisse legitimam absentiæ causam, et substitutum fuisse aliquem, qui interea parochiam curaret. Quæ praxis cum invalesceret, anno 1573 ad Sacram Concilii Congregationem delata quæstione, an licite dicto modo abesse potuissent parochi, *Sacra Congregatio censuit, non potuisse, nisi causa cognita et probata ab Ordinario, et ab eodem in scriptis obtenta licentia* (libro 1 decretorum, folio 202).

5. Die 7 octobris 1604, Sacra eadem Congregatio sequentes emisit declarationes, quæ habentur libro 10 decretorum, folio 100.

Sacra Congregatio censuit, solam distantiam loci (nempe distantiam a civitate episcopali), *etiam cum æqua causa discedendi, non excusare parochum, ut possit abesse a sua ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repente se offerat, quæ non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi; quo casu quamprimum de discessu et de necessitate Ordinarium certiorem faciendum esse, ut de causa cognoscere possit,*

Nec parochum, habentem justam causam abeundi extra parochiam per duos menses aut tres, satisfacere suæ conscientiæ si petat licentiam jurando gravem se habere causam, quam non expediat manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet Episcopus non concedat.

Similiter abesse non posse in casu, quo causam rationabi-

(1) Vocantur *libri decretorum* volumina illa manuscripta, et nondum edita, in quibus habentur Sacræ Congregationis Concilii declarationes, ab instituta hac congregatione, usque ad annum 1718. A dicto autem anno usque ad præsens tempus emanatæ declarationes editæ fuerunt in celebri collectione, quæ *Thesaurus resolutionum* inscribitur, cuique singulis annis novus accedit tomus. *Libris decretorum*,, dum Romæ degerem, frequenter usus sum; quos cum adverterim non parum jam vetustate detritos, enixe a Sanctissimo postulavi ut typis ederentur.

lem expressit, quam vir bonus et æquus rationabilem judicaret, licet rigidus Prælatus minus æquam judicet, et licentiam deneget, vel quia movetur suspicione quod ficta sit, cum tamen sit vera ; sed habere posse recursum ad superiorem.

Nec posse per hebdomadam abesse non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo, ab ipso Ordinario approbato.

Nec esse liberum a culpa, et a pœna amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium; ad curandam suam valetudinem, morbo gravi instante, recessit, et ad hujusmodi absentiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit evidentiam causæ satis esse ; nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam, ut supra dictum est. Nec sufficere licentiam tacitam, sed oportet esse expressam juxta formam ejusdem concilii, sessione 23; capite 1.

6. Die 7 julii 1646, *Sacra Congregatio respondit aeris intemperiem non excusare parochum a residentia* (libro 18 decretorum, pag. 164).

7. Anno 1573, ad dubium, an parochus alibi quam in parochia degere possit, quando adeo insalubris est locus, ut nemo nisi indigena absque vitæ discrimine in eo degere possit, *Sacra Congregatio censuit, non posse. Si tamen rector infirmus esset, et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel medicinarum, tunc posse ab Ordinario dari dilationem trium aut quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat, recuperandæ sanitatis causa, posito interea ab ipso Ordinario in parochiali idoneo vicario cum congrua portione ex redditibus ejusdem parochiæ* (libro 1 decretorum, pag. 51).

8. Die 24 novembris 1674, Sacra Congregatio legitimam declaravit licentiam (ab Archiepiscopo Avenionensi cuidam parocho infirmo concessam), per quatuor menses abessendi, ob aeris Avenionensis inclementiam (libro 28 decret., pag. 395).

9. Die 6 aprilis 1647, *Sacra Congregatio respondit, nec ætatem senilem, nec malam valetudinem excusare parochum a residentia personali* (libro 18 decretorum, pag. 329).

10. Die 3 octobris 1671, ad casum sic propositum: *Bernardus Monuzzi, parochus Fognani, petit eximi a residentia, stante parvo numero familiarum cui vicinus parochus supplebit.—Sacra Congregatio censuit, non esse annuendum* (libro 27 decretorum, pagina 229.)

11. Fagnanus (in caput *Extirpandæ*, n. 11, *de Præbendis*) testatur in hunc modum: « Sacra Congregatio consulta, an « parochus teneatur residere, etiamsi essent in illa parochia « tres tantum vel quatuor incolæ, respondit teneri. »

12. Die 10 maii 1687, ad dubia:

Primo, an rectores ecclesiarum parochialium, a civitate distantium per duo, tria aut quatuor milliaria circiter, possint sine expressa Episcopi licentia abesse a suis ecclesiis parochialibus relicto ibidem substituto ab eis deputato; et in civitate tam diurno quam nocturno tempore jugiter commorari, exceptis solis diebus festis in quibus ad dictas ecclesias se conferant, revertentes illico ad civitatem?

Secundo, an parochi, qui nocturno cæteroquin tempore resident apud suas ecclesias, possint, celebrata summo mane missa in dictis ecclesiis, se conferre ad civitatem, et in ea diuturno tempore totius vel majoris partis anni commorari, licet apud dictas ecclesias, adsint eorum substituti?

Tertio, an dicti parochi, qui cæteroquin diurno tempore resident apud suas ecclesias, possunt nocturno tempore totius vel majoris partis anni commorari in civitate, licet apud dictas ecclesias adsint eorum substituti?

Sacra Congregatio respondit ad primum, secundum et tertium, negative. (Apud Benedictum XIV, *Institutione* 17: ubi etiam reperies omnes alias in hac nostra paragrapho relatas declarationes.)

§ II.

An et quo jure parochi, et alii quibus incumbit actualis animarum cura, residere teneantur.

Propositio I^a^. — *Resibentiæ lege obstringuntur parochi proprie dicti, qui nempe beneficium parochiale perpetuum*

obtinent, cum actualis curæ onere: non autem parochi improprie dicti, qui dicuntur parochi in habitu. — Constat *prior conclusionis pars* ex verbis Tridentinis (relatis superiori paragrapho, numero 1), Ibi enim, postquam egit synodus de Episcopis, generatim loquitur de *curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent.* Porro de hoc numero præcipue sunt parochi beneficium aliquod parochiale, cum actuali animarum cura, in titulum perpetuum obtinentes, ut per se patet. Constat insuper jure communi ante Tridentinam synodum vigente, quodque a Tridentinis patribus quoad hanc obligationem non fuit sublatum, sed confirmatum. Constat tandem ex unanimi doctorum sententia, et etiam quamplurimis Sacrarum Congregationum declarationibus, quæ obligationem hanc omnino certam supponunt. Neque ulli cæteroquin dubio obnoxia unquam fuit propositio hæc generalis, *ad residentiam teneri parochos proprie dictos;* sed tantum difficultas esse potest quoad modum intelligendi residentiam illam, ad quam tenentur.

Constat *posterior conclusionis pars* (parochos nempe *in habitu*, non obstringi residentiæ lege) ex eo quod non sint proprie curati. Dicitur quippe parochus *in habitu* ille, qui dignitatem beneficiumve possidet, cui annexa quidem est animarum cura, sed per vicarium exercenda ; ita quod principalis, non tantum non debeat curam exercere, sed ne jus quidem habeat sese in eam ingerendi. Tunc enim vicario incumbit exercitium curæ, et ipse est verus curatus, non autem parochus principalis. Cum ergo tota ratio legis de residentia sit, ne parochiani cura defraudentur, et hujus curæ exercitium non spectet ad parochos *in habitu*, nequaquam censendi sunt sub dicta residendi lege, ratione suæ parochialitatis, comprehensi. Unde postquam Leurenius legem illam stabilivit quoad parochos proprie dictos, sic addit : « Secus « est, ubi de cura tantum habituali agitur, quæ resultat « ab unione accessorie facta alicui dignitati vel beneficio, cum deputatione vicarii » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 366).

Propositio II[a]. — *Lege residendi obstringuntur parochi ad*

nutum amovibiles. — Nam et hi sunt reipsa *curati inferiores;* et eorum beneficium, etsi manuale, est tamen vere et proprie curatum. Atqui Tridentina synodus, loco citato, legem residentiæ edicens, expresse loquitur *de curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent.*

Propositio III[a]. — *Lege residendi constringuntur vicarii curati tam temporales quam perpetui.* — Quando cathedrali capitulo adnexa fuit animarum cura, penes capitulum remanet dumtaxat cura *habitualis*; et ad exercendam eamdem curam deputandus est vicarius, qui ideo curatus dicitur. Potest autem et solet ejusmodi vicarius ab Episcopo constitui perpetuus; ne scilicet alioquin ad nutum capituli sit amovibilis. Porro talis vicarius a jure habetur tanquam parochus, et ejus vicaria tanquam beneficium stricte sumptum; ita ut etiam possit quis ordinari ad titulum vicariæ hujusmodi. Hinc autem patet eum legi residendi esse obnoxium, cum et ipse vere sit de *curatis inferioribus*, et de iis qui obtinent *beneficium aliquod, curam animarum habens.*

Idem dicendum de vicario temporali, qui vacante parochia (verbi gratia), ad curam ibi exercendam, donec de rectore provisa fuerit, deputatur; et generaliter de quolibet vicario temporali vere *curato* (id est cui *principaliter* incumbit animarum cura), quamvis sit ad nutum amovibilis, et quamvis ad tempus dumtaxat constituatur. Etenim hi etiam vicarii sunt de numero *curatorum inferiorum*, de quibus agit Tridentina synodus; et ratio ob quam lata est residendi lex, tam urget quoad ipsos (quamdiu sic incumbit ipsis principaliter exercenda cura), quam quoad parochos, ut per se patet. Hinc in admittenda hac obligatione quoad dictos vicarios concordant doctores; prout videre est, verbi gratia, apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 366, n. 2), qui expresse docet obligationem illam extendi *ad vicarios tam temporales, quam perpetuos*; et citat Cardinalem de Luca, Barbosam et Pax-Jordanum.

Notetur tamen nos hic agere de iis vicariis temporalibus, quibus (deficiente parocho) exercenda interim principaliter cura demandata est; non autem de vicariis seu cappellanis, qui

parochos, curam per seipsos exercentes, adjuvant. Hi quippe sub dicta Tridentina lege nullatenus comprehenduntur.

Propositio IV^a^ — *Quando parochus coadjutorem habet, tam coadjutor quam coadjutus residere tenentur.* — 1° Quod remaneat coadjuto residendi onus tenent doctores communiter : « Si autem (ait Barbosa) datus sit coadjutor ratione « infirmitatis, non ob id proprius parochus excusatur a re- « sidentia. » (*De officio parochi*, cap. 8, n. 20.) De quo rationem affert Leurenius in hunc modum : « Neque enim Papa « censetur dare coadjutorem ad eximendos eos omnino a cu- « ra animarum et residendo, sed ut eos adjuvet ; per da- « tionem enim coadjutoris non transfertur tota cura anima- « rum in coadjutorem, ablata parocho administratione » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 366, n. 2). Atque ita decisum a Sacra Congregatione Concilii, in *Ravennatensi* anno 1577, vide apud Zamboni (parte 1, verbo *Parochus*, § 2, n. 1).

2° Ipsum etiam coadjutorem ad residendum teneri tradunt communiter doctores, et decisum a Sacra Congregatione Concilii, in causa *Brixiensi*, 5 novembris 1620, refert Giraldi (Barbosa, *de Officio parochi*, cum notis Giraldi, cap. 8, n. 21) in hunc modum : Ad sequentia dubia : 1° utrum coadjutores omnes, quomodocumque sint cappellaniæ institutæ, teneantur ad residentiam personalem, eadem lege concilii (sess. 23, c. 1), qua rectores ipsi parochialium tenentur. — Congregatio censuit teneri....

« 3° Utrum Episcopus teneatur cogere ad residentiam illos « etiam coadjutores, quibus nulla expressa personalis resi- « dentiæ obligatio injuncta est. — Sacra Congregatio censuit, « teneri cogere hos sicut ipsos ecclesiæ rectores.

« Utrum possit Episcopus cum aliquo ex his coadjutoribus « dispensare super residentia. — Congregatio censuit, non « posse, prout nec cum rectoribus ipsis potest. »

Propositio V^a^. — *Certum non est curatos ex jure divino ad residendum teneri.* — Equidem doctores quamplurimi et præstantissimi sustinent de jure divino ad residendum teneri eos, quibus incumbit animarum cura ; et in probationem adducere solent hæc Tridentinæ synodi verba : *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura*

commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere.. ; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt... (sess. 23, c. 1 *de Ref.*). Ex eo nempe textu non pauci doctores argumentati sunt in hunc modum : quo jure quis tenetur ad finem aliquem, eodem tenetur ad media ad eum finem assequendum necessaria ; atqui Episcopi et parochi jure divino tenentur ad pascendum gregem suum, ut habetur in citato Tridentino textu ; et aliunde nequeunt hunc finem assequi, nisi residendo, prout eodem textu clare exprimitur ; ergo. « Sed, inquit Benedictus XV, difficultas est in altera « parte secundæ propositionis, quam *minorem* vocant ; ete- « nim non dixit Tridentinum, non posse oves pascere qui « non resident, sed *qui gregi suo non invigilant neque assis- « tunt, sed mercenariorum more deserunt* : hæc autem verba « commode referri queunt ad animum ; cum vere intelligatur « gregi suo invigilare, assistere, eumque non deserere, « qui, etsi absens sit corpore, illius tamen regimini et tutelæ « sedulo excubat animo. » (*De Synodo diœcesana*, l. 7, c. 1, n. 4.) Ex prædicto Tridentino textu probari non posse divino jure impositam residendi obligationem, evincitur aliunde ex eo quod certo constet, Tridentinos patres noluisse controversiam dirimere ; imo textum illum ex proposito ita fuisse ab ipsis concinnatum, ut eam non dirimeret. « De hac contro- « versia, inquit laudatus Benedictus XIV, acriter discep- « tatum fuit in concilio Tridentino, ante sessionem 6, sub « Paulo III : sed ea vehementius recruduit sub Pio IV, in « conventibus habitis ante sessiones 19 et 23... Cumque dis- « sidentes inter se Patres haudquaquam conciliari potuerint, « tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto cuncti « animarum pastores ad residentiam adigerentur ; nihil « tamen definiretur de jure, quo iidem continue inter suas « oves versari tenentur : quin immo ita decretum concin- « nandum Patres duxere, ut nihil inde alterutri sententiæ « detraheretur : quæ omnia narrantur a Cardinali Palavi- « cino... Hanc Tridentini mentem, cum perspectam habuerit

« Pius IV, in allocutione habita ad Cardinales et Episcopos « calendis martii 1564..., agens de residentia a concilio « Lateranensi sub Innocentio III, atque a Tridentino anima- « rum pastoribus, novis sanctionibus injuncta, hæc ad rem « subdidit : *Licet vero neque in illo, neque in isto concilio « clare definitum sit, an residentia de jure divino esse cen- « seatur, quod neque etiam nos nunc ex improviso definire « audemus.* » (*De Synodo diœcesana* l. 7, c, 1, n. 3.)

§ III.

Quænam sint generatim justæ causæ, ob quas curati licite a parochia sua abesse possunt

Propositio I^a^. — *Lex residendi non ita intelligenda est, ut nequeant parochi, justa interveniente causa, extra Parochiam ire, et ad tempus abesse.* — Constat ex ipso juris ecclesiastici dispositione, qua ejusmodi legitimas abessendi causas determinavit (ut modo videbimus), et certum modum servandum præscripsit, dum eo jure suo parochi utuntur. Nec dicatur residendi obligationem, juxta præstantissimorum canonistarum sententiam, a jure divino dimanare; ut proinde jus ecclesiasticum non potuerit illam minuere, decernendo eam, certis intervenientibus causis, non urgere : nam in hypothesi etiam præscriptæ a jure divino residentiæ, non eo sensu id intelligendum est, aut fuit a dictis canonistis intellectum, quod nullo in casu possit parochus ad tempus abesse ; sed ea dumtaxat residentia exigi a dicto jure censenda est, quæ ad convenientem gregis custodiam sufficiat. Cui profecto sufficienti residentiæ nequaquam repugnant nonnullæ ad tempus, et justis de causis, absentiæ.

Propositio II^a^.— *Ut parochus singulis annis per bimestre, sive continuum, sive interruptum, abesse queat, non requiritur causa gravis, sed sufficit æqua, seu rationabilis.* — Constat ex verbis Tridentinæ synodi supra relatis (§ 1, n. 1) : *Discedendi autem licentiam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.* Cum prohibeat synodus ne con-

cedatur licentia *ultra* bimestre *nisi ex gravi causa,* æquivalenter declarat, posse hanc licentiam *absque gravi causa* concedi, si agatur dumtaxat de absentia per duos menses.

Quod tamen, ad absentiam etiam duorum mensium, requiratur causa *rationabilis*, constat ex eo quod eadem synodus quoad Episcopos voluerit (dum agitur de breviori eorum absentia gravem causam non requirente), *haberi rationem ut id æqua ex causa fiat* (vide § 1, n. 2) ; simulque varias de residentia quoad Episcopos dispositiones, de *curatis* etiam *inferioribus* intelligendas declaraverit exceptis iis quæ specialiter quoad hos diverso modo postea determinat. Porro ab hac necessitate æquæ causæ inferiores curatos synodus nullibi declarat exemptos.

Diximus autem in thesi, *per bimestre sive continuum*, *sive interruptum* ; quia pluries quidem eodem anno absque gravi causa poterit abesse parochus, modo ejusmodi absentiæ simul junctæ bimestre non excedant. Ad excedendum autem sive continue, sive diversis vicibus hoc temporis spatium, gravis causa requiri censenda est. Sequitur ex simili dispositione quoad Episcopos. Tempus scilicet Episcopis concessum ad abessendum sine gravi causa, idem determinatur *sive continuum* sit, *sive interruptum* (sess. 23. c. 1, vide textum supra § 1, n. 2). Et nullibi synodus aliter disponit quoad curatos ; quibus proinde applicanda venit dispositio, quoad illam continuitatis vel interruptionis circumstantiam ; cum (ut dictum est) disposita quoad Episcoporum residentiam, intelligi velit synodus etiam de curatis inferioribus, in iis omnibus, pro quibus aliter expresse non disponit.

Propositio III^a^. — *Interveniente gravi causa potest parochus ultra duos menses licite abesse.* — Constat ex iis Tridentinæ synodi verbis : *Discedendi autem licentiam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant* (sess. 23, c. 1.) Ibi enim æquivalenter dicitur, posse eis licentiam ultra bimestre concedi, dummodo adsit gravis causa.

Propositio IV^a^.— *Ut parochus per bimestre legitime abesse possit, sufficit recreationis causa vel similis.* — Nam, ex dictis, sufficit causa levis, modo tamen sit *æqua*, seu rationabilis ; atqui recreationis causa rationabilis est. Et idem dicendum

de qualibet alia causa, quæ boni viri arbitrio pro rationabili haberi potest. Esse autem hanc doctrinam a probatis auctoribus communiter receptam, vide apud Ferrarium verbo *Parochus*, art. 2, n. 37.

Propositio V^a. — *Ut parochus legitime abesse possit ultra bimestre, requiritur christianæ charitatis vel urgentis necessitatis vel debitæ obedientiæ vel evidentis ecclesiæ aut reipublicæ utilitatis causa.* — Nam, ex dictis, ad absentiam ultra bimestre gravis requiritur causa : « Porro « reducuntur causæ graves a Tridentino (sess. 23, c. 1) ad « quatuor capita, nimirum : Christianæ charitatis (quo spec- « tat causa juvandi proximum auxilio egentem, verbi gratia ut odia et lites componantur) ; evidentis et urgentis necessitatis, præsertim communis (verbi gratia dum quis abest ob aeris intemperiem, ob persecutionem tyranni, ob capi- « tales inimicitias...) ; obedientiæ majoribus debitæ (ut « dum versatur beneficiatus in servitio Papæ vel Episcopi) ; « evidentis ecclesiæ, cui quis præfectus est necessitatis, « vel utilitatis, ut dum abest ob prosecutionem litis super « juribus beneficii ; vel ob aliud negotium Ecclesiæ, verbi « gratia, vocatus ad synodum ecclesiasticam aut impe- « ratoriam. » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 376 « n. 1.) Vix autem aliqua gravis causa excogitari potest, quæ « ad aliquod ex dictis capitibus non referatur.

Propositio VI^a. — *Judicium de legitimitate causæ, sive ad bimestris, sive ad longioris temporis absentiam, pertinet ad Episcopum ; ita tamen ut a recusatione detur recursus ad superiorem.* — 1° Certum est voluisse Tridentinam synodum ejusmodi judicium ad Episcopum pertinere ; siquidem decrevit ne abesse posset parochus, nisi prius absentiæ causam cognovisset Episcopus, et licentiam in scriptis dedisset, prout infra ostendimus. 2° Dari tamen recursum ad superiorem, si parochus existimet injuste sibi licentiam denegari, concluditur ex eo quod a lege ipsa fiat parocho facultas abessendi per bimestre cum æqua causa, licet non gravi ; et ultra bimestre cum gravi causa. Unde Tridentina synodus ideo licentiam Episcopi requisivit, ut Episcopus causæ allegatæ justitiam verificaret ; et prout sufficientem eam vel

insufficientem existimaret, postulatam licentiam concederet, vel denegaret : non autem ut, stante etiam causæ justitia, dictam licentiam recusare posset. Hinc si revera adsit causa legitima, et licentia denegetur, gravatur parochus. A quolibet autem gravamine ad superiorem appellari potest.

Et ita intellectum et declaratum a Sacra Congregatione Concilii, constat ex decisione supra relata (§ 1, n. 5). Ibi siquidem agebatur de casu, quo parochus exprimit causam, quam vir bonus et æquus rationabilem judicaret; quam tamen prælatus, vel fictam, vel minus æquam reputans licentiam denegat; et postulabatur an nihilominus parochus licite abesse posset. Ad quod Sacra Congregatio respondit, non posse ; *sed habere posse recursum ad superiorem*.

« Si autem (ait Ferraris, verbo *Parochus*, art. 2, n. 24) « parocho postulanti Episcopus renueret licentiam concedere, « posset haberi recursus ad superiorem illius Prælati seu « Episcopi; et subsistente rationabili causa, posset idem « superior compellere Prælatum inferiorem ad eam licentiam « concedendam, prout censuit Sacra Congregatio Concilii, ut « referunt ac tenent Fagnanus.., Reiffenstuel..., Garcias.., « et alii, » Verum est hæc dici a Ferrario quoad absentiam duorum mensium, de qua ibi loquitur : sed applicanda pariter sunt in casu absentiæ ultra duos menses ex causa gravi. Nam Tridentinum concilium non minus tribuit parochis absentiam ultra duos menses *ex causa gravi* quam absentiam duorum mensium *ex causa æqua*, seu rationabili, quamvis non gravi.

Propositio VII[a]. — *Ut parochus a residendo in perpetuum eximatur, non sufficit ulla causa, quantumvis gravis ; nec ulla Episcopi licentia : sed requireretur Apostolicæ Sedis indultum, quod non solet concedi.* — Constat ex eo quod Tridentina synodus (sess. 6, c. 2) indulta perpetua de non residendo sustulerit, per hæc verba : *nullique privilegia, seu indulta perpetua de non residendo, suffragentur*. In qua lege, utpote universali, nequit dispensari ab Episcopo, sed dumtaxat a Sede Apostolica. Non tamen solent Romanæ congregationes perpetuum illud indultum concedere ; sed facultatem dumtaxat ad sex menses. Quod si causa residentiam parochi

impediens (verbi gratia, capitales inimicitiæ) ultra annum perduratura prævideatur, inducitur parochus, etsi innocens, ad resignandum vel permutandum; non autem ultra annum ipsi protrahitur abessendi licentia. De qua praxi, vide in tomo *8 Thesauri resolutionum*, causam Tyburtinam, 7 septembris 1737; necnon Pignatellum, tomo 7, consultatione 4, n. 16; Fagnanum, in caput *Ad supplicationem, de Renuntiatione*, n. 12 et 13, et in caput *Clericos, de Clericis non resid.*, n. 26; aliosque passim canonistas.

§ IV.

De nonnullis causis in particulari expenditur an parochum a residentiâ excusent.

Propositio I[a]. — *Consuetudo non residendi, etiam immemorabilis, a residentia non excusat.* — Nam hujusmodi consuetudinem decreti sui executioni obstare non posse decernit Tridentina synodus; et de hac ipsa consuetudine *etiam immemorabili* loquens, addit: *quæ potius corruptela censenda est* (sess. 23, c. 1). Porro consuetudo, quam jus semel intrinsece malam seu corruptelam declaravit, nunquam potest contra legem legitime præscribere.

Propositio II[a]. — *Causa perficiendi sua juris sacri vel theologiæ studia, a tempore Tridentinæ synodi parochum non excusat a residentia.* — Certum est jure antiquo, ante Tridentinam synodum vigente (vi nempe capitis 2, *de Privilegiis*, in 6; capitis *Licet, de Præbendis*; capitis *Cum ex eo, de Elect.*, in 6; et aliorum), potuisse parochos, studiorum causa, abesse usque ad septennium, ex consensu et licentia Episcopi. (Vide Barbosam, *de Officio parochi*, c. 8, n. 27.)

2° Remansisse post Tridentinam etiam synodum jus illud sive privilegium, sustinuerunt non pauci doctores, qui post dictam synodum scripsere; inter quos Layman et Pirrhing. (Vide Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 380, n. 2.)

3° Sed dicendum ejusmodi antiquo juri fuisse a Tridentina synodo derogatum. Etenim *primo*, si attente perpendantur Tridentina decreta, satis aperte derogatio hæc reperietur.

Prohibuit nimirum sancta synodus ne ultra duos menses abessendi licentiam concederet Episcopus, *nisi ex gravi causa*. Jam vero, etsi antea *gravis* fuerit studendi causa, non tamen post stabilitum a dicta synodo concursum quoad parochialium ecclesiarum collationem. Siquidem, juxta hanc concursus disciplinam, supponitur parochos esse idoneos et jam studuisse, « et consequenter non esse necesse, ut studiorum causa absint a suis ecclesiis. » (Barbosa, loco citato.) At *secundo*, etsi Tridentina verba controversiæ locum aliquatenus reliquissent, jamdudum tamen, ob multiplices et constantes hac de re Sacræ Congregationis Concilii declarationes omnis evanuit dubitandi ratio. Ita ut hodie pro certo tenendum sit, studiorum causam nequaquam sufficere, ut ab Episcopo debeat aut possit parochis concedi facultas non residendi. « Congregatio Concilii, ait Giraldus, pluries ita cen- « suit, et præsertim 1 octobris 1594. » (Barbosa, *de Officio parochi*, cum notis Giraldi, cap. 8, n. 27.) A referendis ejusmodi declarationibus abstinemus, eo quod passim apud auctores occurrant, nec ulla jam supersit quoad quæstionem hanc difficultas.

Propositio III[a]. — *Nec excusatur a residentia parochus ex eo quod theologiam in civitate doceat, etiam relicto idoneo vicario, et etiamsi non adsit alius ad docendum idoneus.* — Ex jure antiquo a residentia excusabat hæc etiam docendi causa ; et num huic docentium privilegio derogaverit Tridentina synodus, fuit pariter aliquando disputatum. Sed et jamdudum, per Sacræ Congregationis Concilii declarationes, omnis sublata est dubitatio. Vide inter alios, communiter conclusionem nostram tradentes, Barbosam, loco citato, n. 28, cum subjecta ibidem Giraldi nota ; necnon Ferrarium, verbo *Parochus*, art. 2, n. 26.

Propositio IV[a]. — *Aeris intemperies, etiam juncto morbo, parochum a residentia non excusat ; est tamen causa sufficiens morbus cum aeris inclementia, ut Episcopus ultra duos menses abessendi licentiam concedat.* — Constat ex Sacræ Congregationis declarationibus supra relatis (§ 1, n. 6, 7 et 8). Idem tradit Ferraris, verbo *Parochus*, art. 2, n. 28.

Propositio V[a]. — *Nec senilis ætas; nec adversa valetudo*

parochum excusat a personali residentia. — Id declaravit Sacra Congregatio Concilii (vide supra § 1, n. 9), et tradunt communiter doctores.

Propositio VI[a]. — *Parvus parochianorum numerus, etiamsi tres dumtaxat remaneant, parochum a residentia non excusat.* — Ita communiter doctores ; et decisum a Sacra Congregatione Concilii (vide supra § 1, n. 10 et 11.)

Propositio VII[a]. — *Periculum contrahendæ pestis in parochia grassantis, parochum non liberat ab onere residendi, etiamsi alii adsint idonei, qui vices ejus suppleant.* — « Sanctus Carolus Borromœus... dubium hoc ad Congregatio« nem Concilii definiendum detulit : num scilicet residere « teneretur, qui curæ præerat animarum, quamvis urgeret « periculum contrahendi pestem, et ex illa occumbendi. Res« ponsum autem fuit residendi obligationem vel tum vigere, « eaque obstringi non modo parochos, sed et Episcopos ; que« madmodum videre est in rescriptis mensis octobris et de« cembris anni 1576, relatis apud Fagnanum (in caput *Cle« ricos*, n. 37 et seq., *de Clericos, non resid.*); quibus pon« tificia quoque Gregorii XII accessit approbatio. Unde post « hujusmodi rescripta, sive resolutiones, aditus locusque « amplius relinqui non potest eorum doctorum opinioni, qui « affirmarunt et docuerunt, licere ei, qui animarum curam « exercet, a residentiæ loco abscedere, modo sacerdotem ido« neum adinveniat, qui, accedente Episcopi licentia, vices « ejus adimpleat. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, libro 13, cap. 19, n. 2.) Vide etiam Ferrarium, verbo *Parochus*, art. 2, n. 29.

Propositio VIII[a]. — *Ob inimicitias ipsi parocho personales licite potest parochus e parochia aufugere : licentiam autem perpetuam non residendi nequit Episcopus ei hanc ob causam concedere.* — *Probatur* 1[a] *pars.* — « Doctores omnes conve« niunt, non posse utique parochum a parochiali sua eccle« sia aufugere ; plebemque sibi commissam relinquere, sed « animam pro ovibus ponere obstringi, si tam contra ipsum « quam contra eamdem plebem gravis oborta sit inimicitia et « persecutio, ita ut omnibus commune impendat vitæ discri« men, nec alii reperiantur, qui tuto possint gregi assistere,

« ejusque spirituali saluti invigilare... Æque tamen commu-
« niter receptum est, graves inimicitias a solo parocho cum
« Barone loci, aut cum ipsomet populo... contractas, jus-
« tam ei præstare causam a residentia abcedendi, constituto
« vicario, qui ab Ordinario approbatus, ea meliori quafieri
« potest ratione spirituali animarum saluti occurrat... »
(In *The- sauro resolutionum*, tomo 8, in causa *Tyburtina*, 7 septembris 1737, § *Sacrosancta.*) Ad quod firmandum ibidem adducuntur plures auctores et textus juris.

Probatur 2ª *pars.* — Nimirum non posse in dictocasu, sicut nec in ullo alio, concedi ab Episcopo *perpetuam* licentiam non residendi, et interea fructus percipiendi. — Nam certum est a Tridentina synodo (sess. 6, c. 2) sublata omnino fuisse indulta *perpetua* de non residendo : *Nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis, suffragentur.* Quæ lex, cum universalis sit, excludit potestatem Episcopi aliter statuendi quoad subditos suos.

Nota Iª. — Circa quæstionem, *num possit tunc Episcopus licentiam non residendi ad tempus concedere, an vero sit ad Sedem Apostolicam recurrendum.* — Antequam in nonnulla documenta, mox subjicienda, offendissem, dubium mihi non erat, quin posset Episcopus, ex dicta causa inimicitiarum, licentiam non residendi parocho *ad tempus* concedere. Sic nempe arguebam : certum est a Tridentina synodo generatim Episcopis tribui potestatem absentias ejusmodi, ultra bimestre etiam, *ex gravi causa* permittendi (sess. 23, c. 1). Urgens autem necessitas extra parochiam, ob capitales inimicitias, commorandi, gravibus proculdubio causis annumeranda est; ut adeo ad hunc casum dicta Episcopi potestas extendi merito censeatur. Atvero huic conclusioni obstare videntur sequentes, quæ mihi occurrerunt, auctoritates : Ad quæstionem, « an ob capitales inimicitias Ordinarius dare
« possit parocho licentiam non residendi, » sic habet Leure-
« nius (in suo *Foro beneficiali*, parte 1, q. 385) : « Respondet
« negative Pax-Jordanus; idque, ut ait, ex declaratione Sa-
« cræ Congregationis Episcoporum : sed recurrendum ad
« ipsam Sacram Congregationem ; quæ non soleat concedere,

« ultra sex menses, ad effectum interim resignandi vel permu-
« tandi : quidquid alias concedere hac in parte potuisse Epis-
« copos doceat Zerola... Bonacina... » Ibi videtur agi de licentia *ad tempus*, et dicitur non posse ab Episcopo concedi.

« Quando inimicitiæ (ait Barbosa, *de Officio parochi*, c. 8, n.
« 32) absque parochi culpa contractæ fuerant, Episcopi dis-
« pensare solebant ut per annum in alio viciniori et tutiori
« loco manere possit (parochus); et crescentibus inimicitiis,
« dabatur alius annus; dummodo semper in parochiali ex-
« pensis parochi maneret idoneus vicarius. » Ad quæ verba
« Barbosæ, sic adnotat Giraldus : « Licentia abessendi prop-
« ter inimicitias concedi debet, non ab Episcopo, sed a Con-
« gregatione Concilii, ut eadem respondit mense decembri
« 1589 in *Faventina* : *Prætextu inimicitiarum minime excu-*
« *sandos esse* (parochos), *nisi obtinuerint litteras a Congre-*
« *gatione Concilii ; quæ ubi petitæ fuerint, dabuntur juxta*
« *formam.* »

Pignatellus (tomo 7, consultatione 4, n. 16) refert a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis præposita, die 7 januarii 1578, Ariminensi Episcopo, Visitatori Apostolico, rescriptum fuisse in hunc modum : *I curati, sotto pretesto d'inimicizia, non ponno assentarse d'alla cura con licenza del Vescovo ; ma devono domandarla al Pontefice, o alla Congregazione : la qual suole molto bene esaminare le circostanze... E quando pure si concede, si fa per breve tempo.*

His in medium adductis, quid tenendum sit, doctioribus concludendum relinquo.

Nota 2ª. — *Circa praxim Sacræ Congregationis Concilii, quando ad ipsam in dicto casu inimicitiarum recurritur.* — Eam sic describit Fagnanus (in caput *Clericos. de Clericis non residentibus*, n. 25) : « Sacra Congregatio Concilii... in
« his casibus consuevit dare litteras ad Episcopum, ut, si
« veræ sint et graves inimicitiæ quæ narrantur, et absque
« parochi culpa, et antequam ecclesiam obtinuit, exortæ,
« super quibus Episcopi conscientia oneratur, dilationem ei
« det, ut in alio tutiori ac viciniori loco manere possit ; duran-
« tibus dumtaxat inimicitiis ; dum tamen non ultra sex men-

« ses durent. Interea autem vicarium idoneum in illa ecclesia « constituat Episcopus, assignata ei congrua portione ex red- « ditibus Ecclesiæ ; et partes etiam suas interponat, et omnem « diligentiam adhibeat, ut tuto possit residere parochus. Quod « si intra sex menses necdum sedatæ sint inimicitiæ, res- « cribit Episcopo, ut det illi sex mensium prorogationem, « repetitis omnibus, quæ in prioribus litteris continebantur, « et sine spe ulterioris prorogationis, quæ rarissime conce- « ditur. Nam cum indulta perpetua de non residendo, etiam « ex justis et rationabilibus causis, jam sublata fuerint de- « creto capitis 2 sessionis 6, ubi inimicitiæ sunt verisimili- « ter duraturæ, ut consulatur curæ animarum, inducendus « est parochus ad resignandum vel permutandum... Et ita « parochus punitur sine culpa, sed non sine causa, ut notat « glossa (in caput *Tua nos, de Cler. ægrot.*) ; ad exemplum « parochi leprosi, qui ab administrationis officio removetur, « sed de bonis ecclesiæ sustentatur, ut in prædicto decreto « *Tua nos.* »

Propositio IX[a]. — *Servitium Episcopo præstandum, non est legitima causa non residendi, nisi per duos menses a Tridentina synodo concessos.* — « Nec Episcopus (ait Ferraris, « verbo *Parochus*, art. 2, n. 44) potest uti opera parochi in « visitatione, vel alio servitio suæ ecclesiæ, nisi pro tempore « duorum mensium a concilio Tridentino permissorum... Sic « declaravit Sacra Congregatio Concilii... Item non potest « parochus per Episcopum occupari in sui, vel ecclesiæ ca- « thedralis servitio, ut nempe sit vicarius, visitator, secreta- « rius, fiscalis, etc. Sic decrevisse Sacram Congregationem « Conciliii referunt Gonzalez..., Garcias..., Pignatellus... »

Nota. — Nec voti aut peregrinationis causa legitime abesse potest parochus ultra sibi concessum bimestre. Vide Leurenium (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 387).

§ V.

Quomodo ad licitam parochi absentiam, præter causæ legitimitatem requiratur, ut causa declaretur Episcopo, isque licentiam in scriptis concedat, et interim substituatur vicarius ab Episcopo approbatus.

Propositio I[a]. — *Ad absentiam ultra duos menses, requiritur, præter causam legitimam, licentia Episcopi in scriptis data.* — Constat ex his Tridentinæ synodi verbis : « Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant » (sessione 23, c. 1.) Constat etiam ex declaratione « Sacræ Congregationis Concilii supra relata (§ 1, n. 5); ubi etiam dicitur *evidentiam* causæ a petenda et obtinenda licentia nequaquam excusare.

Propositio II[a]. — *Eadem Episcopi licentia requiritur, etiamsi agatur tantum de absentia per duos menses.* — Colligitur ex modo relatis verbis, *licentiam in scriptis concedendam;* quæ perpenso contextu, generalia sunt, nec restringuntur ad casum absentiæ ultra duos menses duraturæ. Sed præterea id declaravit Sacra Congregatio Concilii, ut videre est supra (§ 1, n. 3. et 4). Ubi notetur rejectam fuisse prætensionem parochorum, qui contendebant satis esse, quoad absentiam duorum mensium, si causa Episcopo declararetur, non expectata ejus licentia. Idem cæteroquin tenent doctores communiter, inter quos sic Pignatellus (tomo 7, consultatione 4, n. 24): « Parochi non possunt, ex decreto concilii « (in capite 1 sessionis 23) annis singulis per aliquod tempus a suis parochialibus abesse, nisi causa cognita, et licentia ab Episcopo in scriptis obtenta... Et quamvis dictis « parochis abesse liceat per bimestre, tamen hanc authoritatem sibi arrogare non possunt ; sed licentiam, ut supra, « ab Episcopo obtinere debent. » Vide etiam idem variis documentis probatum a Ferrario (verbo *Parochus*, art. 2, n. 22 et seq.).

Propositio III[a]. — *Etiam ad absentiam unius hebdomadæ requiritur prædicta Episcopi licentia.* — Ita declaratum a Sa-

cra Congregatione Concilii vide supra (§ 1, n. 5). Et apud Ferrarium (verbo *Parochus*, art. 3, n. 22). Ex præmissis autem declarationibus corrigas ea, quæ a non paucis canonistis et moralistis olim in contrarium scripta sunt.

Propositio. IV[a]. — *Quoad absentiam ultra biduum et citra hebdomadam, an de jure communi necessaria sit Episcopi licentia, videtur licite controverti posse.* — Etenim tunc non requiri dictam licentiam sustineri potest ex sequentibus rationibus: 1° certum est principium, parum pro nihilo reputandum esse; et admittunt doctores multi, per *modicum tempus* a parochia sine licentia Episcopi discedere posse parochos, prout videre est apud sanctum Ligorium (lib. 5, dub.1, art. 4, n. 123); sed dicta absentia pro modica habenda est, nec saltem potest contrarium probari; ergo. 2° Dictam absentiam pro modica esse reputandam sequi videtur ex his Tridentinæ synodi verbis: *Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacrosancta synodus vult illud absentiæ spatium... nullo modo debere duos, aut ad summum tres menses excedere* (sess. 23, c. 1). 3° Nec deest huic sententiæ plurium doctorum auctoritas: « Barbosa...., « Reiffenstuel... et alii (inquit Ferrarius) docent posse paro- « chum sine licentia Episcopi, ex causa sibi legitima visa, « abesse per sex aut septem dies; dummodo interim ido- « neum vicarium, in illo episcopatu admissum, pro adminis- « tratione sacramentorum relinquat; ita (sicuti fatetur Bar- « bosa) declarante consuetudine universali. » (Ferrarius, verbo *Parochus*, art. 2, n. 34.)

Pro contraria sententia adduci potest decretum concilii provincialis Romani, sub Benedicto XIII habiti (tit. 17, c. 6) quo prohibentur parochi, ne ultra biduum, absque obtenta Episcopi vel ejus generalis vicarii licentia, e parochia discedant. Neque enim ita statuissent dictæ synodi patres, si absentia citra hebdomadam restricta pro modico ac nihilo esset habenda. Quibus stantibus momentis, hæc ego adnotabo:

Primo, suppono quæstionem a Sacris Congregationibus nondum fuisse decisam: alioquin, si quæ intervenissent declarationes (quas prorsus ignoro) essent hæ pro norma sumendæ.

Secundo, ubi nihil de hac re jure particulari diœcesis statutum est, et viget consuetudo licentiam in dicto casu non petendi, non videntur inquietandi parochi hanc sequentes consuetudinem: modo tamen aliquem sibi substituant qui, occurrente necessitate, sacramenta parochianis administrent; et dummodo etiam dictæ absentiæ frequenter non recurrant; quia alioquin parvitatem materiæ certe excederent.

Tertio, ubi vero non constat de consuetudine licentiam in dicto casu omittendi, nec adest Episcopi statutum illam petendam decernens, parochis vehementer suaderem, ut illam petere non omittant; quamvis non auderem, si secus agant, de aliquo eos peccato arguere. Diximus autem in thesi, *de jure communi;* quia ubi diœcesano statuto petenda in dicto casu præcipitur Episcopi licentia, dubium non est, quin peti et obtineri debeat, ut probamus infra.

Propositio V[a]. — *Quoad absentiam bidui, vel biduo breviorem, non videtur de jure communi necessaria licentia Episcopi.* — Id tanquam communiter receptum tradit Ferrarius (verbo *Parochus*, art. 2, n. 33) in hunc modum: « Ubi autem « non adsit talis constitutio Episcopi (1), potest parochus, ex « causa quæ sibi legitima videatur, per unum aut alterum diem « abesse sine licentia Ordinarii; dummodo interim idoneum « vicarium ab Ordinario approbatum relinquat: *communis.* « Sic enim docet universalis recepta consuetudo, quæ est « optima legum interpres. Nec immerito; *quoniam qui ali-* « *quantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia* « *non videntur abesse, quia statim reversuri sunt*; uti loqui- « tur idemmet ipsum concilium Tridentinum, citato sessionis « 23 capite 1. »

Posuimus autem in hac etiam thesi verba hæc, *de jure communi;* quia stante præcepto Episcopi, certo remanet petendæ licentiæ necessitas, ut statim dicetur.

Propositio VI[a]. — *Certum est posse Episcopum prohibere, ne ultra biduum absint parochi, absque licentia prius obtenta.* — « Valet enim (ait Ferrarius, verbo *Parochus*, art.

(1) Nempe præcipiens, ut in hoc etiam casu petatur licentia.

« 2, n. 31) constitutio Episcopi, ne parochi possint abesse « ultra duos dies sine licentia, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii (apud Garciam, *de Beneficiis*, parte 9, cap. « 2, n. 23, in prima *declaratione*)... Quin imo potest Episcopus prohibere parochis sub pœna pecuniaria, quæ tamen dimidiam (partem fructuum) non excedat, ne ultra « biduum ab ecclesia sua possint abesse. Non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: « sic declaravit Sacra Congregatio Concilii, testibus Garcia.... Barbosa... » Vide etiam Fagnanum, in caput *Relatum, de Clericis non residentibus*, n. 22.

Nulla est ratio cur pro valida censenda non sit episcopalis constitutio, absentiam ultra biduum, non obtenta licentia, prohibens. Etsi enim foret *præter* jus commune, non tamen est *contra*. Quam autem utilis aliquando esse possit, satis innuit Romani concilii, sub Benedicto XIII habiti, auctoritas, in quo ejusmodi prohibitio sancita est (titulo 17, cap. 6), addita pœna subtractionis fructuum juxta tempus absentiæ.

Nota 1ª. — Valeret constitutio Episcopi, qua *unius* etiam diei absentiam, absque obtenta licentia, prohiberet; modo tamen non necessarium foret ad civitatem episcopalem recurrere, sed designaret Episcopus aliquem vicarium foraneum qui facile adiri posset et licentiam concedere. Hanc enim fuisse Sacræ Congregationis Concilii sententiam, testatur Fagnanus (in caput *Relatum, de Clericis non resid.*, n. 23, his verbis: « Quin etiam cum Episcopus Brixiensis esset edituus constitutionem, prohibentem ne quispiam curatus sub « abesset a sua ecclesia, etiam unum diem, sine ejus licentia, « pœnis pecuniariis; et parochi ejus diœcesis dubitassent, « an id Episcopo liceret (cum, ex concilio, capite 1 sessionis « 23, qui paulisper abest a sua ecclesia non videtur abesse): Sacra Congregatio censuit, non posse declarari tale « statutum esse contra concilium, quod videtur velle, ne « paulum possit abesse rector absque licentia Episcopi, « etiam per unum diem: exspectandum tamen ut Episcopus « edat constitutionem; quæ si erit cum aliquo temperamento, « poterit permitti; sin minus, Sacra Congregatio curabit

« addi, ut alicui ex vicariis foraneis detur facultas conce-
« dendi talem licentiam. »

Nota 2ª. — Sanctus Ligorius videtur tenere, certo validam fore Episcopi constitutionem, qua prohiberet quamlibet absentiam uno etiam die breviorem: « Bene poterit Episcopus « (inquit) prohibere, ne parochi *omnino* discedant a suis ec-« clesiis » (libro 5, cap. 2, dub. 1, art. 4, n. 23 circa finem). Dicendo *omnino*, absentiam etiam unius horæ includit. Mihi vero invalida potius videretur episcopalis prohibitio quoad absentiam *uno die* breviorem: imo et quoad absentiam *unius integri diei*, nisi apponeretur temperamentum a Fagnano supra indicatum. Nimio scilicet onere, ex tali prohibitione, gravari parochos, absque sufficienti ratione, merito sustineri posset.

Propositio VIIª. — *Debet Episcopo declarari causa: nec sufficit ipsi dicere causam esse gravem, et hoc juramento firmare.* — Constat ex his Tridentinæ synodi verbis, *causa prius per Episcopum cognita et probata.* Constat insuper ex relata declaratione Sacræ Congregationis Concilii (supra § 1, n. 5), ubi casus iste expresse deciditur.

Propositio VIIIª. — *Sive ad absentiam duorum mensium, sive ad longiorem, si necessitas ita urgeat, ut non patiatur moram expetendæ licentiæ, omitti quidem licentia poterit; sed debebit quamprimum certior Episcopus fieri.* — Constat ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii relata supra (§ 1, n, 5). Et ita tenent doctores communiter, inter quos sic Ferraris (verbo *Parochus*, art. 2, n. 25):« Occurrente tamen « causa aliqua gravi et necessaria subito abscedendi, quæ « tantam celeritatem requirat, ut non patiatur dilationem, « seu sit periculum in mora petendi et exspectandi licentiam, « tunc parochus, relicto idoneo vicario, discedere poterit « absque præhabita licentia Ordinarii, quia necessitas non « habet legem (*atque ibi citat Ferraris plures juris textus*): « ita tamen, ut hujusmodi parochus, quamprimum poterit, « teneatur certiorare Ordinarium de tali suo discessu atque « necessitate urgente, ut is de causa cognoscat, et licentiam « concedat, nisi sit brevi reversurus. Et sic declarasse Sacram « Congregationem concilii referunt Garcias..., Barbosa,.. »

De qua doctrina facile patet ratio. Quod nempe possit in dicto casu discedere parochus ante petitam et obtentam licentiam, sequitur ex generali principio, legem ecclesiasticam cum gravi incommodo non obligare. Quod autem certior quamprimum fieri debeat Episcopus, sequitur ex eo quod lex Tridentina, præcipiens ut Ordinario declaretur causa, nequaquam cessare censenda sit, quando ante discessum e parochia non impleta est ; sed adhuc remanere explenda ; id nimirum exigente legis fine, qui totus et idem remanet ; siquidem, postquam etiam discessit parochus, plurimi interest ut causam Episcopus cognoscat, et vicarium substitutum approbet.

Propositio IX^a^. — *Præter causam legitimam, et scriptam Episcopi licentiam, de quibus supra, requiritur ut substituatur idoneus vicarius ab Episcopo approbatus, cum mercede congrua.* — Id expresse decrevit Tridentina synodus his verbis: « Quandocumque eos, causa prius per Episcopum cog-« nita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab « ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assi-« gnatione relinquant » (sess. 23, c. 1).

Nota. — Cum, ex præmissis, ad legitimam absentiam simul concurrere debeant justitia causæ et Episcopi licentia, si altera ex his conditionibus desit, licitus non erit parochi discessus. Nec justitiam causæ, si forte desit, supplere potest Episcopi licentia ; quia universali lege (quam tollere nequit Episcopus) prohibetur discessus absque causa legitima. Unde, verbi gratia, si conscius sit parochus de insufficientia causæ, tutus in conscientia non erit, quamvis Episcopus ex nimia bonitate discedendi licentiam concesserit. In dubio tamen de causæ justitia, judicio Episcopi eam approbantis tuto stare poterit.

§ VI.

Quomodo lex residendi intelligenda sit quoad modum.

Propositio I^a^. — *Lex residendi intelligenda est de residentia, non materiali dumtaxat, sed formali; id est, de laboriosa, non de otiosa.* — « Advertendum hic est, ut quis resi-« dentiæ legem impleat, quam Tridentinum concilium ac « Summi Pontifices tantopere commendant atque præcipiunt, « haudquaquam satis esse, si corpore solum intersit, in de-« sidia tamen versetur, vel tantum leviora munera sibi de-« sumat, reliqua vero ministris committat. Residentiam « quippe non cum inertia, sed cum laboribus conjungendam « esse Tridentina synodus jubet, ut a patribus Aquiliensis « concilii, anno 1595 coacti, recte perpenditur: *Quod de re-« sidentia a sacro Tridentino concilio, et summorum Ponti-« ficum constitutionibus cautum est, hoc non est intelligen-« dum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant; cum ex « sacris canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, « ut sit laboriosa, non otiosa.* Quidquid sit de ea quæstione, « utrum pœna restituendi fructus (in eos, qui longe a suis se-« dibus morantur, constituta) illos quoque parochos com-« plectatur, qui præsentia solum assident, nullaque causa « impediti otio marcescunt (cum eos nonnulli ab eadem pœna « liberos existiment); illud tamen certum est, desides ejus-« modi parochos lethali crimini obnoxios esse, et a præside « pro culpæ gravitate plectendos. » (Benedictus XIV, insti-tutione 17, n. 6.)

Propositio II^a^. — *Sufficienter formalis seu laboriosa censenda est residentia parochi, si parochialium muniorum partem notabilem per seipsum expleat; quamvis multa vicariis adjutoribus exequenda relinquat.* — « Parochus non sa-« tisfacit præcepto residentiæ, suæque conscientiæ, si resi-« deat quidem personaliter in parochiali, sed totam curam « relinquat capellano, nulla per seipsum munia parochi « obeundo... Parochi enim cogendi sunt ad subeunda per « seipsos, et non per substitutos, ea munia ad quæ tenentur.

« Tolerandi autem, ut per substitutos suppleant in illis tan-
« tum casibus, in quibus expressis verbis canonum et decre-
« torum concilii, permissum est eis, ut per vicarios coadju-
« tores possint officio suo fungi. Sic censuit Sacra Congre-
« gatio Concilii (in una *nullius*, 2 julii 1591)... Unde in ca-
« pite *Extirpandæ* (30, *de Præbendis* expresse sic statuitur:
« *Qui vero parochialem habet ecclesiam non per vicarium*
« (cappellanum sive cooperatorem), *sed per seipsum illi de-*
« *serviat, in ordine quem ipsius ecclesiæ cura requirit.* Vide
« Monacellum, parte 2, titulo 16, formula 2, n. 2. Potest ta-
« men parochus pro meliori cura animarum, atque officio-
« rum parochialium executione, et aliquali sua quiete, unum
« vel plures cooperatores habere, et ipsi, seu ipsis relinquere
« munera magis ardua, ut ire de nocte ad infirmos, pera-
« gere divina officia in ecclesiis filialibus distantibus, con-
« fessiones multas audire, et hujusmodi: dummodo simul ip-
« semet parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam
« munia pastoralia, præsertim principaliora, personaliter
« præstare non intermittat; et quando nominatim vocatur a
« parochianis, ad ipsos, præsertim infirmos, ire non recu-
« set... Docetque hoc recepta consuetudo, quæ est optima
« legum interpres. » (Ferraris, verbo *Parochus*, art. 2, n. 18 et seq.)

Vide insuper Fagnanum (in caput *Extirpandæ*, *de Præbendis*, n. 4), qui casus a jure expressos, in quibus vicariorum opera parochis uti licet, sic indicat: « Quales sunt ses-
« sione 5, capite 2, versu *Archipresbyteri*; sessione 6, ca-
« pite 2, in fine; sessione 21, capite 4, in principio; sessione
« 23, capite 1, versu *Eadem omnino;* capite 1, *de Reforma-*
« *tione matrimonii* sessione 24, versu *Præterea eadem;* et
« eadem sessione, capite 4. »

Eosdem casus descriptos vide apud Zamboni (parte 1, verbo *Parochus*, § 2, et nota 10); qui ibidem memorat Sacræ Congregationis Concilii declarationem (in *nullius*, 30 julii 1591) præsenti conclusioni nostræ consonantem.

§ VII.

Quomodo intelligenda sit lex residendi quoad locum.

Propositio I[a]. — *Est regula generalis, teneri parochum habitare intra parochiæ limites.* — Ita tenent doctores communiter; inter quos sic Leurenius : « Parochi vicariique curati, « intra ipsius parochiæ limites habitare debent, ita ut etiam « in casibus repentinis adesse possint suis, et hi illos conve- « nire commode » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 371). Vide etiam Cardinalem de Luca (ad Tridentinum, discursu 4, n. 11). Et conciuditur a fortiori ex sequentibus propositionibus. Posita est autem regula tanquam *generalis*, ob exceptiones de quibus infra.

Propositio II[a]. — *Est pariter regula generalis, debere parochum habitare in domo parochiali, si adsit.* — Hanc regulam sic exponit Fagnanus (in caput *Extirpandæ, de Præbendis, n.* 12): « Extenditur tertio (lex residendi) ut nec suffi- « ciat parochum ubilibet residere infra limites parochiæ, sed « oporteat eum habitare in ædibus parochialibus, ut sæpe « fuit solutum. Et in specie, cum multi rectores parochialium « ecclesiarum in diœcesi Eborensi, tametsi proprias ædes pa- « rochiales haberent, vel saltem percommode possent alias « conducere intra limites parochiæ, tamen aut extra paro- « chiam, aut extra prædictas ædes inhabitarent; et Episco- « pus quæsivisset quid agendum; Sacra Congregatio censuit « parochos teneri habitare in domo ecclesiæ parochialis: ac « si domum non habeant, debere aliquam conducere, saltem « intra limites parochiæ. » Nihilominus et hæc regula nonnullis exceptionibus obnoxia est; unde et tanquam *generalis* dumtaxat ponitur.

Propositio III[a]. — *Justa interveniente causa, potest parochus alibi quam in parochiali domo, intra fines parochiæ degere.* — Constat ex pluribus Sacræ Congregationis Concilii declarationibus. Id nempe esse permittendum Sacra Congregatio Episcopis rescripsit, quoad multos particulares casus, in quibus justæ allegabantur ejusmodi causæ. Inter alia

hujus rei exempla duo sequentia, ex Fagnano, subjicimus: « Petente Præposito Pisciensi declarari, an posset compellere « parochos ad habitandum ædes conjunctas ecclesiis paro- « chialibus, Sacra Congregatio censuit posse compellere : « si tamen aliquis casus occurrat, qui rationibus specialibus « innitatur rescribendum ad Sacram Congregationem. » (Fagnanus, in caput *Extirpandæ, de Præbendis*, n. 13.) « Vincentio Taurellio postulante sibi concedi ut posset ha- « bitare in domibus paternis, eo quod in domibus ecclesiæ « parochialis satis commode (cum senex esset) habitare non « posset, præsertim cum ecclesia esset vicina domibus pa- « ternis et in ecclesia etiam coadjutorem sustentaret : censuit « scribendum Episcopo, si vera sunt narrata, permittendum « oratorem manere in domibus paternis ; dum tamen et ipse « curam animarum exerceat, ut debet. » (Fagnanus, loco citato).

Propositio IV^a^. — *Etiam ut extra parochiæ limites habitet parochus permitti potest, justa de causa ; in loco tamen ita vicino, ut officium suum convenienter explere possit.* — Ita pluries declaratum a Sacra Congregatione Concilii quoad casus particulares, in quibus aderat id permittendi valde urgens ratio. De quo etiam unum aut alterum exemplum ex Fagnano transcribimus. « Die 16 junii 1607, Sacra Con- « gregatio censuit secundum ea quæ proponuntur, Episco- « pum suo arbitrio posse permittere, ut rector, qui neque ex « fructibus ædes in parochiali construere, nec alias « intra suæ parochiæ fines conducere potest, inhabitet do- « mum in altera parochia viciniori... ; atque ita in sua « parochiali animarum curam gerat, fructusque suos « faciat, perinde ac si in parochiali habitaret ; idque donec « alia ratio qua residentiæ adamussim satisfiat, possit iniri. » (Fagnanus, in caput *Extirpandæ, de Præbendis*, n. 18.) Memorat ibidem citatus auctor casum rectoris duas parochias unitas habentis, et habitantis extra earum fines in vicino castro, seu oppido ; unde tamen facilius parochianis suis adesse poterat, quam si intra fines parochiæ degisset. Carebat cæteroquin domo intra fines sita. « Die 15 septembris « 1607, Sacra Congregatio Concilii censuit rectorem, qui « hactenus in dicta domo, in castro ædificata, permitten-

« tibus Episcopis permansit, fructus fecisse suos. Imo etiam « deinceps posse Episcopum..., permittere, ut ibidem manere « pergat, dum tamen, etc.. » Notetur autem quoad hoc requiri « gravissimam rationem, ac veluti quamdam necessitatem.

Propositio V^a^. — *Quando parochia distat a civitate duobus passuum millibus aut amplius, non licet parocho in civitate diu noctuque, exceptis diebus festis, commorari, etiam relicto in parochia substituto : item non ei licet nocturno dumtaxat tempore in parochia habitare, et dicta missa summo mane ad civitatem redire, sicque per majorem anni partem in civitate diuturno tempore degere ; quamvis etiam substitutum in parochia manentem haberet : item vice versa, non ei licet nocturno tempore per majorem anni partem in civitate morari, quamvis diurno in parochia degeret, atque ibi habitantem substitutum haberet.* — Expressam de hoc triplici casu Sacra Congregatio Concilii decisionem retulimus supra, § 1, n. 12.

Propositio VI^a^. — *Quando parochus absque legitima causa non habitavit in domo parochiali, sed in alia intra fines parochiæ suæ, etsi contra præceptum residentiæ peccaverit, non tamen tenetur ad fructuum restitutionem : atque idem dicendum videtur si habitaverit extra parochiæ limites, modo necessaria ad curam præstiterit : in utroque tamen casu, si jussus ab Episcopo ut debito loco habitaret, parere renuerit, mulctari potest.* — Ita concludendum videtur ex variis Sacræ Congregationis Concilii declarationibus. Unam aut alteram ex Fagnano subjicimus : « Cum fuerit quæsitum a parocho « Ravennatensi, an parochialem ecclesiam intra civitatem « obtinens, et in ædibus ecclesiæ, seu intra limites paro- « chiæ, diu noctuque non residens, eidem tamen ecclesiæ in « divinis inserviens, teneatur tanquam non residens ad fruc- « tuum restitutionem: responsum, non teneri ; sed cogen- « dum in posterum residere in domo ecclesiæ, vel si non habet « in propinquiore intra limites parochiæ.

« Et iterum orta dubitatione, an rector parochialis ec- « clesiæ, habens domos parochiales, satisfaciat residentiæ, « habitando in domibus propriis ipsius rectoris, intra tamen « parochiæ limites constitutis, ita ut alias non faciat fructus

« suos, sed teneatur ad restitutionem perceptorum ; respon-
« sum est teneri habitare in ædibus parochialis ecclesiæ ;
« non tamen amisisse fructus, si intra fines parochiæ resedit,
« nisi ab Episcopo fuerit jussus in ædibus parochialibus ec-
« clesiæresidere ; quo casu, si id non præstitit, mulctari
« potest ab Episcopo. 6 aprilis 1606. » (Fagnanus in caput
« *Extirpandæ, de Præbendis,* n. 14, 15 et 16.)

Item quoad parochum, qui extra fines parochiæ, in quodam castro, gravibus de causis, et annuentibus Episcopis habitaverat, referente eodem Fagnano (ibid., n. 18) : « Sacra
« Congregatio Concilii censuit rectorem, qui hactenus in dicta
« domo, in castro exædificata, permittentibus Episcopis, per-
« mansit, fructus fecisse suos. »

§ VIII.

De pœnis et modo procedendi contra parochos non residentes.

Pro præsentis argumenti gravitate non tantum exponendam duximus hodiernam hac de re disciplinam, sed et breviter recolendum, quid juris olim ante Tridentinam synodum viguerit, et quam diversimode contra non residentes ecclesia procedi statuerit, prout curata vel simplicia beneficia obtinent. Hinc dicemus : 1° quis fuerit ante Tridentina decreta contra non residentes procedendi modus ; 2° quis existat a tempore Tridentinæ synodi contra canonicos non residentes ; 3° quis tandem contra parochos.

Quæstio 1ª.— *Quisnam fuerit ante Tridentinam synodum canonicus procedendi modus, contra clericos non residentes.* — 1° Si clericus non residens *latitaret*, ita ut non posset citari personaliter, jus disposuerat in hunc modum : citari debebat tribus publicis edictis, ecclesiæ ipsius valvis affigendis, quo peracto, si intra sex menses, ab ultimi edicti affixione computandos, non reverteretur, beneficio suo privari poterat. Id constat decretali *Ex tuœ* 11, tituli 4 *de Clericis non residentibus*, libri 3 decretalium ; necnon ex

communi et recepta hujus decretalis interpretatione ; prout inter alios, exponit Fagnanus, dictam decretalem commentans.

2° Extra casum clerici *latitantis*, id est, quando poterat citari personaliter, non requirebatur trinum edictum ; sed debebat fieri citatio personalis. Sufficiebat autem *unica* ejusmodi citatio. Imo sufficiebat simplex requisitio, seu monitio, seu revocatio, cum competenti termino ad redeundum : quo termino elapso, etiam non exspectatis sex mensibus, beneficio spoliari poterat. Constat decretali *Ex parte* (8, tituli 4 libri 3 decretalium) ; et expresse id docet Fagnanus (in caput *Ex tuæ, de Clericis non residentibus*, n. 9).

3° Non tamen tenebatur Episcopus contra non residentem procedere statim per viam privationis beneficii ; sed poterat, si ita ipsi videretur, adhibere dumtaxat pœnam privationis fructuum, vel censuras ecclesiasticas, suspensionem videlicet et excommunicationem ; ita ut ad privationem non deveniret, nisi post inutiliter præmissas ejusmodi pœnas. Id probat Fagnanus textu decretalis *Ex tuæ, de Clericis non residentibus*, n. 18.

4° Prædicto modo intelligi solet, quoad præsentem materiam, jus commune, ante Tridentinam synodum vigens, non obstante decretali *Extirpandæ* (30 *de Præbendis*) ; quæ tamen magnam difficultatem facit, eo quod aliter disposuisse videatur. In ea scilicet statuitur, ut qui parœcialem habet ecclesiam, debeat per seipsum illi deservire, seu residere ; et sic additur : *Alioquin illa se sciat auctoritate hujus decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit et possit quod dictum est adimplere.* Quæ verba satis aperte indicant parochum illegitime non residentem esse *ipso jure* parochiali suo beneficio privatum. Jam vero si privatus existat *ipso facto* nihil Episcopo remanet faciendum, quam declarare parochiam vacantem, ut alteri conferri possit ; et sic stare nequeunt quæ diximus de modo procedendi contra non residentem.

Hinc in concordanda hac decretali cum præcedentibus valde insudarunt canonistæ, de quo quatuor excogitata systemata refert Gonzalez (in caput *Ex tuæ, de Clericis non resi-*

dentibus, n. 5). *Prima* explicatio, quæ est Garciæ, difficultatem solvit dicendo, per decretalem *Extirpandæ* sublatas et antiquatas fuisse præcedentes. Sed hoc admitti nequit; siquidem a Gregorio IX (qui decretali *Extirpandæ* posterior est) in ultimo capite tituli *de Clericis non residentibus*, decernitur, clericum non residentem spoliandum esse, non autem esse ipso jure spoliatum. *Secunda* explicatio, quæ est Lotherii, distinguit privationem beneficii, ab illius pœnæ executione: et dicit, privationem beneficii incurri quidem ipso facto non residentiæ, juxta caput *Extirpandæ*; alias autem decretales, quibus requiritur prævia citatio vel monitio, respicere dumtaxat executionem. Sed neque hanc explicationem esse admittendam probat Gonzalez variis rationibus. *Tertia* est Thomæ Hurtudo, qui vult in decretali *Extirpandæ* subaudienda esse verba hæc, *Prævia monitione;* et sic omnia concordare existimat. Sed neque id laudato Gonzalez arridet. *Quarta* demum est Germonii, qui distinguit inter non residentes qui *præsentes sunt in* regione, quamvis non resideant; et non residentes, *qui absunt*. Et priores quidem ipso jure esse privatos, juxta caput *Extirpandæ*, casum hunc dumtaxat respiciens; de posterioribus autem esse intelligendas alias decretales, atque ipsis applicandas. Et huic ultimæ explicationi assentit Gonzalez.

Hanc difficultatem ne introspexisse quidem videntur nonnulli canonistæ, verbi gratia, Ferraris (verbo *Parochus*, art. 2, n. 55).

Quibus prænotatis circa jus commune, quoad præsentem quæstionem, ante Tridentina decreta vigens, expendamus nunc quid Tridentina synodus ex hoc antiquo jure servatum voluerit, quidve immutaverit.

Quæstio 2ª — *Quisnam, post concilium Tridentinum, sit modus canonicus procedendi contra absentes canonicos cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum.* — Sic disponit dicta synodus (sessione 24, cap. 12): « Præterea obtinentibus in iis-
« dem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus,
« præbendas aut portiones, non liceat... ultra tres menses
« ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse.., Alioquin primo
« anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum. Quod

« si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus « fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente « vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum cons- « titutiones procedatur. » Per hocce decretum multum immutatum est quoad canonicos jus ante Tridentinam synodum vigens. Antea enim, ut in superiori quæstione videre est, poterat Episcopus contra non residentem procedere ad privationem beneficii, sive post competentem terminum (si personaliter citatus fuerat), sive post sex menses (si trino edicto facta fuerat citatio). Post Tridentinam autem dispositionem deveniri nequit ad privationem nisi post tres annos. Quod sic adnotat Fagnanus (in caput *Ex tuæ, de Clericis non residentibus*, n. 14) : « Atque ita absentes ultra tres « menses hodie beneficio privari non poterunt (intellige pro- « pter defectum residentiæ) nisi post lapsum trium annorum, « et servata forma ibi præscripta, ut sæpius declaravit Sacra « Congregatio ejusdem concilii interpres. Minime enim ve- « rum est quod refert Mantica.., videlicet per illustrissimos « Sacræ Congregationis interpretes fuisse declaratum, Epis- « copos posse procedere ad privationem ob non residentiam, « tametsi temporum intervalla, de quibus in dicto capite 12, « sessionis 24, non fuerint observata. Imo enim Sacra Con- « gregatio censuit exspectandum esse lapsum trium anno- « rum, priusquam ad privationem in totum procedatur. Et « primo anno absentem ultra tempus permissum privandum « esse dimidia parte fructuum ; et quidem ad ratam men- « sium quibus abfuit, si non integer est annus ; secundo, « omnibus fructibus ; tertio, privandum titulo : et ad pri- « vationem hujusmodi procedi non posse nisi forma servata. » Idem tradit Fagnanus in caput *Licet, de Præbendis*, n. 26, et sic concludit : « Atque ita hodie correcta est dispositio « antiquorum canonum, secundum quam canonicus absens « privari poterat beneficio, si infra congruum terminum sibi « præfixum, ad residentiam non rediisset. Nam post conci- « lium (Tridentinum) privari non potest titulo, nisi post lap- « sum trium annorum. » Et citat ibidem expressam hac de re Sacræ Congregationis Concilii declarationem.

Quæstio 3ª. — *Quisnam sit, post concilium Tridentinum,*

canonicus procedendi modus contra parochos non residentes? — Pendet hujus quæstionis solutio a sequentibus Tridentinæ synodi textibus; qui attente ponderandi sunt, ut recte res discernatur : sessione 6, capite 1, contra Episcopos non residentes sic decretum est : *Si quis..., justis et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni.. pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum eo ipso amittat. Crescente vero contumacia.., Metropolitanus suffraganeos, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior.. Romano Pontifici denuntiare teneatur.* Hæc statuta fuerant a Tridentinis Patribus tempore Pauli III. Sessione autem 23, capite 1, præter illas pœnas, statuunt contra Episcopum, ultra permissos tres menses absentem, *eum, præter mortalis peccati reatum quem incurrit, pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere*; *nec tuta conscientia* (*alia etiam declaratione non secuta*) *illos sibi detinere posse*. Postea vero, in eodem capite 1 sessionis 23, eas dispositiones ad parochos extendunt his verbis : *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum et pœnas, de curatis inferioribus.., sacrosancta synodus declarat et decernit.* Et tandem quoad eosdem parochos ibidem sic specialiter disponitur : *Quod si, per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem et subtractionem fructuum; aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere ; nec executionem hanc quolibet privilegio.,., consuetudine, etiam immemorabili* (*quæ potius corruptela censenda est*), *sive appellatione aut inhibitione..., suspendi posse.*

Porro his attentis textibus, necnon Sacræ Congregationis Concilii declarationibus, et recepta doctorum interpretatione, proposita quæstio resolvenda est ut sequitur :

I. *Liberum est Episcopo contra parochum non residentem, sive per subtractionem fructuum, sive per censuras, sive per privationem beneficii procedere.* — Id aperte sonant modo transcripta concilii Tridentini verba *liberum esse vult Ordi-*

nariis, etc. Atque ita intelligenda esse verba hæc tradunt communiter doctores, cum Fagnano (in caput *Ex tuæ, de Clericis non residentibus,* , n. 18). Idem declaratum fuit a Sacra Congregatione Concilii, prout testatur laudatus Fagnanus in hunc modum : « Consulta, an si arbitrium Episcopi « qua via et quo remedio uti voluerit contra non residentes, « nempe vel censuris, vel sequestratione, et subtractione « fructuum, vel privatione ; respondit, ita esse. » (Loco citato.)

Objici quidem potest ejusdem congregationis quædam declaratio, qua respondit, contra parochos ob grassantem pestem non esse illico per privationem beneficii procedendum, sed adhibenda prius esse alia remedia. Atvero respondet Fagnanus, hanc declarationem respicere dumtaxat casum illum pestis : excepto autem hoc casu pro quo theologi tunc temporis adhuc disputabant, num tenerentur parochi ad residendum personaliter), veram remanere conclusionem.

Unde omnino derelinquenda est opinio nonnullorum veterum canonistarum, qui sustinebant, etiam post concilium Tridentinum, non posse Episcopum procedere ad privationem contra parochos non residentes, nisi præmissis aliis remediis. Est e contra in arbitrio Episcopi, ut statim, si velit, ad privationem procedat.

II. *Si velit Episcopus per privationem fructuum procedere contra non residentem parochum, tenetur servare intervalla et quantitates, prout quoad Episcopos sessione* 6, *capite* 1, *præscribuntur.* — Sequitur ex eo quod statuta contra Episcopos non residentes applicata fuerint parochis non residentibus, expresse quoad privationem fructuum. Accedit declaratio Sacræ Congregationis Concilii, quam sic refert Fagnanus (in caput *Ex tuæ, de Clericis non residentibus*, n. 24) : « Orta dubitatione, an Episcopus procedens per subtrac- « tionem fructuum adversus parochos non residentes..., te- « neatur observare eadem intervalla eamdemque rationem, « quæ contra Episcopos non residentes statuitur in capite 1 « sessionis 6; censuit, Episcopum, quoties in pœnam omis- « sæ residentiæ vult parochis subtrahere partes fructuum, « quos residendo suos fecerunt, debere servare, quoad in-

« tervalla et quoad quotas, præscriptum concilii capitis 1 « sessionis 6. »

III. *Si velit Episcopus exequi privationem, quoad eos dumtaxat fructus, quos parochus, ob omissam residentiam, non fecit suos, non debet prædicta intervalla sequi.* — « In « executione autem facienda super illis fructibus, quos iidem « parochi pro rata temporis absentiæ suos non fecerunt, nec « tuta conscientia retinere possunt, Episcopum non debere « sequi intervalla, de quibus in dicto capite 1 sessionis 6. » Ita Sacra Congregatio Concilii (apud Fagnanum, loco modo citato).

IV. *Parochus absens illegitime, præter peccati reatum, non facit fructus suos, nec potest illos retinere; sed illi fructus debent applicari fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci.* — Nam synodus postquam id statuit quoad Episcopos, subjungit se idem decernere *quoad culpam, amissionem fructuum et pœnas*, de curatis inferioribus.

V. *Si Episcopus contra parochum non residentem procedere velit per privationem beneficii, non tenetur eum citare personaliter, sed potest citare per edictum.* — Constat ex verbis capitis 1 sessiouis 23, *quod si per edictum citati, etiam non personaliter.* Et idem tradit Fagnanus (in caput *Ex tuæ, de Clericis non resid.*, n. 31.)

VI. *Episcopus procedere volens per privationem beneficii contra parochum non residentem, non tenetur citare tribus edictis. sed sufficit unum, cum assignatione competentis termini.* — « Post concilium (ait Fagnanus) sufficit uni- « cum edictum peremptorium cum competenti termino ad « redeundum, cum non requirat trinum, sed simpliciter di- « cat, *peredictum citati* » (in caput *Ex tuæ, de Clericis non resid.*, n. 32.)

VII. *In prædicto casu, non tenetur Episcopus, post citationem per edictum, exspectare sex menses, prout volebat jus commune ante Tridentinam synodum; sed statim elapso termino assignato, privationem beneficii exequi potest.* — Sequitur ex his verbis, *per edictum citati, etiam non personaliter.* Nam sic loquendo, indicat synodus se voluisse, ut edictum esset loco personalis citationis, et eodem jure regularetur:

porro de jure communi, quando citatio fit, non per edictum sed personaliter, sufficit exspectare ut elabatur assignatus terminus, et nequaquam exspectandum est sex mensibus. (Vide Fagnanum, loco citato, n. 34.)

Nota. — A fortiori sequitur in dicto casu exspectandum non esse per tres annos, sicut supra (quæstione 2) vidimus esse necessarium quoad non residentes canonicos, aliosque beneficia simplicia obtinentes.

VIII. *Fructus quos parochus, ob omissam residentiam non fecit suos, debent applicari fabricæ ecclesiarum, vel pauperibus loci, per ipsummet parochum, et (ipso id non præstante), per superiorem.* — Constat his verbis Tridentini decreti: *aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum. illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.*

IX. *A decretis Episcopi executoriis contra parochos non residentes, non datur appellatio ad effectum suspensivum, sed dumtaxat ad effectum devolutivum.* — Constat his Tridentini decreti verbis: *Nec executionem appellatione suspendi posse.* Et ita doctores unanimiter.

X. *Certum est parochum per illegitimam absentiam non incurrere ipso facto privationem beneficii sui.* — Nam quidquid sit de jure communi ante Tridentinam synodum vigente, certum est (ut diximus supra n. I.) Tridentinos Patres liberum fecisse Episcopis ut procederent, sive per privationem fructuum, sive per censuras, sive per privationem beneficii. Porro si parochus, illicite non residens, foret ipso jure privatus suo beneficio, non posset Episcopus procedere contra ipsum censuris dumtaxat, aut subtractione fructuum; sed deberet privationem beneficii exeqni; declarando nempe parochum esse jam ipso jure parochia sua spoliatum, et parochiam vacare. Et ita communiter doctores (vide inter alios Ferrarium, verbo *Parochus*, art. 2, n. 55).

Nota 1°. — Ex dictis sub hac ultima quæstione, facile potest lector colligere, quomodo Tridentina synodus, quoad pœnas et modum procedendi contra non residentes parochos, jus antiquum immutaverit: item quam disparis conditionis hac in re parochos et canonicos eadem synodus esse voluerit.

Nota 2°. — Quæ de parochis in hac paragrapho dicta sunt, intelligenda etiam veniunt de quibuslibet aliis curam animarum principaliter et ex officio exercentibus; verbi gratia, de vicario curato cathedralis, quando cura capitulo adnexa fuit; de œconomo parochiam vacantem regente, donec novus in ea parochus constituatur, etc. Cum enim hi omnes eadem ac parochi residentiæ lege obstringantur, iisdem etiam illius legis consectariis subjacent. Unde Tridentina synodus (sess. 23, c. 1) eos omnes complecti volens, non parochorum, sed generaliori *curatorum inferiorum* vocabulo utitur. Excipiendum dumtaxat quod privationem beneficii respicit, si beneficium non habeant, ut per se patet.

CAPUT III.

OFFICIUM PAROCHI QUOAD BAPTISMATA.

I. Tenetur habere librum in quo describantur baptismata, prout constat ex decreto Tridentino, mox transcribendo.

II. Non debet recipere nisi unicam personam, vel ad summum duas (id est patrinum et matrinam) quæ baptizatum de fonte suscipiant. Earum nomina pariter libro baptismatum inscribere debet, necnon eas monere de contracta cognatione spirituali. Quæ omnia sic præcepit Tridentinum concilium (sess. 24, c. 2, *de Ref. matr.*): *Sancta synodus.., statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat; doceatque eos quam cognationem contraxerint.*

Nequit dispensare Episcopus, ut plures quam duo in pa-

trinum et matrinam recipiantur. (Vide Giraldi, *Additam. ad Barbosam, de Parocho*, cap. 18, n. 37.) Si tamen plures recipiantur, contrahunt cognationem spiritualem. (Ibid.)

III. Ad effectum contrahendæ cognationis spiritualis requiritur ut patrini (idem dic de matrinis) sint baptizati. (Barbosa, *de Parocho*, cum *Addit.* Giraldi, c. 18, n. 27.) Unde adhibere non baptizatum in patrinum, idem est quoad valorum actus ac nullum adhibere. Atque idem dicendum videtur de mente captis, aut rationis usum nondum habentibus; quia incapaces sunt explendi patrinorum officii, quod in eo stat ut patrinus sese fideijussorem constituat.

IV. Non autem necesse est, ad effectum contrahendæ cognationis, ut patrinus ætate major sit baptizando; quia id nullo jure requisitum reperitur. Nec verum est patrinum agere personam patris (ex quo ætate provectiorem eum esse debere aliqui olim existimarunt); sed agit dumtaxat personam fideijussoris erga ecclesiam. (Barbosa, citato loco, n. 29.)

V. « An patrini possint esse duo mares, aut duæ fœ-
« minæ? — Nega; sed probabile est (cum Sanchez et Croix)
« esse tantum veniale, contra Bonacinam et alios, qui volunt
« esse mortale. » (Sanctus Ligorius, libro 6, n. 155.)

VI. « An patrinus masculi (si unicus sit) debeat esse mas-
« culus, et fœminæ fœmina? — Affirmat Layman...; sed
« probabilius negant Suarez, Fillucius...; cum a Tridentino
« dicatur, *sive vir, sive mulier*. » (Idem, ibid.)

VII. Parochus admittens in patrinos, duos mares, aut duas fœminas, peccaret; et qui dem probabilius mortaliter, si essent diversi sexus ac infans. (Vide sanctum Ligorium, l. 6, n. 155.)

VIII. In patrinos admitti non debent religiosi nec religiosæ, neque conjuges respectu conjugum (extra casum necessitatis), neque parentes respectu filiorum (nisi ad sit necessitas), neque infames, neque apostatæ, neque hæretici. (De his vide sanctum Ligorium, l. 6, n. 156.)

IX. Duos conjuges licite admitti posse in patrinos alienæ prolis, concludit sanctus Ligorius (libro 6, n. 157), contra nonnullos, id sub veniali prohibitum existimantes.

X. « Peccat graviter parochus baptizans solemniter sine
« patrino. » (Sanctus Ligorius, l. 6, n. 158.)

XI. « Sic etiam graviter peccat, si admittit ad baptismum « patrinum non designatum. » (Idem, ibidem,)

XII. Parochus, tempore pestis, non tantum residere tenetur, ut supra (cap. 2) probavimus, sed peste laborantibus, per se vel per alios idoneos, sacramenta baptismi et pœnitentiæ administrare. Ita decisum a Sacra Congregatione Concilii (in *Mediolanensi*, 13 aprilis 1630); prout refert Zamboni (parte 1, verbo *Parochus*, § 1, n. 1).

Nota. — Cætera, quæ officium parochi circa baptismum respiciunt, vide apud laudatum sanctum Ligorium (libro 6, tractatu 2).

CAPUT IV.

OBLIGATIONES PAROCHI QUOAD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

1. Tenetur, regulariter loquendo et quidem sub gravi, petentibus parochianis hoc sacramentum ministrare, non tantum quando parochiani tenentur illud recipere, id est, semel in anno, sed etiam toties quoties petunt.

2. Diximus *regulariter loquendo* ; quia ad hanc generalem regulam dari sequentes exceptiones tenent doctores communiter : nempe *primo*, licite recusabit audire confessionem, quando prudenter existimat, spirituali pœnitentis profectui non prodesse, quod tam frequenter confiteatur, prout occurrit casus, verbi gratia, quoad scrupulosos ; *secundo*, etiamsi pœnitens rationabiliter petat se audiri sacramentaliter, si parochus semel aut iterum renuat, erit dumtaxat peccatum veniale ; *tertio*, si subditus tempore importuno, verbi gratia tempore prandii, somni, etc., confiteri velit, non peccabit parochus recusando. (Vide hæc exposita in tractatu Barbosæ, *de Parocho*, cum *Additamentis* Giraldi, cap. 19, n. 8.)

3. Tenetur parochus, etiam cum mortis periculo, pœnitentiæ sacramentum ministrare infirmis peste laborantibus, quando non adest alius sacerdos qui id præstet. Ita decisum a Sacra Congregatione Concilii (in *Mediolanensi*, 13 aprilis 1630) refert Zamboni (parte 1, verbo *Parochus*, § 1, n. 1).

Atque omnino tenendam doctrinam hanc, vide apud Barbosam *de Officio parochi*. c. 17, n. 12); apud Benedictum XIV (*de Synodo diœcesana*, I. 13, c. 19, n. 6 et seq.); et alios passim probatos auctores.

4. Quod etiam pueris et puellis, antequam ad primam communionem admissi fuerint, teneatur parochus, vel eorum confessarius sacramentum pœnitentiæ ministrare, eis, scilicet absolutionem impertiri, quando ea indigent aut utiliter eam recipere valent, ridiculum foret adnotare, nisi nimium certus passim in Gallia serperet abusus ejusmodi pueris absolutionem denegandi usque dum ad sacram mensam accessuri sint. De quo abusu certior factus summus pontifex Pius Papa IX, ad eum extirpandum nuper scribi jussit ad reverendissimum Bituricensem Episcopum. Quam Cardinalis Antonelli epistolam subjicimus, prout gallice in collectione periodica *Bulletin religieux de Versailles*, die 7 octobris 1866, edita fuit.

« Illustrissime et Révérendissime Seigneur, il y a peu de « temps, le Saint-Père a reçu, d'une source digne de toute « confiance, un rapport affligeant sur la manière insuffisante « dont, en certaines parties de la France, les soins spirituels « sont donnés aux jeunes enfants, *avant* et *après* leur pre- « mière communion.

Pour donner à Votre Seigneurie Illustrissime et Révéren- « dissime un résumé des faits exposés à Sa Sainteté, je lui « dirai qu'on a représenté :

« Qu'avant le temps de la première communion, on refuse « aux *jeunes enfants l'absolution sacramentelle*, les laissant « ainsi, on ne saurait dire en vertu de quels principes théolo- « giques, jusqu'à l'âge de douze et même de quatorze ans, « dans un état vraiment dangereux, au point de vue spirituel ;

« Que, même après les avoir admis pour la première fois « à la table eucharistique, on a coutume de les en tenir « éloignés pendant longtemps, leur défendant, dans certains « endroits, de communier au temps de Pâques, l'année de « leur première communion ;

« Qu'enfin, il y a même des séminaires où règne l'usage « d'éloigner, pour plusieurs mois, les jeunes élèves du Sa-

« crement de l'autel, sous prétexte d'attendre une plus mûre « préparation.

« Sachant combien la fréquentation des Sacrements de « Pénitence et d'Eucharistie importe à la garde et à la con- « servation de l'innocence dans les enfants ; sachant que cet « usage fréquent des Sacrements contribue admirablement « à alimenter et fortifier la piété naissante dans les jeunes « cœurs auxquels elle fait embrasser avec ardeur les prati- « ques de notre sainte Religion, il était impossible de ne « pas éprouver une vive répugnance à admettre, du moins « dans toute leur étendue, les faits articulés dans ledit rap- « port, bien que, je le répète, il provînt d'une source autori- « sée. Mais les renseignements qui ont été pris successive- « ment afin de mieux constater l'existence et la portée des « inconvénients signalés, ont prouvé qu'au moins, dans une « certaine mesure, ils n'étaient pas sans fondement.

« C'est pourquoi le Saint-Père, désireux de voir modifier « un système si préjudiciable aux intérêts spirituels des « jeunes enfants, m'a chargé d'appeler, sur cet abus, l'at- « tention de Votre Seigneurie Illustrissime et Révérendis- « sime et celle de quelques-uns de ses plus zélés collé- « gues, et de la prier d'employer son influence et son auto- « rité particulièrement auprès des prélats, ses suffragants, « afin de parvenir à réformer dans un sens plus conforme à « l'esprit et à la discipline de l'Église, ce défectueux système « de soins spirituels à l'égard des enfants, système dont (on « se l'imagine bien) sont trop disposés à profiter bon nombre « de pères de famille qui ont peu ou point de souci de l'édu- « cation spirituelle de leurs enfants. En introduisant dans « certaines parties de la France la méthode régulière, con- « forme à la discipline générale de l'Eglise, qui consiste à ad- « mettre même *les jeunes enfants* à une *juste fréquentation* « *des Sacrements*, on peut avec raison augurer que, de proche « en proche, la même méthode s'étendra aux autres contrées, « et qu'ainsi on verra bientôt cesser cet usage regrettable.

« Telle est la communication que je suis chargé de vous « faire de la part du souverain Pontife. Et si, en l'adressant « à Votre Seigneurie Illustrissime et Révérendissime, il m'est

« agréable de penser que son grand zèle saura répondre aux « sollicitudes inquiètes du Saint-Père, je ne suis pas moins « heureux de l'occasion qui m'est fournie de lui attester de « nouveau les sentiments de mon estime la plus distinguée. « De Votre Seigneurie Ill^me^ et R^me^, le très-humble servi- « teur, J., Card. ANTONELLI. »

CAPUT V.

OBLIGATIO PAROCHI QUOAD SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

1. Tenetur parochus sanctam Eucharistiam ministrare quoties ipsius subditi rationabiliter eam petunt. Ita doctores unanimiter. (Vide Barbosam, *de Parocho*, cum *Adittam*. Giraldi, c. 20, n. 15.)

2. « Non tenetur ipsam ministrare, imo non potest, si pe- « tatur in nocte Nativitatis Domini, non obstante quocumque « privilegio; ex decreto Sacræ Congregationis Rituum, sub « die 7 decembris 1641, 9 augusti 1653, et 20 aprilis 1664 in « Pisauriensi: quorum decretorum observantia etiam deman- « data fuit Romæ a Sacra Congregatione Visitationis Apos- « tolicæ, 7 decembris 1703, Semper enim administrari debet « diurno tempore, ab aurora videlicet usque ad meridiem. » (Giraldi, loco citato.)

3. In Gallia autem viget generalis consuetudo, ut in nocte Natalis Domini fidelibus sacra communio præbeatur. Cujus quidem consuetudinis legitimitas an concludenter defendi possit post tot Sacræ Congregationis Rituum declarationes, quibus expresse etiam contrarius ille usus rejicitur, nuper a nonnullis disputatum est.

Quæstionem ipsam hic omittentes, pauca dumtaxat adnotabimus: *primo* nempe, non videri præfatam consuetudinem, prout hodie in Gallia viget, ullos pravos effectus secum trahere; sed e contra fidelium pietati non parum prodesse; ita ut etiam ejus supressio, non tantum mirationem, sed et scandalum apud multos excitaret. *Secundo*, præfatam prohibitionem procul dubio ad mutabilem ecclesiæ disciplinam per-

tinere; siquidem eucharistiam in nocte Nativitatis sumere nequaquam est quid pravum per se et intrinsece, sed dumtaxat propter abusus, qui passim invaluerant; quibus ut efficaciter occurreretur merito Sacra Rituum Congregatio prohibitionem illam decrevit. *Tertio*, cum dicti abusus a Galliarum ecclesiis hodie exulent, mirari nemo debet optari a multis, ut præfata consuetudo retineatur. *Quarto*, poterit autem legitime retineri, saltem interveniente pontificio indulto. Cum enim agatur (ex modo dictis) de re ad mutabilem Ecclesiæ disciplinam pertinente, potest Summus Pontifex a lege contraria diœceses Galliæ eximere. *Quinto*, an autem absque Pontificio indulto legitime retineri queat, ita ut consuetudo illa contra legem prohibentem legitime præscripisse censenda sit, est illa ipsa quæstio, a qua expendenda abstinere in præsentiarum maluimus. Cæterum, ab ea quæstione abstrahendo, mihi expedire videretur, prout Romæ a nonnullis hac de re sententiam rogatus respondi, ut Galliæ Episcopis facultatem retinendæ hujus consuetudinis Sedes Apostolica faceret. Qua ratione, et pietati fidelium, huic praxi in Gallia valde addictorum, consuleretur; et simul subtraheretur occasio dubitandi, num forte indebite contra certissimas Sacræ Congregationis Rituum præscriptiones ea praxis usurpetur. Quidquid enim deducere valeant, qui legitime præscriptam consuetudinem illam contendunt, quandiu aliqua decisio id ipsum firmans non intervenerit, non impedient quin res disputationi obnoxia remaneat.

4. Decreto Sacræ Congregationis Concilii 12 februarii 1679, approbato ab Innocentio XI, cavetur ne communionem recipientibus tradantur plures particulæ consecratæ neque grandiores, sed consuetæ. (Vide Giraldi, *Additamenta ad Barbosam, de Parocho*, cap. 20, n. 15.)

5. In die parasceves distribuenda non est Eucharistia nisi infirmis, ut censuit Sacra Rituum Congregatio sub die 10 februarii 1622. (Giraldi, ibid.)

6. Nequit parochus, communionem denegare pueris, qui ad annos discretionis pervenerunt; cum et hi paschalis communionis præcepto obstringantur, sic definiente concilio Tridentino (sess. 13, canone 9) : *Si quis negaverit omnes et sin-*

gulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit. Quinam autem sint discretionis anni, nequit certa quoad omnes regula determinari; cum alii tardius, citius alii pueri ad intellectualem illam evolutionem perveniant. Nimis laxam opinionem reputat Giraldus (*Addimenta ad Barbosam, de Officio parochi*, c. 20, n. 18), qua prima communio ad decimum quartum annum pro masculis, ad duodecimum pro puellis, generali veluti lege protraheretur; cum longe ante illam ætatem multis pueris et puellis non desit sufficiens intelligentia ad recte æstimandum, tum ipsummet sacramentum, tum requisitas in eo recipiendo animi dispositiones. Communiter evolvi hunc necessarium rationis usum intra decimum et decimum quartum annum, notat Suaresius, et est generaliter recepta opinio. In determinando autem, intra hoc spatium, incipientis obligationis tempore, non una est doctorum sententia.

7° « Verum, etsi doctores ita inter se dissentiant, fere ta-
« men communiter fatentur, tantam non desiderari ætatem,
« ut quis in mortis articulo et possit et debeat sanctissimo via-
« tico muniri; quinimo landatus Suarez expresse docet, omni-
« bus qui sunt doli capaces, positis in vitæ discrimine, illud
« esse ex divino præcepto porrigendum: citatam quippe
« sectionem (tomo 3, in tertiam partem, quæst. 80, disput.
« 70, sect. 1) in hunc modum absolvit: *At vero de communione*
« *facienda in articulo mortis non est eadem ratio... Unde*
« *existimo in illo articulo dandam esse communionem cui-*
« *cumque homini habenti usum rationis ad peccandum, et*
« *capacem confessionis et extremæ-unctionis. Quod Navar-*
« *rus quidem fatetur esse omnibus consulendum: ego vero*
« *existimo esse obligationem, tam ex parte petentium quam*
« *dispensantium.* »(Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, I. 7, c. 12, n. 3.)

8° Perpetuo amentibus communio dari nequit. Semi-fatuis autem dari potest intra intervalla lucida. De quo vide Barbosam (*de Officio parochi*, c, 20, n. 19).

9° Peccatoribus publicis communio danda non est, si eam

publice petant. Si constet parocho de eorum resipiscentia, eos occulte communicare potest ; non autem publice, quandiu scandalum inde oriri posset. (Vide Barbosam, loco citato n. 20.)

10° Occulto peccatori publice petenti deneganda non est communio : denegari autem debet si occulte petat. Vide Benedictum XIV, constitutione *Ex omnibus*, 15 septembris 1756 ; et *Rituale Romanum, de Sacramento Eucharistiæ*, § *Occultos*.

11° Tenetur parochus, etiam cum vitæ suæ discrimine, per seipsum (si nullus alius adsit sacerdos, qui id præstet) sanctam Eucharistiam peste laborantibus ministrare. Equidem contrariam opinionem tenuerunt doctores multi, ex ea ratione quod sacramentum hoc non sit ad salutem necessarium, prout sunt e contra baptismus et pœnitentia. Nihilominus deserendos eos esse, satis evincunt auctoritates a Benedicto XIV adductæ (libro 13, c. 19, *de Syn. diœc.*). « Percurratur, inquit laudatus Pontifex, Mediolanensis quinta « synodus provincialis... ; poteritque quisque facile de« prehendere, sanctum Carolum haud redactum voluisse « onus parochorum, reliquorumque curam animarum ha« bentium, ad baptismi et pœnitentiæ ministrationem ; sed « etiam ad reliqua duo sacramenta ministranda protendisse. « Verum id fortasse satis non esset ad evincendum, quod ea « quæ in quinta Mediolanensi provinciali synodo de duobus « Eucharistiæ et extremæ-unctionis sacramentis statuta fue« runt, vim legis auctoritatemque ubique terrarum obtinere « debeant.. Investigandum est ergo an, seposita quinta pro« vinciali synodo Mediolanensi, possit aliunde probari, de« bere parochos, etiam cum propriæ vitæ discrimine, suis « parochianis peste infectis viaticum extremamque unc« tionem ministrare. » Atque ibi adducit Benedictus XIV doctrinam Suaresii, qui existimat teneri parochum ad viatici administrationem, excepto casu quo simul urgeret necessitas aliis pœnitentiam ministrandi ; quia tunc parochus, non valens utrumque peragere, potius absque viatico relinquere debet illum, cui impertita fuit absolutio. Item adducit Sylvium, qui teneri parochum docet ad extremæ-unctionis ad-

ministrationem, etiam cum propriæ vitæ discrimine, quando infirmus duo alia sacramenta recipere non potuit. Et tandem subjungit ejusmodi auctoritates sat solidum fundamentum visas fuisse, « ut postulato per vicarium apostolicum Ju-
« liæ Cæsareæ proposito rescriberetur sacerdotes animarum
« curæ præpositos obligatione teneri, per se, vel per alios
« idoneos sacerdotes, Christi fidelibus peste correptis, non
« obstante contrahendæ pestis periculo, non solum duo illa
« baptismi et pœnitentiæ sacramenta ministrare, juxta ve-
« teres superius recensitas definitiones, sed et duo reliqua,
« sacri viatici et extremæ-unctionis ; nec omissum est ipsam
« quoque afferre quintæ synodi provincialis Mediolanensis
« auctoritatem, non quidem per modum legis *vim coactivam*
« obtinentis, sed veluti regulam *vi directiva* pollentem, ut
« aiunt jurisperiti. »

12° « Nedum tenetur parochus Eucharistiam per modum
« viatici infirmis ministrare, sed etiam aliis diuturna infir-
« mitate laborantibus, licet non morti proximis, jejunis
« tamen, in solemnioribus anni festis diebus : iis potissimum
« qui sani eam frequenter sumere consueverunt, et tanto
« refici sacramento optant et petunt. » Giraldi, *Additamenta ab Barbosam, de Officio parochi*, cap. 20, n. 27.)

12° Viaticum ægrotis pluries deferre, durante eodem morbo, potest parochus ; imo et tenetur, si id ægroti petant ; modo tamen inter singulas sacramenti sumptiones conveniens tempus interfluat. Quantum autem interponi temporis necesse sit, disputant doctores : aliis nempe 30 dies assignantibns ; aliis tres ; aliis etiam insequenti die porrigi denuo posse viaticum asserentibus. De qno vide Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 7, c. 12, n. 4 et 5).

14° « Tenetur tam parochus, quam alii ecclesiarum rec-
« tores tabernaculi clavem, in quo sacratissima Eucharistia
« asservatur, semper penes se custodire. Quod si ob ejusdem
« clavis, ipsiusque tabernaculi male servatam custodiam fur-
« tum aliquod vel sacrilegium circa Eucharistia n, pixidem,
« ostensorium et similia unquam evenerit, suspendendi erunt
« ab Ordinario tribus mensibus ab officio, juxta decretalem
« Innocentii III, editam in concilio generali Lateranensi, re-

« latam in capite 1 *Statuimus, de Custodia Euch.*; aliisque « pœnis plectendi ad formam epistolæ circularis Congre- « gationis Episcoporum et Regularium, sub die 8 januarii « 1724, approbatæ ab Innocentio XIII. Quibus pœnis etiam « plecti possunt ab eodem Ordinario regulares, licet exempti, « cumulative cum eorum superioribus. » (Giraldi, *Additamenta ad Barbosam, de Officio parochi*, cap. 20, n. 27).

15° Tenetur curare parochus ut Eucharistia debitis temporibus renovetur, quæ renovatio facienda est (ait Giraldi, « citato loco), a græcis quidem singulis octo vel quinde- « cim diebus, ex constitutione Innocentii IV, *Sub catholicæ* « 6 martii 1254, et Clementis VIII *Sanctissimus*, 31 augusti « 1595 : a latinis vero quolibet octiduo, vel die dominico, « vel feria V, ex decreto laudatæ Congregationis, in *Raven-* « *natensi*, 5 aprilis 1573 ; et ex capite 58. *Permittimus, de Sentent. excomm.* »

16° Item curare debet parochus ut lampas ante sanctissimum Eucharistiæ sacramentum diu noctuque perpetuo ardeat. (Vide Barbosam, *de Officio parochi*, cum *Addit*, Giraldi, c. 20, n. 29.)

CAPUT VI.

OBLIGATIO MISSAM OFFERENDI PRO POPULO.

Propositio I^a^. — *Tenentur parochi, etiam amovibiles, et sive sæculares sint, sive regulares, vicariique curati, ad offerendum pro populo sacrificium diebus dominicis, et festis de præcepto, non obstante quavis contraria consuetudine, et etiamsi congruis reditibus destituantur.* — Jus de hac re in bulla *Cum semper* (numero 103 in suo bullario), ad Episcopos Italiæ directa, declaravit Benedictus XIV in hunc modum : « Sacrosanctum missæ sacrificium a pastoribus animarum « applicari debere pro populo, ipsorum curæ commisso, id « veluti ex divino præcepto descendens, a sacra Tridentina « synodo diserte exprimitur (sess. 23, c. 1 *de Ref.* per hæc « notabilia verba : *Cum præcepto divino mandatum sit omni-* « *bus, quibus animarum cura commissa est, oves suas di-* « *gnoscere, pro his sacrificium offerre...*

« Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas « interpretationes hujusmodi obligationem, a sancta synodo « memoratam, de medio tollere vel saltem extenuare con- « tenderint, cum tamen relata concilii verba satis clara et « perspicua sint ; cumque prædicta Congregatio, ejusdem « Concilii interpretationi privative præposita, constanter « edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non « modo sacrificium missæ celebrare, sed illius etiam fructum « pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro « aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemo- « synam percipere posse ; quodque magis interest, cum hæc « intelligentia a prædecessoribus nostris Romanis Pon- « tificibus approbata fuerit et confirmata ; nihil jam amplius « ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, « eidemque obsequi necnon illius promptam executionem « in vestris respective diœcesibus omni studio procurare « debeatis. » (Citata bulla, § 2.)

Declarat postea laudatus Pontifex, huic obligationi fieri satis, si ii, qui animarum curam exercent, missam celebrent atque applicent pro populo *in dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto* (Ibid., § 6.)

Declarat insuper sub dicta obligatione comprehendi sequentes : *Primo*, vicarios curatos, qui nempe curæ exercitium habent, remanente penes alium *habituali* cura ; *secundo*, vicarios illos seu œconomos, qui, vacante parochia, ad curam in ea exercendam deputantur ; *tertio* curatos ad nutum amovibiles ; *quarto*, regulares, qui parochi vel vicarii titulo curam exercent. (Ibid., § 4) In particulari quoad curatos amovibiles vide id decisum a Sacra Congregatione Concilii, in *Ostiensi* 29 januarii 1724 (in *Thesauro*, tomo 3, pag. 12).

Quod autem urgeat præfata obligatio etiamsi parochi congruis reditibus destituantur, declaravit Innocentius XII, bulla *Nuper*, 24 aprilis 1699. (vide Merati, parte 3, tit. 12, ad n. 5 Gavanti.)

Ad contrariam consuetudinem quod attinet, sic habet Benedictus XIV in citata bulla *Cum semper* (n. 103 ipsius bullarii, § 16) : « Nonnulli siquidem obtentu contrariæ « consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ec-

« clesia vigentis, se hujusmodi onere eximi posse sibi per-
« suaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi
« consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abusus
« et corruptela dicenda est, nemini suffragari. » Notetur autem hanc Benedicti XIV bullam, etsi ad Italiæ dumtaxat Episcopos directam, in quantum tamen jus commune declarat, universalem vim habere ad jus illud probandum. Hinc absque locorum distinctione solet Sacra Congregatio Concilii ad eam constitutionem remittere, et ea niti, pro declaranda recta juris communis intelligentia, quoad materiam de qua agimus.

Possemus insuper singulas conclusionis nostræ partes plurimis Sacræ Congregationis Concilii declarationibus firmare. Quas si a nobis (brevitatis ergo) prætermissas desideres, vide Zamboni in verbo *Parochus* (parte 1, § 5, et parte 3, § 3).

Propositio II[a]. — *Remansit prædicta curatorum obligatio quoad festa, per indultum 9 aprilis 1802 in toto gallicanæ reipublicæ territorio suppressa.*— Constat ex plurimis Sacræ Congregationis Concilii declarationibus, quas indicatas vide in eximio opere *Nouveau traité des saints Mystères*, auctore Richaudeau presbytero (pagina 361, edit. Parisiis 1853). Unam dumtaxat e recentioribus referemus. A domino Verhoeven, in universitate Lovaniensi juris sacri professore, Sacræ Congregationi Concilii proposito dubio : 1° *An parochi debeant sanctissimum missæ sacrificium pro populo offerre diebus dominicis, et iis etiam festis diebus, qui per indultum Apostolicum die 9 aprilis 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo diœcesano non fiat*; die 25 septembris 1847, Sacra Congregatio Eminentissimorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, concilii Tridentini interpretum, censuit rescribendum : *Ad primum affirmative* (1).

(1) Hanc Sacræ Congregationis decisionem editam reperies, tum in citato opere domini Richaudeau, pagina 438, tum in opusculo cui titulus *de Praxi a parochis observanda, auctore Verhoeven* (pag. 4, edit. Hasseleti 1849). Non reperitur in *thesauro resolutionum*, quia prodiit per

Propositio III[a]. — *Consuetudo contraria præfatæ obligationi offerendi pro populo, etiam dictis festis suppressis, nunquam legitima censenda est.* — Constat, tum ex aliis pluribus, tum expresse ex supra citata Sacræ Congregationis Concilii declaratione, in causa *Mechliniensi* diei 25 septembris 1847. Proposito enim a domino Verhoeven dubio : 2° *An consuetudo unquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicant pro populo sanctissimum missæ sacrificium, aut dominicis aut saltem prædictis festis diebus suppressis.* : Sacra Congregatio respondit : *Ad secundum, negative.*

Propositio IV[a]. — *Quænam sint festa illa, dicto indulto 9 aprilis 1802 quoad gallicanæ reipublicæ territorium suppressa, determinandum est ex catalogo festorum Urbani VIII, addita Conceptionis festivitate ; non autem ex catalogo festorum Clementis XIV.*— Equidem Cardinalis Caprara, dicto decreto 9 aprilis 1802, conservatis dumtaxat quatuor festis (Natalis Domini, Ascensionis, Assumptionis, et sanctorum omnium), cætera in posterum non fore de præcepto pronuntiavit. Quænam autem sint illa cætera, non dixit. Ea tamen certo dignoscere parochorum interest plurimi, cum iis etiam diebus missam pro populo offerre teneantur. Porro in contexendo horum festorum elencho occurrit gravissima quæstio : 1° an ratio habenda sit statutorum, quibus jam nonnulli Galliæ Episcopi plura festa in suis diœcesibus propria auctoritate suppresserant ; 2° an standum sit festorum catalogo, quem Urbanus VIII, in sua constitutione *Universa per orbem*, idibus septembris 1642, exaravit (1) ; 3° an potius cuidam alteri diverso catalogo, a Clemente XIV descripto. Quæ difficultas solvenda visa est ut sequitur :

I. De suppressis olim in Gallia festis per nonnullorum Episcoporum ordinationes, non est habenda ratio. 1° Quia ut in tractatu de jure liturgico probavimus, ejusmodi potestatem festa supprimendi non habent Episcopi ; ut proinde in-

summaria precum ; et quæ cum hac forma fiunt resolutiones, non ponuntur in *thesauro*.

(1) Bullarium Romanum, editio Coquelines, tomo sexto, pag. 341.

valida fuisse suppressio hæc censenda sit. 2° Quia exstinctis per bullas concordati anni 1801 diœcesibus omnibus, dicta festorum suppressio in antiquis diœcesibus facta, etsi valida fuisset, nequaquam tamen quoad noviter erectas vim habere censenda foret.

II. Ad recte dignoscenda dicta festa suppressa, pro norma non assumenda est festorum enumeratio, quam in sua constitutione diei 26 augusti 1770 describit Clemens XIV. Cum enim constitutio hæc data sit *pro civitate et diœcesi Misnensi* dumtaxat, in quantum festa de præcepto aliter enumerat, quam de jure communi antea vigebant, censenda est jus particulare hujus diœceseos determinasse, non autem legem universalem immutasse.

III. Pro norma sumenda est Urbani VIII constitutio *Universa per orbem*. Cum enim constitutio hæc vim legis communis habuerit, nec ante annum 1802 per ullam aliam universalem legem fuerit immutata, concludendum, dicto anno 1802 festa de præcepto (attento jure communi) illa ipsa fuisse, quæ in hac constitutione enumerantur; nisi quod his a Clemente XI addita fuerat Conceptionis festivitas. Festa autem de præcepto, prout in præfata Urbani VIII constitutione determinantur, præter dominicos dies, sunt sequentia: Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, cum duobus diebus subsequentibus, Ascensionis, Pentecostes, cum duobus diebus sequentibus; Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis sanctæ Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis Beatæ Virginis, dedicationis sancti Michaelis, Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Petri et Pauli, sancti Andreæ, sancti Jacobi, sancti Joannis, sancti Thomæ, sanctorum Philippi et Jacobi, sancti Bartholomæi, sancti Matthæi, sanctorum Simonis et Judæ, sancti Mathiæ, sancti Stephani, sanctorum Innocentium, sancti Laurentii, sancti Silvestri, sancti Joseph, sanctæ Annæ, omnium sanctorum, festum unius e præcipuis patronis cujusque civitatis, aut loci.

Ex hoc ergo catalogo facile possunt sibi adnotare parochi festa illa suppressa, in quibus missam pro populo offerre tenentur. Addendum solummodo, ut dictum est, Conceptionis festum, a Clemente XI erectum.

Quoad festa patronorum, de quibus in constitutione Urbani VIII, notetur agi de patronis totius regni, vel totius diœcesis aut civitatis, non de *titularibus* ecclesiæ. In festis siquidem titularium ecclesiæ, utpote quæ ante annum 1802 non erant de præcepto, non tenetur parochus pro populo missam offerre.

Sed neque in festis patronorum regni, aut diœcesis, aut civitatis, nisi fuerint legitime assumpti. Ad legitimam autem ejusmodi patronorum constitutionem, requiritur tum electio a populo facta, tum Sedis Apostolicæ assensus. Si tamen ab immemorabili alicubi celebratum fuerit ante annum 1802 alicujus patroni festum tanquam de præcepto, præsumitur initio rite institutum; ac proinde quoad obligationem offerendi pro populo, festis suppressis annumerandum est.

Propositio V^a^. — *Quatuor præmissæ propositiones confirmantur per Encyclicam Pii papæ IX, 3 maii 1858*, — Anterior hacce Encyclica fuit prima hujus tractatus editio. Quapropter non potuimus tam decisivo documento inniti. At nunc evanescere omnino debet, si quod forte antea superfuisset dubium quodlibet circa præmissas nostras propositiones. Nam in Encyclica Pii IX, quæ incipit *sanctissimi redemptoris* (3 maii 1858), expresse declaratur et decernitur idipsum quod docuimus de obligatione missam celebrandi pro populo; videlicet celebrari debere *suppressis etiam diebus festis*, et computandos istos dies festos suppressos *ex constitutione Urbani VIII* (*Universa per orbem*, idibus septembris 1642).

« Quamobrem (ait Pius IX) hisce litteris declaramus, sta-
« tuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes ani-
« marum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacri-
« ficium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare de-
« bere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex præ-
« cepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus
« Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto fes-
« torum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum
« ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Ur-
« bani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, ante-
« quam festivi de præcepto dies imminuerentur, et trans-

« ferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id « unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemni- « tate divinum officium translatum fuerit in Dominicum « diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis ap- « plicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini offi- « cii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari « debet.

« Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum paro- « chorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam « consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo ap- « plicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibus- « que præteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica « plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum « curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, « Indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, « ut ipsi hujusce Indulti beneficio perfrui pergant juxta « tamen conditiones in Indulto expressas, et donec paro- « chorum officium exercuerint in parœciis, quas in præsen- « tiarum regunt et administrant. » (integram Encyclicam « editam reperies in diario *L'Univers,* 12 juin 1858.)

Diligenter notanda est distinctio inter *suppressos* et *translatos* festos dies. Si agatur de festo *suppresso*, ipsomet hoc die debent parochi missam celebrare pro populo. Atvero quando solemnitatis et *officii* translatio facta est in sequentem dominicam sufficit celebrari unam missam pro populo; non autem tenetur parochus celebrare duas, id est, unam ratione festi, et alteram ratione diei dominicæ.

Propositio VI[a]. — *Excepto casu legitime impedimenti, tenetur parochus missam pro populo per seipsum offerre; nec potest alium sacerdotem, qui id præstet; sibi substituere.* — Pro certa omnino habenda est conclusio hæc, utpote multoties a Sacra Congregatione Concilii firmata. E quibus declarationibus nonnullas dumtaxat hic subjiciemus.

In *Fesulana,* 26 januarii 1771, ad dubia : 1° *An parochi in dominicis aliisque festis diebus, præsente cadavere, possint celebrare missam pro defuncto, et ad alium diem transferre missam pro populo applicandam? Et quatenus negative.* — *An saltem applicationi missæ pro populo supplere possint per alium sacer-*

dotem? Sacra Congregatio respondit: *Ad primum negative, ad secundum negative,*

In causa *Castri Albi,visitationis liminum*, 18 julii 1789, ad dubium : *An parochi dictarum ecclesiarum* (nempe cathedralis et Sanctæ Mariæ), *aliarumque collegiatarum diœcesis Castri Albi, teneantur per seipsos applicare diebus festis missam pro populo, seu potius possint per beneficiatos, vel alios sacerdotes, prædicto oneri satisfacere*? — Sacra Congregatio respondit : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

In supplici libello, die 14 januarii 1848 dato, a Sacra Congregatione de propaganda fide postulabat inter alia illustrissimus Sylvæducensis Vicarius Apostolicus, Henricus den Dubbelden, Emausensis Episcopus, solvi sequentem difficultatem :

« In prisco vicariatu Buscoducensi præscriptum Ecclesiæ, « de celebranda missa pro parochia diebus dominicis et festis « omnibus, laudabiliter semper observatum fuit eatenus, « quatenus vel parochus ipse, vel pro pastore sacellanus (ali- « quando etiam per alium sacerdotem in parochia morantem), « cui honorarium parochus suppeditabat, eam celebraverit... « Quam sententiam bona fide sectabamur, donec materia « ista publica thesi clarius discussa anno elapso in universi- « tate catholica Lovaniensi fuit, in qua thesi obligatio isthæc « *personalis* esse declaratur... Dignetur Sanctitas Vestra « dubium istud aliquo responso tollere; et si, quod præteri- « tum spectat, obligationi suæ parochi non satisfecerint « omissioni ex thesauro Ecclesiæ pro sua benignitate pro- « videre... Gratissimum tamen, si *per se* parochi *vel per sa-* « *cellanum* obligationem istam de indulto Ecclesiæ adim- « plere possint... »

Hujus difficultatis resolutionem Sacra Congregatio de propaganda fide remisit ad Sacram Congregationem Concilii, ex qua prodiit declaratio in hunc modum : « Sylvæ-Ducis. — « R. P. a secretis Sacræ Congregationis de propaganda fide « sacri hujus ordinis definitioni subjecit, de mandato Sanc- « tissimi, facultatem Vicario Apostolico Sylvæ-Ducis (Bois- « le-Duc) indulgendi aliquoties parochis vicariatus; ut per

« sacellanos suos implere possint onus applicationis missæ « pro populo. — Die 11 martii 1843 Sacra Congregatio Emi- « nentissimorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini « interpretum censuit rescribendum : — Pro facultate indul- « gendi parochis vicariatus, ut per sacellanos missam pro « populo applicare possint, *in casibus veræ necessitatis, et « dummodo ex canonica causa fiat*; facto verbo cum sanctis- « simo. — Facta de præmissis per subsecretarium Sacræ « Congregationis die 13 ejusdem mensis et anni relatione « Domino nostro, eadem Sanctitas Sua resolutionem Sacræ « Congregationis in omnibus benigne probavit et confirma- « vit. » (Relatum habes hoc documentum in opusculo cui titulus *de Praxi a parochis observanda,* auctore Verhoeven, pag. 18, edit. Hasseleti, 1849.)

In *Mechliniensi*, 25 septembris 1847, ad dubium : 3° *An parochi ipsi sanctissimæ missæ sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediantur; an vero per alium, exempli gratia sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint* ? — Sacra Congregatio Concilii respondit: *Ad tertium, affirmative ad primam partem; negative ad secundam, excepto casu veræ necessitatis, et concurrente causa canonica.* (In citato libro *de Praxi a parochis observanda*, pag. 4).

Equidem die 27 februarii 1847, a Sacra Congregatione Rituum emanavit declaratio, quæ præmissis aliquatenus contraria videri posset. Ad dubium nempe a Ruremondensis (in Hollandia) seminarii superiore sic propositum : 4° *Parochus hic et nunc aliquem substituit, qui die dominica cantat summum sacrum (quod hic posse censetur per consuetudinem) : an parochus privatim celebrans possit applicare pro suis, teneturve curare ut pro populo applicetur summum sacrum*?— Sacra Congregatio... rescribendum censuit: *Ad 4 posse vel per se, vel per alium, quin requiratur missa solemnis. Atque ita rescribere rata est. Die* 27 *februarii* 1837. (In collectione Gardelliana, n. 4926).

Sed hujus suæ declarationis sensum patefecit ipsamet eadem Sacra Congregatio; et quidem eo sensu, qui conclusioni nostræ omnino consonet. En hujus posterioris declarationis

verba: « Dum superiori anno 1847, tertio calendas martii, Sa-
« crorum Rituum Congregatio, in una Ruremondensis vica-
« riatus in Hollandia, ad dubium IV declaravit, parochum
« posse *per se vel per alium* in dominicis applicare pro populo
« sanctissimæ missæ sacrificium, etiam privatim celebrando,
« quin teneatur applicare missam solemnem, cujus celebra-
« tionem alii sibi beneviso sacerdoti interdum committit : su-
« per hac ipsa declaratione in præsentiarum novum proponi-
« tur dubium, quod fundatur in declarationibus et decretis a
« Sacris Congregationibus Urbis latis, et a quibus omnino
« exigitur, ut parochus in dominicis festisque pro populo ap-
« plicet. Iterum ergo Sacra Congregatio de sententia re-
« quisita..., rescribendum censuit : *Responsionem datam*
« *27 februarii 1847, intelligendam esse quoad missam*
« *solemnem, de qua quærebatur. Nam proprius ad casum,*
« *non obstantibus alias decretis, et in facto declara-*
« *tis, rescribere rata est, posse quemlibet parochum, acce-*
« *dente justa et legitima causa, adimplementum missæ pro*
« *populo applicandæ alii sacerdoti committere, seu per alium*
« *sacerdotem hanc ipsam missam celebrari facere.* Die 22
« julii 1848. » (In collectione Gardelliana, sub n. 4968.) Unde remanet non posse parochum huic oneri per alium sacerdotem satisfacere, nisi *ex causa legitima*.

Pro causa autem legitima habendam esse 1° quamlibet absentiam legitimam, 2° infirmitatem, 3° obligationem celebrandi missam conventualem, quando parochus est simul canonicus, omnino admittendum est. De nonnullis aliis causis, an sint sufficientes, vide discussum in citato opusculo *de Praxi a parochis servanda*, pagina 26. Generatim pro regula tradi potest, sufficere causam, quæ prudentis iviri judicio vere *gravis* æstimetur.

Propositio VII[a]. — *Contra prædictam parochorum per seipsos offerendi obligationem, nulla valet consuetudo.* — Obligatio enim parochorum offerendi pro populo contrariam non admittit consuetudinem ; expresse siquidem tradit Benedictus XIV in sua bulla *Cum semper,* teneri ad id parochos *consuetudine etiam antiqua seu immemoriali non obstante;* sed obligatio illa parochorum est *personalis* seu est obligatio

offerendi *per seipsos*, ut pluries supra declaratum vidimus: ergo obligatio *per seipsos* offerendi contrariam consuetudinem non admittit.

Præterea conclusionem expresse etiam firmavit Sacra Congregatio Concilii. Nam ad dubium: 4° *Quid censeri debeat de consuetudine, vi cujus parochus diebus dominicis et festis missam privatam pro pio aliquo benefactore applicat, et nullo legitimo impedimento detentus, onus celebrandi missam pro populo in alium sacerdotem transfert*? Sacra Congregatio, die 25 septembris 1847 respondit *Ad quartum, consuetudinem de qua agitur non esse attendendam* (*de Praxi a parochis observanda*, pagina 4, edit. Hasseleti, 1849). Consonat ejusdem Sacræ Congregationis praxis; qua nempe, in casibus etiam existentis contrariæ hujus consuetudinis, teneri parochum per seipsum offerre non semel declaravit.

Propositio VIII[a] — *Missam pro populo celebrare debet parochus in parochiali ecclesia.* — « Tenetur parochus, ait Bar- « bosa, in dominicis et aliis festivis diebus, suis subditis « missam celebrare; et sic in propria ecclesia, et non in alia » (*de Officio parochi*, cum *Additamentis* Giraldi, parte 1, cap. 11, n. 3); atque id firmat laudatus auctor nonnullis Sacræ Congregationis Concilii declarationibus. Consonat Ferraris : « Parochus, inquit, diebus festis missam celebrare debet in « propria ecclesia, et non in alia, quacumque consuetudine « in contrarium non obstante : Sacra Congregatio Concilii in « Lucana 15 septembris et 17 novembris 1629 » (verbo *Parochus*, art. 3, n. 1).

Invicte autem sequitur nostra conclusio ex sequenti Sacræ Congregationis declaratione, in *Fanensi*, 11 maii 1720 : Ad dubium scilicet : 5° *An occurrente, quod archipresbyter parochus celebret missam conventualem, vel alias legitime absit, seu sit impeditus, tam in diebus festivis quam ferialibus quadragesimæ, teneatur celebrare facere per alium missam parochialem pro populo, ut supra* ? Sacra Congregatio respondit : *Affirmative, sed cum applicatione diebus festivis tantum* (in *Thesauro resolutionum*, tom. 1, pag. 321). Ex his verbis, *vel alias legitime absit*, sequitur parochum legitime absentem non posse oneri satisfacere, missam pro populo celebrando

in loco ubi extra parochiam moratur; cum declaretur, eum in hoc casu debere *celebrare facere per alium missam parochialem, cum applicatione pro populo in diebus festivis* : quod profecto idem est ac declarare, non posse parochum oneri celebrandi pro populo satisfacere, nisi in propria parœchia.

Propositio IX[a]. — *Obligationi missam celebrandi pro populo satisfacere potest parochus per missam privatam; non autem tenetur missam solemnem, aut aliqua certa hora fixam celebrare.* —Vidimus supra a Sacra Congregatione Rituum expresse declaratum, non requiri *missam solemnem* (in collectione Gardelliana, n. 4968.) Aliunde nec Tridentinus textus, nec alia Sedis Apostolicæ, et Sacrarum Congregationum decreta, dum parochorum pro populo litandi obligationem exprimunt, quidquam addunt de necessitate celebrandi, vel cum certa aliqua solemnitate, vel aliqua certa hora. Ergo concludendum est teneri quidem parochum diebus festis offerre pro populo, et quidem per seipsum, et in parochiali ecclesia; nequaquam vero de jure communi teneri eum ad eam solemniorem missam, quæ summum sacrum dici solet, celebrandam et applicandam pro populo.

Dicimus autem *de jure communi*. Nam posse Episcopum præscribere, ut parochi per seipsos hanc dictam solemniorem missam diebus festis celebrent, dubium non est. In quo casu, si legitime impediatur parochus ne missam illam solemniorem cantet, et possit tamen aliam missam in parochiali ecclesia celebrare, debebit quidem alteri cantandam missam demandare; at non poterit, ut videtur, in illum onus transferre offerendi pro populo; cum hæc obligatio, ut supra dictum est, personalis sit, et eam per missam privatam ipse per seipsum adimplere possit.

Propositio X[a]. — *Si parochus sit simul canonicus, et ad eum spectet missam conventualem celebrare, tenetur aliquem sibi substituere qui missam applicet pro populo.* — Constat ex supra citata Sacræ Congregationis Concilii declaratione 11 maii 1720 (in *Thesauro resolutionum*, tomo 1, pag. 321). Ad dubium scilicet : *An occurrente quod archipresbyter parochus celebret missam conventualem..., teneatur celebrare facere per alium missam parochialem pro populo* ? Respon-

sum est affirmative. Idem vide declaratum in *Montis-Falisci* 29 januarii 1718 (in *Thesauro resol.*, tom. 9, pag. 145); in *Viterbiensi* 31 martii 1708 (apud Benedictum XIV, *Quæstiones eccles.*, q. 3); atque hoc ipsum laudatus Pontifex expresse declarat in sua constitutione *Cum semper*, § 17.

CAPUT VII.

OFFICIUM PAROCHI QUOAD EXTREMAM-UNCTIONEM ET ASSISTENTIAM INFIRMIS PRÆSTANDAM.

1. « Parochus ratione officii sui ex justitia obligatur hoc « sacramentum subditis ministrare; ut proinde mortaliter « peccet, si petenti sine justa excusatione neget, vel differat « cum probabili periculo ne interim infirmus decedat. » (Barbosa, *de Officio parochi*, cum *Addit.* Giraldi, c. 22, n. 10.)

2. « Neganda non est (extrema-unctio) pueris rationis « usum sufficientem habentibus ad peccandum, et sacræ pœ- « nitentiæ aut Eucharistiæ recipiendæ capacibus. » (Ibid., n. 12.) Vide etiam Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 7, cap. 21, n. 2.)

3. Item conferenda est amentibus et phreneticis, dummodo absit periculum irreverentiæ, et aliquando rationis usum habuerint. Vide catechismum romanum (parte 2, cap. 6, § 9), et Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 7, c. 21, n. 4.)

4. An parochus illud sacramentum ministrare teneatur cum propriæ vitæ periculo; ægrotis, verbi gratia, peste laborantibus? Negarunt aliqui doctores, sed sanior pars, cui adhæret Benedictus XIV, putant eum omnino teneri. (Vide *Additamenta* Giraldi *ad Barbosam*, *de Officio parochi* c. 22, n. 17. Vide item quæ diximus supra, capite 5, n. 11; et Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 23, c. 19, n. 8 et seq.)

5. Senibus, qui senectute conficiuntur absque alia infirmitate, tenetur parochus hoc sacramentum ministrare. (Ibid., n. 13 et 18.)

6. « Quod non sit licitum uti oleo benedicto præcedentis

« anni, postquam novum fuerit consecratum, declaravit Con-
« gregatio Rituum (in *Septempedanensi*, 7 decembris 1601);
« licitum tamen esse in urgenti necessitate declaravit Con-
« gregatio Episc., 20 maii 1590. » (Giraldi, *Additamenta ad Barbosam, de Officio parochi*, c. 22, n. 25.)

7. Si intra annum contigerit consecratum oleum non sufficere, potest ipsi addi oleum non consecratum ; modo quod additur sit minoris quantitatis consecrato. Imo licet id pluries fiat, ita ut tandem non consecratum superet consecrati quantitatem, non periclitatur sacramenti validitas. Ita declaratum a Sacra Congregatione Sancti Officii, vide apud Giraldi (*Additamenta ad Barbosam. de Officio parochi*, c. 22, n. 26).

8. Quod posset extrema-unctio ante viaticum ægroto ministrari, in iis diœcesibus in quibus hæc consuetudo vigeret, vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœces.*, lib. 7, c. 23, n. 1 et 2). Addit autem laudatus Pontifex : « Nihilominus
« in locis in quibus hic mos obsolevit, vigetque disciplina a
« concilii Tridentini catechismo præscripta, non facile permitteremus ab hac recedi. »

9. Quoad iterationem hujus sacramenti, est recepta generaliter sententia posse illud denuo administrari ægroto, qui post primam receptionem morbi gravitatem evasit, postea vero, antequam plene convaluerit, iterum in discrimen vitæ relabitur. Quam doctrinam vide auctoritatibus firmatam apud Benedictum XIV, (loco citato n. 3 et 4).

10. Tenetur parochus singulis annis sanctum oleum noviter consecratum ab Episcopo suo recipere, nec potest alterius diœcesis Episcopum adire, ut illud sibi comparet (Benedictus XIV, institutione 81, n. 2).

11. Tempus intra quod illud accipere tenetur statui solet a feria V in cœna Domini, usque ad sabbatum in albis. Commendandi autem valde illi parochi, qui (cum id possint) cito novum oleum sibi comparant, ita ut sabbato sancto, in fontis baptismalis benedictione, recenti chrismate utantur. Imo et ad id tenebuntur, si ita quoad viciniores decreverit Episcopus, synodusve provincialis.

12. Post sabbatum in albis, comburi debet vetus, nec ultra

li cet eo uti. Deberet tamen cum veteri extrema-unctio ministrari, si deesset novum; etiamsi defectus novi culpabilis fuisset.

13. Debet parochus per seipsum, vel per clericum in sacris, si ita lex diœcesana ferat, illud sibi comparare. (De his vide citatam Benedicti XIV institutionem.)

14. Quod attinet ad spiritualem assistentiam infirmis et moribundis a parocho præstandam, adnotat Leurenius in hunc modum: « 1° Teneri ilium, ubi necesse est, ad visitandos in-« firmos accedere, eosque opportunis remediis juvare; haben-« do in promptu argumenta, ad animum consolandum, ex-« citandumque ad res divinas et æternas congrua 2° Magnum « et necessarium esse ministerium, majoremque ei incum-« bere obligationem assistendi ægro incipienti agonizare et « ferendi opem opportunam in eo periculoso momento. Non « tamen teneri parochum sub mortali assistere infirmo qui « sacramenta recepit, censet Barbosa... Quod si tamen in-« firmus fuerit impœnitens, tenetur ei assistere usque ad re-« ductionem » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 428).

Praxis est Romæ, et in cæteris status Pontificii diœcesibus, ut infirmus in extremis constitutus *nullo diei noctisve tempore*, parochi (vel ipso impedito, alterius ad id deputati presbyteri) auxilio et præsentia destituatur. Quod et tanta religione servatur, ut instar scandali foret, eo momento infirmum obire, quo non adesset parochus ejusve substitutus. A qua praxi in nonnullis Galliæ regionibus ita recedere solent parochi, ut vix mihi persuadeam, eos suum in hac re officium satis intellexisse. De iis loquor, qui delatis infirmo sacramentis, ipsi postea in extremis posito aut jam agonizanti, adesse non curant, in iis etiam locis et familiis, ubi facile eam assistentiam præstare possent. Quæ certe agendi ratio mihi non videtur posse a culpa excusari. Memores sint tremendi parochorum officii esse, ut insomnes etiam noctes traducant, ubi id animarum sibi commissarum salus expostulat.

CAPUT VIII.

OFFICIUM PAROCHI QUOAD MATRIMONIA

1. Tenetur contracta matrimonia accurate describere in libro ad id destinato. De quo exstat expressum Tridentini concilii præceptum, in hunc modum: *Habeat parochus librum, in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat* (sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.*). Quod Tridentinum præceptum obligare sub gravi tenent doctores communiter (vide Barbosam *de Officio et potestate parochi*, parte 1, libro 7, 8).

2. Si contracturi sint filiifamilias, antequam ad denuntiationes deveniat, debet eos monere, ut parentibus rationabiliter invitis non contrahant; quia parentum dissensus, etsi non reddat matrimonium invalidum (1), si tamen sit rationabilis, illud reddit illicitum; ita ut tunc absque gravi peccato iniri nequeat: secus si parentes irrationabiliter matrimonio adversentur. (Vide Giraldum, *Addit. ad Barbosam, de Officio parochi*, c. 21, n. 1.)

3. Ad denuntiationes faciendas non debet devenire, nisi sponsos reperierit christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; ita ut saltem orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum apostolicum et præcepta decalogi calleant. Quibus notionibus si destituantur, matrimonii celebrationem differre debet ad tempus, donec ea didicerint. Ita tenendum, et contrariam nonnullorum theologorum sententiam esse prorsus rejiciendam, vide probatum a Benedicto XIV (*de Syn. diœc.*, libro 7, cap. 29). Notandum tamen cum laudato Pontifice (ibid., n. 6) posse quem sufficienter scire præcipua fidei mysteria, quin tamen dictas formulas memoriter recitare valeat.

4. Antequam matrimonium contrahatur, debet parochus,

(1) Quod vide probatum, etiam quoad Galliam, apud Benedictum XIV *de Syn. diœc.*, lib. 7, c. 37).

tribus continuis diebus festivis, in ecclesia inter missarum solemnia, denuntiationes facere. Ita expresse decretum a concilio Tridentino (sess. 24,cap. 1, *de Ref. matrim.*) Additur tamen in citato capite : *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur.*

5. *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur : deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant.* (Concilium Trid., loc. cit..) Illa autem Tridentini concilii verba ita intelligenda sunt, ut, etiam in casu quo merito timetur ne matrimonium malitiose impediatur, non possit parochus denuntiationes omittere absque Ordinarii dispensatione; nisi forte adeo urgeret periculum ut non daretur tempus adeundi Ordinarium pro obtinenda dispensatione. (Vide Barbosam, *de Officio parochi* cum *Addit.* Giraldi, c. 21, n. 24.) Atvero extra dictos casus, parochus matrimonium celebrans, omissis denuntationibus, proculdubio graviter peccat.

6. « Quamquam non cadat subpræcepto, quod ipsum ma-
« trimonium contrahatur in ecclesia, tamen ipsa benedictio
« contrahentium a parochis facienda est in ecclesia. Cum
« enim Sacræ Congregationi Concilii propositum fuerit hoc
« dubium (in una *Bitinoriensi*) : an benedictio contrahentium
« matrimonia possit a parocho fieri extra ecclesiam, seu
« potius precise sit facienda in ecclesia ? Sacra Congregatio
« Concilii die 17 aprilis 1649, respondit, faciendam esse in
« ecclesia ». (Giraldi, *Additamenta da Barbosam, de Officio parochi*, c. 21, n. 29.)

7. Quilibet confessarius, præcipue vero parochus callere debet servandam praxim, pro obtinenda facultate a Sacra Pœnitentiaria convalidandi matrimonium nulliter contractum. Quam praxim descripsit Benedictus XIV (*Institutiones eccles.*, inst. 77), necnon Giraldi (*Additamenta ad Barbosam de Officio parochi*, c. 21, post. n. 108).

CAPUT IX.

OBLIGATIO PAROCHI DIVINUM VERBUM PRÆDICANDI, ET DOCTRINAM CHRISTIANAM PUEROS EDOCENDI.

1. Tenetur parochus diebus dominicis, et festis solemnibus, verbum salutis habere ad populum. Id expresse sancivit Tridentina synodus, sessionis 5 capite 2, his verbis : *Quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis.* Imo parochos ad prædicandum teneri de jure divino, tradit eadem synodus, sessionis 23 capite 1, in hunc modum : *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione..., pascere..* Quamvis enim ibi de Episcopis loquatur synodus, paulo post tamen et de parochis hæc eadem intelligit.

2. Dictæ obligationi tenetur parochus satisfacere per seipsum, nisi sit legitime impeditus. Id enim merito infertur ex citato capite Tridentinæ synodi, ubi non dicitur simpliciter, *per se, vel alios*; sed huic membro disjunctivæ *vel alios* apponitur restrictio, *si legitime impediti fuerint*. Quæ restrictio iterum recurrit sessionis 24 capite 4, ubi sic habetur : *In aliis autem ecclesiis prædicationis munus exerceatur per parochos sive, iis impeditis, per alios... ab Episcopo deputandos.*

3. Potest exigere Episcopus, ut tempore Adventus et Quadragesimæ in qualibet parochia, vel quotidie, vel tribus in hebdomada diebus, si ita opportunum existimaverit, fiat prædicatio per parochum, vel (eo impedito) per alium ab ipso Episcopo deputandum. Pro ejusmodi autem deputato prædicatore, solvendæ sunt expensæ ab iis qui tenentur vel solent eas solvere. Potest insuper decernere Episcopus ut ejusmodi prædicationes aliis etiam anni temporibus fiant. Quæ omnia constant hisce Tridentinæ synodi verbis : *In aliis autem ec-*

clesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab ipso Episcopo (impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur vel solent) deputandos, in civitate, aut in quacumque parte diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis: tempore autem jejuniorum Quadragesimæ et Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras scripturas divinamque legem annuntient; et alias, quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint.

4. Jus habet parochus per seipsum, si velit, prædicationis munus obire. Unde non potest Episcopus alium deputare ad prædicandum in parochia, quando ipse parochus prædicationem hanc vult per seipsum explere. De quo sic in tractatu Barbosæ *de Officio parochi* cum *Additamentis* Giraldi edito, parte 1, c. 14, n. 5 : « Ita ut nec ab Episcopis in hoc impediri possint, sicut declaravit Sacra Congregatio Concilii, in hæc verba : *Si curatores animarum per se velint munus* « *prædicationis obire, non debent impediri.* »

5. « Parocho per seipsum concionanti minime licet, præ« textu cujuscumque paupertatis, prætendere sibi præstari « eleemosynam, solitam dari prædicatoribus, alias ab uni« versitate electis, ut censuit Sacra Congregatio Concilii, in « una *Vestanensi*, 20 martii 1621. » (Opere et loco citatis, n. 7.)

6. Nequit parochus, absque obtenta licentia Ordinarii, alicui concionatori permittere ut in sua parochia concionetur, quantumvis sit ipsi notus, et etiamsi semel aut bis dumtaxat prædicaturus esset. De quo sic in modo citato opere (parte 1, c. 14, n. 8: « Cujus quidem parochi licentia, etiamsi suf« ficiens sola videretur, jure communi (1) attento, ut alius « ab eo invitatus posset in sua ecclesia prædicare (ex textu in clementina *Dudum de Sepult.*); tamen ex concilii Triden« tini verbis (sess. 24, c. 4, *de Ref.*; et sess. 5, c. 2 itidem *de* « *Ref.*) prohibentur parochi in suis ecclesiis admittere con« cionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi prædicare

(1) Jus *commune* ibi intelligitur quod vigebat ante Tridentinam synodum.

« vellet aliquis Episcopus. Et ita jam hodie nullus, etiam « a parocho invitatus, prædicare poterit sine licentia Epis- « copi... Attenta declaratione Clementis VIII, sive prædi- « cator sit parocho notus, sive semel vel bis prædicare velit, « nunquam ei licebit sine licentia Episcopi.

7. Pœnam contra parochum officio suo prædicandi non satisfacientem ita statuit Tridentina synodus : *Ubi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur ; ita ut etiam si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus, alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat,* (Sess. 5, c. 2, *de Ref.*), *Et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent.* (sess. 24, c. 4.)

« Notatu dignum est (inquit Giraldi, citato opere, parte 1, « c. 14. n. 9) quod quamvis præter censuras infligi possint « etiam aliæ arbitrio Episcoporum, si tamen agatur de pœna « pecuniaria, hujusmodi arbitrium indecens esse respondit « Sacra Congregatio Concilii, die 17 junii 1658, Episcopo « Novariensi, qui in suis synodalibus constitutionibus putavit « sibi licuisse pecunia mulctare parochos, huic decreto con- « travenientes, ut refert Benedictus XIV *de Synodo diœcesana* l. 10, c. 9, n. 8 »

8. A prædicta obligatione prædicandi sese eximere nequeunt parochi, sub eo prætextu quod nunquam id a rectoribus parochiæ peragi solitum fuerit, vel quod satis provisum sit per publicos annuales concionatores, vel quod exiguus sit suorum parochianorum numerus. Ita declaratum a Sacra Congregatione Concilii affirmat Giraldi (loco citato, n. 9).

9. Quoad formam prædicationis a parochis ex obligatione faciendæ, adnotat ibidem Giraldi : Ex responso Sacræ Con- « gregationis Concilii ad Episcopum Melitensem, non opus « est ut sit perpolita et elaborata, ad formam qua communi- « ter utuntur concionatores ; sed *satis est* (sunt verba responsi, « ut habetur libro 6 decretorum Sacræ Congregationis, pa- « gina 109 et seq.) *ut parochi, etsi formaliter non prædicent,* « *saltem dominicis et festis diebus plebes sibi commissas, pro*

« *sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis* . »

10. Est sententia communiter recepta, graviter peccare parochum, qui sive *per unum mensem continuum*, sive *per tres menses non continuos*, nec per se, nec per alios prædicat. (Vide sanctum Ligorium, l. 4, n. 269 et 270; et Scavini, tom. 1, tractatu 3, disput. 1, cap. 2, art. 2, n. 5.) Hinc sequitur, iis etiam duobus mensibus, quibus parochis licet abesse a parochia, teneri eos procurare, ut prædicationis officium non interrumpatur.

11. Quoad obligationem parochi, pueros doctrinam christianam edocendi, decrevit Tridentina synodus in hunc modum: *Iidem* (1) *etiam, saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri curabunt; et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent: non obstantibus privilegiis et consuetudinibus* (sess. 24, c. 4. *de Ref.*). Quod autem ad parochos præcipue spectet pueros rudimenta fidei edocere, sequitur ex citato Tridentino decreto (sess. 5, c. 2).

« Unde ad officium parochi pertinet parochianos suos in « prædicta doctrina christiana erudire; et sic mortaliter pec- « cabit parochus, qui nimium negligens fuerit in hujusmo- « di doctrina christiana edocenda. » (Barbosa, *de Officio parochi*, cum *Additamentis* Giraldi, parte 1, c. 15, n. 2.)

Quod autem, justa de causa, possit parochus per alios idoneos huic obligationi satisfacere, admittunt doctores, et est consuetudine receptum.

(1) Nempe Episcopi.

CAPUT X.

OBLIGATIO PAROCHI INTERVENIENDI COLLATIONIBUS CASUUM CONSCIENTIÆ.

« Sacra Congregatio (Concilii) pluries censuit, non eodem « modo atque indiscriminatim quoscumque ecclesiasticos « esse cogendos, ut collationibus pro discussione casuum ad « conscientiæ forum spectantium intersint; sed eos, qui « animarum curæ præpositi sunt, itemque omnes presby- « teros (1) qui confessiones excipiunt, compelli ad id posse; « cæteros vero esse quidem monendos et adhortandos, non « tamen cogendos. Ita (antiquioribus decretis prætermissis) « resolutum fuit in (causa) *Civitatis-Plebis, conferentiæ ca-* « *suum*, 15 martii 1692: in qua, proposito dubio: *An Epis-* « *copus possit compellere canonicos, confessarios cæterosque* « *presbyteros cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accedant* « *ad congregationem casuum conscientiæ*, — rescriptum fuit : « — Posse compellere omnes sacerdotes sæculares confes- « sarios, etiamsi sint canonici ; cæteros vero non posse com- « pellere, sed hortari; ut in libro 42 decretorum, pagina « 147. » Hæc transcripsimus ex causa *Larinensi*, 26 januarii 1732 (in *Thesauro resolutionum*, tomo 5).

Eamdem parochorum obligationem firmat Benedictus XIV (institutione 103, n. 9) sequenti Sacræ Congregationis Concilii declaratione : *Sacra Congregatio censuit, Episcopum cogere posse ad interessendum congregationi casuum conscientiæ parochos tam sæculares quam regulares, curam animarum exercentes.* (3 septembris 1650, tomo 19 regestorum, pag. 76, in causa *Forosemproniensi.*)

(1) Intellige *sæculares* dumtaxat, non autem regulares, prout ex declaratione, ibi, paucis post verbis, adducta, plene constat.

CAPUT XI.

OBLIGATIO PAROCHI QUOAD RESTAURATIONEM ECCLESIÆ ET DOMUS PAROCHIALIS

I. *Præmittuntur juris textus.*— In capite 4, tituli 48, libri 3, decretalium, sic decernitur ab Alexandro Papa III : *De his qui paræciales ecclesias habent duximus respondendum, quod ad reparationem et instaurationem ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis quæ sunt ipsius ecclesiæ, si eis supersint, conferre ;ut eorum exemplo cæteri invitentur.* Cui decretali hæc præfigitur rubrica : « Rectores ecclesiarum pos-
« sunt compelli, ut de reditibus qui supersunt teneantur con-
« ferre ad constructionem seu reparationem ecclesiæ. »

Legem illam innovavit Tridentina synodus, in hunc modum: *Parochiales vero ecclesias, etiamsi jurispatronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent (Episcopi), ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias, quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes omnes patronos et alios, qui fructus aliquos, ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochianos, omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant ; quacumque appellatione, exemptione et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores ecclesias transferantur ; cum facultate tam dictas parochiales quam alias ecclesias dirutas, in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi* (sess. 21, c. 7.)

II. *Determinatur quomodo et quando restaurandæ ecclesiæ parochialis onus parocho incumbat.* — Doctores inquit Benedictus XIV) concilio Tridentino inhærentes, hos veluti gradus « constituunt..,: 1° Si ecclesia restauranda peculiares aliquos « proventus suppeditat, tunc iidem proventus ad ecclesiam « reparandam primo conferendi sunt. 2° Si aliqua constitu-
« tio vel statutum intercedat, quo privatæ familiæ suis « sumptibus ecclesiam, cum oportuerit, reficere, vel dirutam « rursus excitare teneantur, tunc eidem statuto parendum est.

« 3° Si loco statuti, vetus ac certa consuetudo afferatur, ob « quam privati aliqui cives expensas facere cogantur, tunc « ea consuetudo vim legis habere aut retinere debet. 4° Si « neque statutum neque ulla consuetudo interveniat, tum « parochus ipse faciendis expensis subjicitur ; qui tamen haud « fructus ex patrimonio suo desumere, sed illos qui sibi ex be- « neficio supersunt, omnino debet. Sic enim sancitur apertis- « sime ex capite *de His, de Ecclesiis ædificandis*... Perspec- « tumest omnibus, in tres partes distribui proventus ecclesias- « ticos a jure pontificio : prima beneficio conservando, altera « juvandis egenis, tertia restaurandæ ecclesiæ tribuitur. *Et « quamvis* (inquit Peckius) *distributio illa antiqui juris in « omnibus non servetur, illud tamen et jure et consuetudine « receptum est, ut hoc onus in prædictis redditibus, eum se- « quatur qui eorum usum, fruitionem, perceptionem et commo- « ditatem habet*. Hic duo superaddenda videntur: nempe inter « ea quæ parocho supersunt, nequaquam admiscendas esse « expensas quæ fiunt pro alendis consanguineis, aut pro ser- « vanda generis sui conditione : ea solum numeranda sunt, « quæ ad parochum ipsum sustentandum necessaria ducun- « tur... Illud quoque monendum est, non solum parochum, « sed cæteros etiam, qui pensiones ex illa parochia susci- « piunt, ea lege teneri, ut partem suam impertiant, cum tem- « plum reparandum est... 5° Si parochus sustentationem « suam ex beneficio solum percipiat, neque sint ulli qui pen- « siones aut beneficium simplex ex sua parochia desumentes, « necessariam pro expensis pecuniam suppeditent, tunc si « eadem parochia juspatronatum adjunctum habeat, conci- « lium Tridentinum faciendas a patronis expensas decernit. » (Benedictus XIV, inst. 100, n. 9 et seq.). Addit autem laudatus Pontifex, deficientibus prædictis, restaurandæ ecclesiæ onus populo incumbere. Et tandem, si prædicti omnes necessariam pecuniam suppeditare non valeant, ecclesiam esse in usum profanum redigendam, et titulum in proximam ecclesiam transferendum.

III. *Eadem est obligatio parochi quoad domus presbyteralis reparationem*. — « Quod diximus de reparatione et restaura- « tione ecclesiarum parochialium, idem omnino dicendum est

« de domibus parochialibus, id est, habitatione parochorum, « ut declaravit Sacra Congregatio Concilii in hæc verba: *Idem « censuit congregatio de domibus pro necessaria parochi ha- « bitatione intelligendum, quod de ecclesiis parochialibus « decisum est, omni contradictione remota.* » (Barbosæ tractatus *de Officio parochi*, cum *Additamentis* Giraldi, parte 1, c.13, n. 12.)

IV. *Ad Episcopum spectat decernere, quænam opera in ecclesia vel domo parochiali fieri debeant, et pro quanam summa parochus aliive contribuere debeant.* — Id aperte supponit citatum caput 7 sessionis 21 Tridentinæ synodi, et extra controversiam est apud doctores (vide inter alios Barbosam, *de Officio parochi*, cum *Additamentis* Giraldi, parte 1, cap. 13, n. 13).

V. *A decreto Episcopi prædictas restaurationes et contributiones decernente, non datur appellatio ad effectum suspensivum, sed dumtaxat ad devolutivum.* — Etenim in citato capite 7 sessionis 21 Tridentini concilii expresse habetur, *quacumque appellatione, exemptione et contradictione remota.* Qua formula, ut notum est, tollitur suspensivus, non autem devolutivus effectus appellationis.

CAPUT XII.

OBLIGATIO ET JUS PAROCHORUM ACCEDENDI AD DIŒCESANAM SYNODUM.

I. Certum est teneri eos synodo interesse. Constat, tum ex variis aliis juris textibus, tum præcipue et manifestissime ex his Tridentini concilii verbis: *Ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse* (sess. 24, c. 2). « Quocirca, ait Bene- « dictus XIV, extra controversiam est, quotquot animarum « curam gerunt, sive sæculares, sive regulares illi sint, in- « dubia lege adigi ad interveniendum synodo. » (*De Syn. diœces.*, lib. 3, cap. 5, n. 2.) Sub dicta autem lege compre-

hendi parochos etiam ad nutum amovibiles, quum et ipsi curam animarum gerant, satis patet ex citatis Tridentini decreti verbis. Parochi *nullius*, id est, qui nulli Episcopo, sed immediate Romano Pontifici subjacent, tenentur accedere ad synodum illius Episcopi, qui (ex concilio Tridentino) potest eos visitare, id est, vicinioris : quod vide probatum a Benedicto XIV *de Syn. diœc.*, I. 3. c. 5, n. 3).

II. Certum est parochos omnes convocandos seu invitandos esse ad diœcesanam synodum ; siquidem tradunt canonistæ communiter, *ad episcopale concilium esse vocandos abbates, sacerdotes, atque omnem clerum civitatis et diœcesis.* (Fagnanus, in caput *Grave, de Præbendis*, n. 10.)

III. A fortiori jus habent parochi, ut in diœcesana synodo admittantur ; ita ut nequeat Episcopus eos excludere : *Cum obligatio accedendi et admittendi reciproca sit et correlativa : quin imo fortior et strictior est obligatio admittendi ex parte Episcopi.* (Fagnanus, loco citato, n. 13 et 14.)

CAPUT XIII.

DE COHABITATIONE PAROCHI CUM MULIERIBUS.

Prænotandum. — Regulæ de ejusmodi cohabitatione a jure statutæ, eædem sunt quoad omnes clericos Episcopo inferiores. Quoad Episcopum vero strictiores eas esse tenuerunt nonnulli canonistæ, docentes, « Episcopum nullam mu-
« lierem, nequidem matrem aut sororem secum habere
« posse. » (Vide apud Schmalzgrueber, in titulum 2, libri 3 decretalium, n. 3.) Quod tamen citatus auctor ibidem confutat in hunc modum : « Cum nulla talis prohibitio reperiatur facta
« Episcopis et aliis similibus prælatis, ideo dicendum, etsi
« omnino honestius et magis consultum sit, ut hujusmodi
« fœminas conjunctas, non intra domum episcopalem, sed
« in domo alia separata habeant (idque maxime propter alios
« clericos cum Episcopo commorantes) ; casu tamen quo sus-
« picio incontinentiæ et scandali periculum abest, licite eos-
« dem posse intra eamdem domum, sed in conclavibus distinctis, cohabitare matri, et aliis fœminis in primo vel se-

« cundo gradu conjunctis, cum ipsarum ancillis et pedisse-
« quis. »

Canonistarum more, dictas regulas quoad omnes generatim clericos exponemus; quod idem erit ac illas de parochis in specie exposuisse, cum sint eædem.

In enodanda autem quæstione, procedemus hoc ordine: 1° dicemus quomodo varia variis temporibus olim disciplina hac de re viguerit; 2° hodiernum jus commune exponemus.

§ I.

Variam variis temporibus fuisse olimhac de re discipli nam.

Magna Nicœna synodus, canone 3 (collectionis Harduini, tomo 1, col. 323) decrevit in hunc modum: *Interdixit per omnia magna synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt.* Illam Nicœnorum patrum sanctionem plurima dein concilia renovarunt; quorum citatos textus videris apud Benedictum XIV (*Synodo diœces.*: I. 11, c. 4, n. 4).

Concilium Carthaginiense III anni 397, canone 17, mulierum conjunctarum enumerationem tantisper extendit: *Ut cum omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent; sed solæ matres, aviæ, et materterœ, amitæ, sorores et filiæ fratrum aut sororum...* Cæterum Nicœno haud contradicebat decretum illud, siquidem illæ aliæ conjunctæ jam implicite a Nicœnis patribus designabantur his verbis, *vel eas tantum personas quæ suspicionem effugiunt.*

Ast concilium Forojuliense anni 791, Moguntinum anni 888, et Metense ejusdem anni, clericorum cum mulieribus cohabitationem omnino et absque ulla exceptione prohibuerunt : ita scilicet ut ne illæ quidem a Nicœnis patribus expressæ, mater, soror et amita, in eadem domo versari permitterentur. (Textus habes apud Benedictum XIV, citato loco.)

Quam tamen disciplinam plus æquo rigidam perpendens

Innocentius III, Niccœnam restituit, his verbis: *Cum clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari* (capite *A nobis 9, de Cohabit. cler. et mul.*). Hanc Innocentii III decretalem pro lege universali habendam tenent doctores communiter, docentque per eam derogatum fuisse rigidioribus præfatorum synodorum dispositionibus. Cumque post memoratum Pontificem nulla intervenerit contraria Ecclesiæ lex, hodiedum ejus decretalis pro jure communi habenda est, prout ex sequenti paragrapho magis patebit.

§ II.

Determinatur hodiernum jus commune circa cohabitationem clericorum cum mulieribus.

Propositio I^a^. — *Quoad ejus modi cohabitationem, desumendum est hodiernum jus commune tum ex decretali* A nobis *Innocentii III, tum ex communi doctorum interpretatione.* — Sequitur ex eo quod dictum decretum vim legis universalis habere censendum sit, nec ei postea per ullam, generalem Ecclesiæ dispositionem fuerit derogatum. Additur autem, *tum ex communi doctorum interpretatione;* quia dum nec Sedes ipsa Apostolica, nec Sacræ Congregationes auctoritate sua sensum alicujus generalis ecclesiasticæ legis declarant, nulla alia tutior est quam communis doctorum interpretatio. In præsenti autem materia nullam novimus Sedis Apostolicæ, aut Sacrarum Congregationum declarationem, ad determinandum Innocentiæ decretalis sensum editam. Standum ergo textui hujus decretalis, et communi doctorum interpretationi.

Objicies. — Decretalis *A nobis* Innocentii III revocata fuit a Gregorio IX, siquidem Gregorius IX in libros decretalium inseruit caput *Inhibendum* (1, *de Cohabit. cleric. et mul.*) quo Nannetensis synodus olim prohibuerat, ne clerici cum ullis omnino mulieribus (ne exceptis quidem matre, amitave, aut sorore) cohabitarent. Non enim inseruisset, nisi priscum hunc disciplinæ rigorem voluisset iterum in jus commune evehere.

Respondeo. — 1° Idem Gregorius IX inseruit etiam Innocentii III decretalem, qua dictus rigor excluditur. Unde, si revera ambæ decretales inter se pugnent, ex solo facto insertionis colligi nequit quænam alteri prævalere debeat, siquidem ambæ pariter fuerunt insertæ. 2° Dici potest decretalem *Inhibendum*, utpote antiquiorem, insertam dumtaxat fuisse tanquam historicum antiquæ disciplinæ documentum. 3° Communis est doctorum sententia, per decretalem Innocentii exprimi legem generalem, et ordinarie servandam; atvero a decreto Nannetensi poni regulæ limitationem, in specialibus quibusdam eventibus adhibendam. De qua communi doctorum interpretatione vide Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, I. 11, c. 4, n. 7), et *Jus Pontificium* Giraldi (in tit. 2, libri 3 decret., pag. 225, edit. Romæ 1829). 4° Doctores qui post Gregorii IX compilationem scripserunt, communiter tenuerunt licitam esse clericis cum matre, amita et sorore cohabitationem; nec Gregorius IX aut subsecuti Pontifices hanc communem doctrinam improbarunt.

Propositio II[a]. — *Clerico licitum est, regulariter loquendo, habitare cum fœminis, sibi in primo vel secundo consanguinitatis gradu conjunctis.* — Nam ex decretali Innocentiana, ipsi licitum est degere cum mulieribus, *in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari.* Porro de harum numero esse conjunctas in dictis consanguinitatis gradibus, id est matrem, aviam, amitam, materteram, sororem et neptem, est communis doctorum sententia. (Vide Schmalzgrueber et alios canonistas, in titulum 2, libri 3 decretalium.) Diximus autem *regulariter loquendo,* ob infra ponendam exceptionem.

Propositio III[a]. — *Item clerico licita censetur cohabitatio cum affinibus in primo gradu, verbi gratia, cum noverca, nuru et uxore fratris defuncti; insuper cum affinibus in secundo gradu, quando alter alteri reverentiam debet; verbi gratia, cum uxore patrui vel avunculi defuncti.* — Nam ratio ob quam Innocentius III cohabitationem permittit cum consanguineis est, quod tunc excludatur incontinentiæ suspicio. Hinc vero communiter æstimant doctores, censeri concessam cohabitationem cum aliis etiam fœminis, quæ talis

conditionis sunt, ut suspicionem pariter effugiant: renovari nempe ab Innocentio III Nicœnum decretum, quo generaliter concessio fit quoad eas omnes personas *quæ suspicionem effugiunt*. Jam vero tales esse censendas prædicto modo affines communi consensu admittunt. (Vide passim canonistas ubi titulum *de Cohabitatione clericorum et mulierum* commentariis illustrant.)

Propositio IV^a^. — *Quando clericus licite habitat cum prædictis sibi conjunctis, etiam ipsi licet habitare cum earumdem ancillis et pedissequis.* — Cum enim dictæ clerici consanguineæ aut affines absque ancillis aut pedissequis ordinarie degere nequeant, hoc ipso quod lex ecclesiastica clericis permittit habitare cum suis consanguineis aut affinibus, merito etiam supponitur concedere, ut cum harum ancillis habitet, Vide inter alios canonistas ita tradentes præclarum Schmalzgrueber (in titulum 2, libri 3 decretalium, n. 2).

Propositio V^a^. — *Non prohibentur clerici etiam extraneas fœminas in famulas sibi assumere, modo provectioris ætatis sint, honestæ famæ, et extra suspicionem.* — Nam, ex modo dictis, Innocentii III decretalis *A nobis,* merito intelligitur, quasi Nicœnum canonem renovasset. Nicœni vero Patres iis generalibus verbis usi sunt, *vel eas tantum personas quæ suspicionem effugiunt*. Porro ex communi æstimatione et generali diœceseon praxi, famulæ, de quibus in thesi, censentur sub relatis decreti verbis comprehendi: censentur nempe, regulariter loquendo, de iis quæ suspicioni non dant locum. Et quoad ætatem communiter æstimatur satis esse, quod quadragesimum annum egerint. (Vide Schmalzgrueber, citato loco.)

Propositio VI^a^. — *Quamvis a sacris canonibus clericis concedatur cohabitatio cum supradictis fœminis, id semper intelligendum est cum limitatione, nisi adsit periculum vel scandalum.* — Nam Innocentii III decretalis, cæteræque omnes, quæ a generali prohibitione nonnullas excipiunt fœminas, ideo dumtaxat eas excipiunt, quod suspicionem effugiant; ac proinde in ea tantum hypothesi, quod non adsit periculum neque scandalum. Unde si de facto, ob peculiares circumstantias, adsit periculum aut scandalum, non con-

cessa, sed prohibita cohabitatio censenda est. Proceditque hoc etiam quoad consanguineas affinesve quaslibet.

« Neque dicas, ait Schmalzgrueber (loco citato), hoc modo « nullum esse discrimen inter conjunctas sanguine et extra- « neas; nam adhuc latum discrimen inter has et illas interjici- « tur : consanguineæ enim, tametsi juvenes sint, non sunt sus- « pectæ ; ideoque cohabitare possunt clerico ordinarie et per « se loquendo, nisi per accidens adsint tales circumstantiæ et « indicia, ut locus sit suspicioni, sive propter ipsasmet con- « sanguineas, sive propter famulas et socias, quæ esse cum « illis solent. Contra extraneæ, eo ipso solent esse suspectæ, « quia juvenes sunt; ideoque cohabitatio illarum prohibita « est clericis jure canonico. »

Propositio VII[a]. — *Nequit Episcopus prohibere, ne diœcesis suæ clerici cum ulla omnino fœmina cohabitent.* — Non enim potest Episcopus contra jus commune valide decernere: sed, ut modo vidimus, vi juris communis facultatem habent clerici cum supra enumeratis fœminis cohabitandi ; ergo hac facultate ab Episcopo privari non possunt. Hinc omnino errasse existimat Benedictus XIV quosdam Episcopos, qui clericis vetuerant, « ne cum ulla prorsus fœmina, « licet arctissimo sibi consanguinitatis nexu obstricta, co- « habitarent » (*de Synodo diœc.*, l. 11, c. 4, n. 7) ; atque ibidem « n. 4 generatim cavendum præmonet, « ne, obtentu re- « novandi pristinos Ecclesiæ canones, quidquam in synodo « statuatur, quod contrarium sit posterioribus legibus, qui- « bus antiquæ disciplinæ rigor nonnullis in rebus expresse « mitigatus dignoscitur. »

Propositio VIII[a]. — *Valeret tamen Episcopi constitutio, qua clericis cohabitationem prohiberet cum quibuslibet fœminis, nisi ipse prius earum qualitates examinasset, et abesse periculum atque scandalum comperisset.* — Ita tenet Benedictus XIV, citato loco. Et facile probari potest : nam talis constitutio esset quidem præter jus commune; at nequaquam contra : siquidem hac dispositione non impediret Episcopus cohabitationem in iis casibus, in quibus de jure communi licita est ; sed dumtaxat explendam antea formalitatem injungeret. « Hoc quippe (ait Benedictus XIV) aliud non

« esset quam sibi decernendum reservare, num hæc vel illa « fœmina cadat in censuram, an potius in limitationem re- « gulæ Nicœnæ, ab Innocentio III innovatæ. » Imo sanctus Carolus Borromæus (in concilio Mediolanensi 1, parte 2 ; *Actorum Mediol. eccles.*, parte 1, pag. 19), ita decrevit... *Fœminas quascumque, etiam quovis sanguinis, cognationis aut affinitatis vinculo eis conjunctas habitare prohibemus, nisi Episcopus in alicujus urgenti necessitate aliter faciendum esse duxerit, cujus conscientiam in hoc valde oneramus.*

CAPUT XIV.

OFFICIUM PAROCHI QUOAD TEMPORALEM PAROCHIÆ ADMINISTRATIONEM.

Quæstionem illam tribus paragraphis expediemus : 1° nempe tanquam principium omnino in hac materia attendendum revocabimus, bonorum ecclesiasticorum administrationem nequaquam sæcularis potestatis jurisdictioni subjacere ; sed totam esse penes potestatem ecclesiasticam ; 2° exquiremus quasnam partes in administranda re temporali parochiæ suæ jus canonicum parocho tribuerit ; 2° expendemus an, et quomodo laicis viris, matricularii (marguilliers) aliove nomine nuncupatis, temporalis parochiæ administrati o legitime committi possit.

§ I.

Bonorum ecclesiasticorum administratio sæcularis potestatis jurisdictioni nullatenus subjacet.

Certam atque omnino tenendam esse hanc conclusionem quamplurimis atque invictissimis auctoritatibus firmare solent doctores catholici; inter quos sic Fagnanus (in caput *Ecclesia sanctæ Mariæ, de Constitut.*, n. 15 ; « Bona eccle- « siarum et clericorum esse et ipsa exempta a jurisdictione « principis sæcularis, magna Patrum consensione, et vehe- « menti in laicos sibi in illa jus aliquod vindicantes incre- « patione, declaratum est in synodo Romana III, capite 1

« (relato in capite *Bene quidem*, 96 distinct.) ; et in synodo « Romana VI (cujus decretum refertur in capite *In canonibus* « 16, q. 1) ; in concilio generali sub Innocentio III, capite 44 « (relato in capite *Cum laicis, de Rebus ecclesiæ non alienan.*) « de quo etiam est textus apertus hic (1). Et hanc quoque « exemptionem esse de jure divino constat evidenter ex « dicto capite *Quamquam, de Censibus* libro1, ibi : *Cum* « *igitur ecclesiæ, ecclesiasticœque personæ, ac resipsarum,* « *non solum jure humano, quin imo et divino a sæcularium* « *exactionibus sint immunes.* Ad idem textus irrefraga- « bilis in capite *Non minus, de immunitatibus eccles...* « Et dicit eam esse communem et veram sententiam « canonistarum Gregorius de Valentia. » Adducit postea Fagnanus plures alios doctores eam doctrinam propugnantes ; inter quos Bellarminum (*Controversiæ,* tom. 2. libri 1, c. 28, in 4ª et 5ª propositione) : tum sic prosequitur : « Qua- « mobrem cum tam ecclesiæ quam personnæ ecclesiasticæ, « et earum bona sint prorsus exempta a sæculari jurisdictione, « necessario hinc sequitur, ut princeps sæcularis nullam siib « auctoritatem aut juris dictionem in ecclesias, personas et « bona hujusmodi possit vindicare ; ut de his omnibus est « textus hic (2), in dicto capite *Cum laicis*, et in capite *inter* « *hœc*, 33, q. 2 ; ubi dicitur, *sanctam Dei Ecclesiam nun-* « *quam humanis legibus constringi* ; et clamant passim inter- « pretes omnes in locis supra citatis. Unde etiam infertur, « ut omnes leges quæ habentur in tituli codicis (*nempe Jus-* « *tiniani*) *de sacrosanctis ecclesiis, de Episcopis et clericis*, « et in authentica *de sanctissimis Episcopis*, cum simi « libus, non valeant ex defectu potestatis ; cum de ecclesiis, « de personis ecclesiasticis et earum bonis specialiter loqua- « ntur... Hinc etiam fit ut nulla ratio habenda sit solemni- « tatis ab imperatore introductæ in alienatione bonorum « ecclesiæ... Ejusmodi autem legibus sacri canones vehe- « menter resistunt ; ita ut earum conditores etiam sententiæ « excommunicationis subjiciant. »

(1) Nempe in capite *Ecclesia S. Mariæ, de Constitutionibus.*
(2) Nempe in eodem capite *Ecclesia, de Constitut.*

Citatis auctoritatibus adde, a Tridentina synodo (sess. 22, cap. 11) anathemati eum subjici, qui alicujus ecclesiæ bona, census, jura, emolumenta fructusve usurpare præsumpserit *seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur ; quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali præfulgeat.*

Etsi autem certa sit et omnino tenenda communis hæc doctorum sententia, non tamen ex ea sequitur non posse, ex concessione Sedis Apostolicæ, juris aliquid in administrandis bonis ecclesiasticis sæculari potestati competere. Cum nempe Romanus Pontifex supremus sit ejusmodi bonorum administrator, si conventione aliqua seu concordato cum sæculari principe certam, ei hac in re jurisdictionem attribuat, dubium non est quin, intra conventionis limites, de bonis etiam et rebus ecclesiasticis legitime jus dicat sæcularis potestas ; cujus ordinationibus tunc, ut pote ex illo ecclesiasticæ potestatis placito vim haurientibus, standum proculdubio erit.

§ II.

Quodnam sit, ex jure ecclesiastico, parochi jus et officium quoad temporalem parochiæ suæ administrationem.

1° Debet parochus inventarium facere rerum, bonorum et redituum ad ecclesiam pertinentium, sive immobilium, sive mobilium ; atque hujusce inventarii unum exemplum Episcopo tradere, in archivio episcopali asservandum ; alterum propria manu subscriptum inter ecclesiæ libros seu scripturas retinere. De quo vide disposita in bulla sancti Pii V *Cum primum*, calendis aprilis 1566 ; in bulla Sixti V *Provida* 29 aprilis 1587 ; et in instructione Benedicti XIII in appendice concilii romani, anni 1725, n. 10.

2° « Parochus nullatenus distrahere potest aliove transferre « istiusmodi bona, aut res ad ecclesiam pertinentes, sine ob- « tenta ab Ordinario licentia; quam ille non aliter concedere « debebit, quam si alias res meliores, aut saltem æquales in « locum amovendarum parochus reipsa substituat; nisi forte

« justa aliqua necessitas secus suadeat, quod Episcopi pru-« dentiæ statuendum relinquitur. Ita fere ad verbum Pius V... » (Leurenius, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 446.)

3° « Sub excommunicationis aliisque gravissimis pœnis « constitutum est in extravaganti *Ambitiosæ de Rebus ecclesiæ* « *non alienandis*, ne absque auctoritate Apostolica ullo pacto « bona immobilia ultra triennium locentur aut alia ratione a-« lienentur. » (Barbosa, *de Officio parochi*, cap. 13, n. 40.) Et addit citatus auctor: « Nomine alienationis intelligo omnem ac-« tum, quo dominium rei directum, vel utile, aut usufructus, « aut jus, in alterum transfertur, vel abdicatur. »

4° In alienatione rerum tenuiorum, licet immobilium, non li-requiritur auctoritas Apostolica sed sufficit (sicut promobilibus) licentia Ordinarii, non tamen vicarii generalis. Et tenuia exis-timantur quæ non excedunt 25 scutorum valorem. (Barbosa, cum *Additamentis* Giraldi, *de Officio parochi*, loco citato n° 42).

5° Nequit parochus bona ecclesiæ locare cum anticipatis so-lutionibus. Id siquidem prohibuit Tridentina synodus (session. 24, c. 11 .)

6° Exceptis autem ejusmodi juris dispositionibus, quæ jus ad-ministrandi in parocho limitant, generatim dicendum est pa-rochum esse administratorem natum rei temporalis parochiæ suæ. Unde exceptis prohibitis casibus ad ipsum spectat contractus quoad res ecclesiæ suæ temporales facere, in judicio stare pro tuendis ejusdem ecclesiæ juribus, et uno verbo personam administratoris agere.

7° Atvero, cum simul et magis uniuscujusque paro-chialis ecclesiæ bona Episcopi curæ commissa sint, jus administrandi parochi remanet semper et in omnibus auc-toritati Ordinarii subordinatum. Ita ut teneatur parochus ad-ministrationis suæ temporalis rationem, et tempore visita-tionis, et extra illud tempus, si Episcopo visum fuerit, ei, aut alteri ab ipso deputato, reddere.

Item liberum semper remanet Episcopo quas opportunas existimaverit regulas in ejusmodi temporali administratione exercenda parocho præscribere; atque eas tenebitur parochus accurate servare, modo alias Apostolicis constitutionibus seu universalibus Ecclesiæ legibus non adversentur. Hanc pa-

rochi ab Episcopo dependentiam jura omnino supponunt, cum nullibi cautum sit posse parochum quidquam quoad hoc agere, renitente autaliter disponente Episcopo.

Et sic patet quomodo parochiæ temporalis administratio et a Sede Apostolica, et ab Episcopo et a parocho, pro actuum administrativorum varietate dependeat : nullatenus autem a sæculari potestate.

§ III.

An et quomodo laicis viris, qui matricularii (marguilliers) aliove nomine dicuntur, temporalis parochiæ administratio legitime committi possit.

Laicis viris committi posse temporalem ejusmodi administrationem, dummodo ab ecclesiastica auctoritate deputentur, eidemque rationem reddere debeant, atque ab eadem revocari valeant, nequaquam sacris canonibus adversatur. Etenim hoc modo constituti matricularii, non ex jure proprio aut a sæculari potestate accepto administrant (quod tanquam attentatum semper Ecclesia reprobavit), sed dumtaxat ex sibi facto ab ecclesiastica potestate procuratorio mandato. Quo sensu non magis repugnat in matricularios, seu ad temporalem parochiæ administrationem, adhiberi laicos, quam ad æditui, advocati, similisve muneris explendum officium. Atque id omnino supponit et certum facit Tridentina synodus, dum sessionis 22 capite 9 sic decernit ; *Administratores, tam ecclesiastici quam laici, fabricæ cujusvis ecclesiæ etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis eleemosynæ montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario... ; nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si.., ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius ; et aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.*

Item sessione 24, capite 3, dum eadem synodus patronis laicis vetat ne sese *visitationi ornamentorum ecclesiæ aut*

bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, hanc addit limitationem, *nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat*. Ut autem id juris ex institutione seu fundatione ipsis competat, necessarius est ecclesiasticæ potestatis assensus. Unde sicut certum est posse administrationem fabricæ penes laicos esse, ita certum est id eis non competere, nisi dependenter ab auctoritate ecclesiastica et eo gradu et modo quem eadem auctoritas concesserit.

Dicto autem sensu intellecta matriculariorum institutio, sicut sacris canonibus consona, ita et parochiis valde utilis esse potest. Cum enim apud populum facile spargi possint sinistræ suspiciones ne forte parochus ea quæ reficiendæ fabricæ et augendæ sacræ suppellectili addicenda sunt, in proprios usus convertat, aliove modo ecclesiæ parochialis bona dilapidet, nil aptum magis ad arcendam ejusmodi odiositatem, quam deputari nonnullos civitatis præcipuos cives, qui simul cum parocho de his omnibus deliberent atque decernant. Atque insuper, dum ad solvendum adigendi sunt ii, qui ex aliquo titulo ecclesiæ parochiali debitores sunt, nemo non videt quam expediat id, non a parocho ipso immediate fieri, sed a deputato illo laicorum virorum cœtu. Immo fuisse matriculariosos, seu laicos rei temporalis parochiarum administratores, hunc in scopum initio introductos non immerito suspicatur Thomassinus : « Il se pourrait bien « faire, inquit, que les laïques eussent été admis à l'admi- « nistration de la fabrique, afin d'être chargés de cette exaction « de deniers, qui leur sied mieux qu'à des ecclésiastiques. » (*Discipline de l'Église*, partie 3, chap. 36, n. 6.)

Incassum autem laboravit citatus auctor ut aliquod in antiquitate vestigium reperiret, administratæ rei temporalis ecclesiarum a viris laicis, sæcularis potestatis vi et nomine. Cum tamen, suo tempore videret in Gallia hanc matriculariorum institutionem, totamque ecclesiarum temporalem administrationem, non jam Ecclesiæ, sed principis jurisdictioni et legibus subjici, postulat edoceri se, quomodo et quando hæcce mutatio intervenerit : « Quand et comment ces marguilliers « sont devenus ce que nous les voyons présentement dans nos églises de France, c'est un détail que je voudrais ap-

« prendre de quelqu'un plus habile que moi dans ces sortes « de recherches. » (Loco citato, n. 3.) Absque tanta eruditionis copia dici posse videtur, evenisse hancce immutationem in Gallia, quando hac in re, sicut in tot aliis, Ecclesiæ popriam jurisdictionem sæcularis potestas invasit.

CAPUT XV.

QUOMODO HODIE IN GALLIA REGULETUR TEMPORALIS PAROCHIARUM ADMINISTRATIO, ET QUÆNAM IN EA SINT PAROCHI PARTES.

Superiori capite jus commune quoad temporalem ecclesiarum parochialium administrationem descripsimus. Hic vero ejusdem administrationis normam, prout hodie in Galliis constituta reperitur, exponemus. Fuit autem tota hæc res in Galliis a potestate sæculari ordinata ; nec de ea in Concordato anni 1801 quidquam occurrit ex Sedis Apostolicæ assensu determinatum. Cum tamen ejusmodi sæcularis potestatis ordinationibus sese aptare cogantur Galliarum parochi, pro ipsorum commodo, earum præcipuas hic subjiciendas duximus.

§ I.

Decretum Napoleonis dici 30 decembris 1809, quoad fabricas.

CHAPITRE Ier

De l'administration des fabriques.

Art. 1er. Les fabriques, dont l'article 76 de la loi du 18 germinal an 10 a ordonné l'établissement sont chargées de veiller à l'entretien et à la conservation des temples; d'administrer les aumônes et les biens, rentes et perceptions autorisées par les lois et réglements, les sommes supplémentaires fournies par les communes, et généralement tous les fonds qui sont affectés à l'exercice du culte; enfin, d'assurer cet exercice et le maintien de sa dignité, dans les églises auxquelles elles sont attachées, soit en règlant les dépenses qui y sont nécessaires, soit en assurant les moyens d'y pourvoir.

Art. 2. Chaque fabrique sera composée d'un conseil, et d'un bureau de marguilliers.

SECTION 1re

Du conseil.

§ 1er. — De la composition du conseil.

Art. 3. Dans les paroisses où la population sera de cinq mille âmes ou au-dessus ; le conseil sera composé de neuf conseillers de fabrique; dans toutes les autres paroisses, il devra l'être de cinq : ils seront pris parmi les notables; ils devront être catholiques et domiciliés dans la paroisse.

Art. 4. De plus seront de droit membres du conseil:

1° Le curé ou desservant, qui y aura la première place, et pourra s'y faire remplacer par un de ses vicaires ;

2° Le maire de la commune du chef-lieu de la cure ou succursale; il pourra s'y faire remplacer par l'un de ses adjoints: si le maire n'est pas catholique, il devra se substituer un adjoint qui le soit, ou, à défaut, un membre du conseil municipal catholique. Le maire sera placé à la gauche, et le curé ou desservant à la droite du président.

Art. 5. Dans les villes où il y aura plusieurs paroisses ou succursales, le maire sera de droit membre du conseil de chaque fabrique; il pourra s'y faire remplacer comme il est dit dans l'article précédent.

Art. 6. Dans les paroisses ou succursales dans lesquelles le conseil de fabrique sera composé de neuf membres, non compris les membres de droit, cinq des conseillers seront, pour la première fois, à la nomination de l'évêque, et quatre à celle du préfet: dans celles où il ne sera composé que de cinq membres, l'évêque en nommera trois, et le préfet deux. Ils entreront en fonctions le premier dimanche du mois d'avril prochain.

Art 7. Le conseil de fabrique se renouvellera partiellement tous les trois ans, savoir, à l'expiration des trois premières années dans les paroisses où il est composé de neuf membres, sans y comprendre les membres de droit, par la sortie de cinq membres qui, pour la première fois, seront désignés par le sort, et des quatre plus anciens après les six ans révolus ; pour les fabriques dont le conseil est composé de cinq membres, non compris les membres de droit, par la sortie de trois membres désignés par la voie du sort, après les trois premières années, et des deux autres après les six ans révolus. Dans la suite, ce seront toujours les plus anciens en exercice qui devront sortir.

Art. 8. Les conseillers qui devront remplacer les membres sortants seront élus par les membres restants.

Lorsque le remplacement ne sera pas fait à l'époque fixée, l'Evêque ordonnera qu'il y soit procédé dans le délai d'un mois ; passé lequel délai, il y nommera lui-même, et pour cette fois seulement.

Les membres sortants pourront être réélus.

Art. 9. Le conseil nommera au scrutin son secrétaire et son président : ils seront renouvelés le premier dimanche d'avril de chaque année, et pourront être réélus. Le président aura, en cas de partage, voix prépondérante.

Le conseil ne pourra délibérer que lorsqu'il y aura plus de la moitié des membres présents à l'assemblée ; et tous les membres présents signeront la délibération, qui sera arrêtée à la pluralité des voix.

§ II. — Des séances du conseil.

Art. 10. Le conseil s'assemblera le premier dimanche des mois d'avril de juillet, d'octobre et de janvier, à l'issue de la grand'messe ou des vêpres, dans l'église, dans un lieu attenant à l'église ou dans le presbytère.

L'avertissement de chacune de ses séances sera publié le dimanche précédent, au prône de la grand'messe.

Le conseil pourra de plus s'assembler extraordinairement sur l'autorisation de l'Évêque ou du préfet, lorsque l'urgence des affaires ou de quelques dépenses imprévues l'exigera.

§ III. — Des fonctions du conseil.

Art. 11. Aussitôt que le conseil aura été formé, il choisira au scrutin, parmi ses membres, ceux qui comme marguilliers, entreront dans la composition du bureau, et, à l'avenir dans celle de ses sessions qui répondra à l'expiration du temps fixé par le présent règlement pour l'exercice des fonctions de marguilliers ; il fera également, au scrutin, élection de celui de ses membres qui remplacera le marguillier sortant.

Art. 12. Seront soumis à la délibération du conseil :

1° Le budget de la fabrique ;

2° Le compte annuel de son trésorier ;

3° L'emploi des fonds excédant les dépenses, du montant des legs et donations, et le remploi des capitaux remboursés ;

4° Toutes les dépenses extraordinaires au delà de cinquante francs dans les paroisses au-dessous de mille âmes, et de cent francs dans les paroisses d'une plus grande population;

5° Les procès à entreprendre ou à soutenir, les baux emphytéotiques ou à longues années, les aliénations ou échanges, et généralement tous les objets excédant les bornes de l'administration ordinaire des biens des mineurs.

SECTION II.

Du bureau des marguilliers.

§ 1er. — De la composition du bureau des marguilliers.

Art. 13. Le bureau des marguilliers se composera :

1° Du curé ou desservant de la paroisse ou succursale, qui en sera membre perpétuel et de droit ;

2° De trois membres du conseil de fabrique.

Le curé ou desservant aura la première place, et pourra se faire remplacer par un de ses vicaires.

Art. 14. Ne pourront être en même temps membres du bureau les parents ou alliés, jusques et compris le degré d'oncle et de neveu.

Art. 15. Au premier dimanche d'avril de chaque année, l'un des marguilliers cessera d'être membre du bureau, et sera remplacé.

Art. 16. Des trois marguilliers qui seront pour la première fois nommés par le conseil, deux sortiront successivement par la voie du sort, à la fin de la première et de la seconde année, et le troisième sortira de droit la troisième année révolue.

Art. 17. Dans la suite, ce seront toujours les marguilliers les plus anciens en exercice qui devront sortir.

Art. 18. Lorsque l'élection ne sera pas faite à l'époque fixée, il y sera pourvu par l'Évêque.

Art. 19. Ils nommeront entre eux un président un secrétaire et un trésorier.

Art. 20. Les membres du bureau ne pourront délibérer s'ils ne sont au nombre de trois.

En cas de partage, le président aura voix prépondérante.

Toutes les délibérations seront signées par les membres présents.

Art. 21. Dans les paroisses où il y avait ordinairement des marguilliers d'honneur, il pourra en être choisi deux par le conseil parmi les principaux fonctionnaires publics domiciliés dans la paroisse. Ces marguilliers, et tous les membres du conseil, auront une place distinguée dans l'église : ce sera *le banc de l'œuvre* ; il sera placé devant la chaire autant que faire se pourra. Le curé ou desservant aura, dans ce banc, la première place, toutes les fois qu'il s'y trouvera pendant la prédication.

§ II. — Des séances du bureau des marguilliers.

Art. 22. Le bureau s'assemblera tous les mois, à l'issue de la messe paroissiale, au lieu indiqué pour la tenue des séances du conseil.

Art. 23. Dans les cas extraordinaires, le bureau sera convoqué, soit d'office par le président, soit sur la demande du curé ou desservant.

§ III. Fonctions du bureau.

Art. 24, Le bureau des marguilliers dressera le budget de la fabrique, et préparera les affaires qui doivent être portées au conseil: il sera chargé de l'exécution des délibérations du conseil, et de l'administration journalière du temporel de la paroisse.

Art. 25. Le trésorier est chargé de procurer la rentrée de toutes les sommes dues à la fabrique, soit comme faisant partie de son revenu annuel, soit à tout autre titre.

Art. 26. Les marguilliers sont chargés de veiller à ce que toutes fondations soient fidèlement acquittées et exécutées suivant l'intention des fondateurs, sans que les sommes puissent être employées à d'autres charges.

Un extrait du sommier des titres contenant les fondations qui doivent être desservies pendant le cours d'un trimestre, sera affiché dans la sacristie, au commencement de chaque trimestre, avec les noms du fondateur et de l'ecclésiastique qui acquittera chaque fondation.

Il sera aussi rendu compte à la fin de chaque trimestre, par le curé ou desservant, au bureau des marguilliers, des fondations acquittées pendant le cours du trimestre.

Ar. 27. Les marguilliers fourniront l'huile, le pain, le vin, l'encens, la cire, et généralement tous les objets de consommation nécessaires à l'exercice du culte; ils pourvoiront également aux réparations et achats des ornements, meubles et ustensiles de l'église et de la sacristie.

Art. 28. Tous les marchés seront arrêtés par le bureau des marguilliers, et signés par le président, ainsi que les mandats.

Art. 29. Le curé ou desservant se conformera aux règlements de l'Évêque pour tout ce qui concerne le service divin, les prières et les instructions, et l'acquittement des charges pieuses imposées par les bienfaiteurs, sauf les réductions qui seraient faites par l'Évêque, conformément aux règles canoniques, lorsque le défaut de proportion des libéralités et des charges qui en sont la condition l'exigera.

Art. 30. Le curé ou desservant agréera les prêtres habitués, et leur assignera leurs fonctions.

Dans les paroisses où il en sera établi, il désignera le sacristain prêtre, le chantre-prêtre et les enfants de chœur.

Le placement des bancs ou chaises dans l'église ne pourra être fait que du consentement du curé ou desservant, sauf le recours à l'Évêque.

Art. 31. Les annuels auxquels les fondateurs ont attaché des honoraires, et généralement tous les annuels emportant une rétribution quelconque, seront donnés de préférence aux vicaires, et ne pourront être acquittés qu'à leur défaut par les prêtres habitués ou autres ecclésiastiques, à moins qu'il n'en ait été autrement ordonné par les fondateurs.

Art. 32. Les prédicateurs seront nommés par les marguilliers, à la pluralité des suffrages, sur la présentation faite par le curé ou desservant,

et à la charge par lesdits prédicateurs d'obtenir l'autorisation de l'Ordinaire.

Art. 33. La nomination et la révocation de l'organiste, des sonneurs, des bedeaux, suisses ou autres serviteurs de l'église, appartiennent aux marguilliers, sur la proposition du curé ou desservant.

Art. 34. Sera tenu le trésorier de présenter, tous les trois mois, au bureau des marguilliers, un bordereau signé de lui et certifié véritable, de la situation active et passive de la fabrique pendant les trois mois précédents : ces bordereaux seront signés de ceux qui auront assisté à l'assemblée, et déposés dans la caisse ou armoire de la fabrique, pour être représentés lors de la reddition du compte annuel.

Le bureau déterminera, dans la même séance, la somme nécessaire pour les dépenses du trimestre suivant.

Art. 35. Toute la dépense de l'église et les frais de sacristie seront faits par le trésorier ; et en conséquence il ne sera rien fourni par aucun marchand ou artisan sans un mandat du trésorier, au pied duquel le sacristain, ou toute autre personne apte à recevoir la livraison, certifiera que le contenu audit mandat a été rempli.

CHAPITRE II.

Des revenus, des charges, du budget de la fabrique.

SECTION Ire.

Des revenus de la fabrique.

Art. 36. Les revenus de chaque fabrique se forment :

1° Du produit des biens et rentes restitués aux fabriques, des biens des confréries et généralement de ceux qui auraient été affectés aux fabriques par nos divers décrets ;

2° Du produit des biens, rentes et fondations, qu'elles ont été ou pourront être par nous autorisées à accepter ;

3° Du produit des biens et rentes celés au domaine, dont nous les avons autorisées, ou dont nous les autoriserions à se mettre en possession ;

4° Du produit spontané des terrains servant de cimetières ;

5° Du prix de la location des chaises ;

6° De la concession des bancs placés dans l'église ;

7° Des quêtes faites pour les frais du culte ;

8° De ce qui sera trouvé dans les troncs placés pour le même objet ;

9° Des oblations faites à la fabrique ;

10° Des droits que, suivant les règlements épiscopaux approuvés par nous, les fabriques perçoivent et de celui qui leur revient sur les produits des frais d'inhumation ;

11° Du supplément donné par la commune, le cas échéant.

SECTION II.

Des charges de la fabrique.

§ Ier.— Des charges en général.

Art. 37. Les charges de la fabrique sont :

1° De fournir aux frais nécessaires du culte, savoir : les ornements, les vases sacrés, le linge, le luminaire, le pain, le vin, l'encens, le payement des vicaires, des sacristains, chantres, organistes, sonneurs, suisses, bedeaux et autres employés au service de l'église, selon la convenance et les besoins des lieux :

2° De payer l'honoraire des prédicateurs de l'Avent, du Carême et autres solennités ;

3° De pourvoir à la décoration et aux dépenses relatives à l'embellissement intérieur de l'église ;

4° De veiller à l'entretien des églises, presbytères et cimetières ; et, en cas d'insuffisance des revenus de la fabrique, de faire toutes diligences nécessaires pour qu'il soit pourvu aux réparations et reconstructions, ainsi que le tout est réglé au paragraphe III.

§ II. — De l'établissement et du payement des vicaires.

Art. 38. Le nombre de prêtres et de vicaires habitués à chaque église sera fixé par l'Évêque, après que les marguilliers en auront délibéré, et que le conseil municipal de la commune aura donné son avis.

Art. 39. Si, dans le cas de la nécessité d'un vicaire, reconnue par l'Évêque, la fabrique n'est pas en état de payer le traitement, la décision épiscopale devra être adressée au préfet ; et il sera procédé ainsi qu'il est expliqué à l'article 49, concernant les autres dépenses de la célébration du culte, pour lesquelles les communes suppléent à l'insuffisance de revenus des fabriques.

Art. 40. Le traitement, des vicaires sera de 500 fr. au plus, et de 300 fr. au moins.

§ III. — Des réparations.

Art. 41. Les marguilliers et spécialement le trésorier seront tenus de veiller à ce que toutes les réparations soient bien et promptement faites. Ils auront soin de visiter les bâtiments avec des gens de l'art au commencement du printemps et de l'automne.

Ils pourvoiront sur-le-champ, et par économie, aux réparations loca-

tives ou autres qui n'excéderont pas la proportion indiquée en l'article 12, et sans préjudice toutefois des dépenses réglées pour le culte.

Art. 42. Lorsque les réparations excéderont la somme ci-dessus indiquée, le bureau sera tenu d'en faire rapport au conseil, qui pourra ordonner toutes les réparations qui ne s'élèveraient pas à plus de 100 fr. dans les communes au dessous de mille âmes, et de 200 francs dans celles d'une plus grande population.

Néanmoins ledit conseil ne pourra, même sur le revenu libre de la fabrique, ordonner les réparations qui excéderaient la quotité ci-dessus énoncée, qu'en chargeant le bureau de faire dresser un devis estimatif, et de procéder à l'adjudication au rabais ou par soumission, après trois affiches renouvelées de huitaine en huitaine.

Art. 43. Si la dépense ordinaire, arrêtée par le budget, ne laisse pas de fonds disponibles, ou n'en laisse pas de suffisants pour les réparations, le bureau en fera son rapport au conseil, et celui-ci prendra une délibération tendant à ce qu'il y soit pourvu dans les formes prescrites au chapitre IV du présent réglement: cette délibération sera envoyée par le président au préfet.

Art. 44. Lors de la prise de possession de chaque curé ou desservant, il sera dressé, aux frais de la commune, et à la diligence du maire, un état de situation du presbytère et de ses dépendances. Le curé ou desservant ne sera tenu que des simples réparations locatives, et des dégradations survenues par sa faute. Le curé ou desservant sortant, ou ses héritiers ou ayants cause, seront tenus desdites réparations locatives et dégradations.

SECTION III.

Du budget de la fabrique.

Art. 45. Il sera présenté chaque année au bureau, par le curé ou desservant, un état par aperçu, des dépenses nécessaires à l'exercice du culte, soit pour les objets de consommation, soit pour réparations et entretien d'ornements, meubles et ustensiles d'église.

Cet état, après avoir été, article par article, approuvé par le bureau, sera porté en bloc, sous la désignation de *dépenses intérieures*, dans le projet du budget général : le détail de ces dépenses sera annexé audit projet.

Art. 46. Ce budget établira la recette et la dépense de l'église. Les articles de dépenses seront classés dans l'ordre suivant :

1° Les frais ordinaires de la célébration du culte ;

2° Les frais de réparation des ornements, meubles et ustensiles d'église ;

3° Les gages des officiers et serviteurs de l'église :

4° Les frais de réparations locatives.

La portion des revenus qui restera après cette dépense acquittée servira au traitement des vicaires légitimement établis, et l'excédant, s'il y en a, sera affecté aux grosses réparations des édifices affectés au service du culte.

Art. 47. Le budget sera soumis au conseil de la fabrique dans la séance du mois d'avril de chaque année ; il sera envoyé, avec l'état des dépenses de la célébration du culte, à l'Évêque diocésain, pour avoir sur le tout son approbation.

Art. 48. Dans le cas où les revenus de la fabrique couvriraient les dépenses portées au budget, le budget pourra, sans autres formalités, recevoir sa pleine et entière exécution.

Art. 49. Si les revenus sont insuffisants pour acquitter, soit les frais indispensables du culte, soit les dépenses nécessaires pour le maintien de sa dignité, soit les gages des officiers et des serviteurs de l'église, soit les réparations des bâtiments, ou pour fournir à la subsistance de ceux des ministres que l'Etat ne salarie pas, le budget contiendra l'aperçu des fonds qui devront être demandés aux paroissiens pour y pourvoir, ainsi qu'il est réglé dans le chapitre IV.

CHAPITRE III.

SECTION PREMIERE.

De la régie des biens de la fabrique.

Art. 50. Chaque fabrique aura une caisse ou armoire fermant à trois clefs, dont une restera dans les mains du trésorier, l'autre dans celles du curé ou desservant, et la troisième dans celles du président du bureau.

Art. 51. Seront déposés dans cette caisse tous les deniers appartenant à la fabrique, ainsi que les clefs des troncs des églises.

Art. 52 Nulle somme ne pourra être extraite de la caisse sans autorisation du bureau, et sans un récépissé qui y restera déposé.

Art. 53. Si le trésorier n'a pas dans les mains la somme fixée à chaque trimestre, par le bureau, pour la dépense courante, ce qui manquera sera extrait de la caisse ; comme aussi ce qu'il se trouverait avoir d'excédant sera versé dans cette caisse.

Art. 54. Seront aussi déposés dans une caisse ou armoire les papiers, titres et documents concernant les revenus et affaires de la fabrique, et notamment les comptes avec les pièces justificatives, les registres de délibérations, autres que le registre courant, le sommier des titres et les inventaires ou récolement dont il est mention aux deux articles qui suivent :

Art. 55. Il sera fait incessamment, et sans frais, deux inventaires : l'un, des ornements, linges, vases sacrés, argenterie, ustensiles et en général de tout le mobilier de l'église ; l'autre, des titres, papiers et renseignements, avec mention des biens contenus dans chaque titre, du revenu

qu'ils produisent, de la fondation à la charge de laquelle les biens ont été donnés à la fabrique. Un double inventaire du mobilier sera remis au curé ou desservant.

Il sera fait, tous les ans, un récolement desdits inventaires, afin d'y porter les additions, réformes ou autres changements ; ces inventaires et récolements seront signés par le curé ou desservant, et par le président du bureau.

Art. 56. Le secrétaire du bureau transcrira, par suite de numéros et par ordre de dates, sur un registre-sommier :

1° Les actes de fondation, et généralement tous les titres de propriété;

2° Les baux à ferme ou loyer.

La transcription sera entre deux marges, qui serviront pour y porter, dans l'une les revenus, et dans l'autre les charges.

Chaque pièce sera signée et certifiée conforme à l'original par le curé ou desservant et par le président du bureau.

Art. 57. Nul titre ni pièce ne pourra être extrait de la caisse sans un récépissé qui fera mention de la pièce retirée, de la délibération du bureau par laquelle cette extraction aura été autorisée, de la qualité de celui qui s'en chargera et signera le récépissé, de la raison pour laquelle elle aura été tirée de la caisse ou armoire, et si c'est pour un procès, le tribunal et le nom de l'avoué seront désignés.

Ce récépissé, ainsi que la décharge au temps de la remise, seront inscrits sur le sommier ou registre des titres.

Art. 58. Tout notaire devant lequel il aura été passé un acte contenant donation entre-vifs ou disposition testamentaire au profit d'une fabrique sera tenu d'en donner avis au curé ou desservant.

Art. 59. Tout acte contenant des dons ou legs à une fabrique sera remis au trésorier, qui en fera son rapport à la prochaine séance du bureau. Cet acte sera ensuite adressé par le trésorier, avec les observations du bureau, à l'Archevêque ou Évêque diocésain, pour que celui-ci donne sa délibération s'il convient ou non d'accepter.

Le tout sera envoyé au ministre des cultes, sur le rapport duquel la fabrique sera, s'il y a lieu, autorisée à accepter. L'acte d'acceptation, dans lequel il sera fait mention de l'autorisation, sera signé par le trésorier au nom de la fabrique.

Art. 60. Les maisons et biens ruraux appartenant à la fabrique seront affermés, régis et administrés par le bureau des marguilliers, dans la forme déterminée pour les biens communaux.

Art. 61. Aucun des membres du bureau des marguilliers ne peut se porter, soit pour adjudicataire, soit même pour associé de l'adjudicataire des ventes, marchés de réparations, constructions, reconstructions, ou baux des biens de la fabrique.

Art. 62. Ne pourront les biens immeubles de l'église être vendus, aliénés, échangés, ni même loués pour un terme plus long que neuf ans, sans une délibération du conseil, l'avis de l'Evêque diocésain et notre autorisation.

Art. 63. Les deniers provenant de donations ou legs, dont l'emploi ne sera pas déterminé par la fondation, les remboursements de rentes, le prix de ventes ou soultes d'échanges, les revenus excédant l'acquit des charges ordinaires, seront employés dans les formes déterminées par l'avis du conseil d'Etat approuvé par nous le 21 décembre 1878.

Dans le cas où la somme serait insuffisante, elle restera en caisse, si on prévoit que dans les six mois suivants il rentrera des fonds disponibles, afin de compléter la somme nécessaire pour cette espèce d'emploi ; sinon le conseil délibérera sur l'emploi à faire et le préfet ordonnera celui qui paraitra le plus avantageux.

Art. 64. Le prix des chaises sera réglé, pour les différents offices, par délibération du bureau, approuvée par le conseil ; cette délibération sera affichée dans l'église.

Artr 65. Il est expressément défendu de rien percevoir pour l'entrée de l'église, ni de percevoir dans l'église plus que le prix des chaises, sous quelque prétexte que ce soit.

Il sera même réservé dans toutes les églises une place où les fidèles qui ne louent pas de chaises ni de bancs puissent commodément assister au service divin et entendre les instructions.

Art. 66. Le bureau des marguilliers pourra être autorisé par le conseil, soit à régir la location des bancs et chaises, soit à la mettre en ferme.

Art. 67. Quand la location des chaises sera mise en ferme, l'adjudication aura lieu après trois affiches, de huitaine en huitaine ; les enchères seront reçues au bureau de la fabrique par soumission, et l'adjudication sera faite au plus offrant, en présence des marguilliers ; de tout quoi il sera fait mention dans le bail, auquel sera annexée la délibération qui aura fixé le prix des chaises.

Art. 68. Aucune concession de banc ou de place dans l'église ne pourra être faite, soit par bail pour une prestation annuelle, soit au prix d'un capital ou d'un immeuble, soit pour un temps plus long que la vie de ceux qui l'auront obtenue, sauf l'exception ci-après.

Art. 69. La demande de concession sera présentée au bureau, qui préalablement, la fera publier par trois dimanches et afficher à la porte de l'église pendant un mois, afin que chacun puisse obtenir la préférence par une offre plus avantageuse.

S'il s'agit d'une concession pour un immeuble, le bureau le fera évaluer en capital et en revenu, pour être, cette évaluation, comprise dans les affiches et publications.

Art. 70. Après ces formalités remplies, le bureau fera son rapport au conseil.

S'il s'agit d'une concession par bail pour une prestation annuelle, et que le conseil soit d'avis de faire cette concession, sa délibération sera un titre suffisant.

Art. 71. S'il s'agit d'une concession pour un immeuble, il faudra, sur la délibération du conseil, obtenir notre autorisation dans la même forme que pour les dons et legs. Dans le cas où il s'agirait d'une valeur

mobilière, notre autorisation sera nécessaire lorsqu'elle s'élèvera à la même quotité pour laquelle les communes et les hospices sont obligés de l'obtenir.

Art. 72. Celui qui aurait entièrement bâti une église pourra retenir la propriété d'un banc ou d'une chapelle pour lui et sa famille, tant qu'elle existera.

Tout donateur ou bienfaiteur d'une église pourra obtenir la même concession, sur l'avis du conseil de fabrique, approuvé par l'Evêque et par le ministre des cultes.

Art. 73. Nul cénotaphe, nulles inscriptions, nuls monuments funèbres ou autres, de quelque genre que ce soit, ne pourront être placés dans les églises que sur la proposition de l'Evêque diocésain et la permission de notre ministre des cultes.

Art. 74. Le montant des fonds perçus pour le compte de la fabrique, à quelque titre que ce soit, sera, au fur et à mesure de la rentrée, inscrit, avec la date du jour et du mois, sur un registre coté et paraphé, qui demeurera entre les mains du trésorier.

Art. 75. Tout ce qui concerne les quêtes dans les églises sera réglé par l'Évêque, sur le rapport des marguilliers, sans préjudice des quêtes pour les pauvres, lesquelles devront toujours avoir lieu dans les églises, toutes les fois que les bureaux de bienfaisance le jugeront convenable.

Art. 76. Le trésorier portera, parmi les recettes en nature, les cierges offerts sur les pains bénits ou délivrés pour les annuels, et ceux qui, dans les enterrements et services funèbres, appartiennent à la fabrique.

Art. 77. Ne pourront, les marguilliers, entreprendre aucun procès, ni y défendre, sans une autorisation du conseil de préfecture, auquel sera adressée la délibération qui devra être prise à ce sujet par le conseil et le bureau réunis.

Art. 78. Toutefois, le trésorier sera tenu de faire tous actes conservatoires pour le maintien des droits de la fabrique, et toutes diligences nécessaires pour le recouvrement de ses revenus.

Art. 79. Les procès seront soutenus au nom de la fabrique, et les diligences faites à la requête du trésorier, qui donnera connaissance de ces procédures au bureau.

Art. 80. Toutes contestations relatives à la propriété des biens, et toutes poursuites à fin de recouvrement des revenus, seront portées devant les juges ordinaires.

Art. 81. Les registres des fabriques seront sur papier non timbré. Les dons et legs qui leur seraient faits ne supporteront que le droit fixe d'un franc.

SECTION II.

Des comptes.

Art. 82. Le compte à rendre chaque année par le trésorier sera divisé en deux chapitres, l'un de recette, et l'autre de dépense.

Le chapitre de recette sera divisé en trois sections : La première, pour la recette ordinaire ; la deuxième, pour la recette extraordinaire, et la troisième, pour la partie des recouvrements ordinaires ou extraordinaires qui n'auraient pas encore été faits.

Le reliquat d'un compte formera toujours le premier article du compte suivant. Le chapitre de dépense sera aussi divisé en dépenses ordinaires, dépenses extraordinaires, et dépenses, tant ordinaires qu'extraordinaires, non encore acquittées.

Art. 83. A chacun des articles de recette, soit des rentes, soit des loyers ou autres revenus, il sera fait mention des débiteurs, fermiers ou locataires, des noms et situation de la maison et héritages, de la qualité de la rente foncière ou constituée, de la date du dernier titre nouvel ou du dernier bail, et des notaires qui les auront reçus ; ensemble de la fondation à laquelle la rente est affectée, si elle est connue.

Art. 84. Lorsque, soit par le décès du débiteur, soit par le partage de la maison ou de l'héritage qui est grevé d'une rente, cette rente se trouve due par plusieurs débiteurs, il ne sera néanmoins porté qu'un seul article de recette, dans lequel il sera fait mention de tous les débiteurs, et sauf l'exercice de l'action solidaire, s'il y a lieu.

Art. 85. Le trésorier sera tenu de présenter son compte annuel au bureau des marguilliers, dans la séance du premier dimanche du mois de mars.

Le compte, avec les pièces justificatives, leur sera communiqué, sur le récépissé de l'un d'eux. Ils feront au conseil, dans la séance du premier dimanche du mois d'avril, le rapport du compte : il sera examiné, clos et arrêté dans cette séance, qui sera, pour cet effet, prorogée au dimanche suivant, si besoin est.

Art. 86. S'il arrive quelques débats sur un ou plusieurs articles du compte, le compte n'en sera pas moins clos, sous la réserve des articles contestés.

Art. 87. L'Évêque pourra nommer un commissaire pour assister, en son nom, au compte annuel ; mais si ce commissaire est un autre qu'un grand vicaire, il ne pourra rien ordonner sur le compte, mais seulement dresser procès-verbal sur l'état de la fabrique et sur les fournitures et réparations à faire à l'église.

Dans tous les cas, les Archevêques ou Évêques en cours de visite, ou leurs vicaires généraux, pourront se faire représenter tous comptes, registres et inventaires, et vérifier l'état de la caisse.

Art. 88. Lorsque le compte sera arrêté, le reliquat sera remis au trésorier en exercice, qui sera tenu de s'en charger en recette. Il lui sera en même temps remis un état de ce que la fabrique a à recevoir par baux à ferme, une copie du tarif des droits casuels, un tableau par approximation des dépenses, celui des reprises à faire, celui des charges et fournitures non acquittées.

Il sera, dans la même séance, dressé, sur le registre des délibérations, acte de ces remises ; et copie en sera délivrée, en bonne forme, au trésorier sortant, pour lui servir de décharge.

Art. 89. Le compte annuel sera en double copie, dont l'une sera déposée dans la caisse ou armoire à trois clefs ; l'autre à la mairie.

Art. 90. Faute par le trésorier de présenter son compte à l'époque fixée, et d'en payer le reliquat, celui qui lui succédera sera tenu de faire, dans le mois au plus tard, les diligences nécessaires pour l'y contraindre ; et, à son défaut, le procureur impérial, soit d'office, soit sur l'avis qui lui en sera donné par l'un des membres du bureau ou du conseil, soit sur l'ordonnance rendue par l'Évêque en cours de visite, sera tenu de poursuivre le comptable devant le tribunal de première instance, et le fera condamner à payer le reliquat, à faire régler les articles débattus, ou à rendre son compte, s'il ne l'a été, le tout dans un délai qui sera fixé ; sinon, et ledit temps passé, à payer provisoirement, au profit de la fabrique, la somme égale à la moitié de la recette ordinaire de l'année précédente, sauf les poursuites ultérieures.

Art. 91. Il sera pourvu, dans chaque paroisse, à ce que les comptes qui n'ont pas été rendus le soient dans la forme prescrite par le présent réglement, et six mois au plus tard après la publication.

CHAPITRE IV.

Des charges des communes relativement au culte.

Art. 92. Les charges des communes relativement au culte, sont :

1° De suppléer à l'insuffisance des revenus de la fabrique, pour les charges portées en l'article 37 ;

2° De fournir au curé ou desservant un presbytère, ou, à défaut de presbytère et de logement, une indemnité pécuniaire ;

3° De fournir aux grosses réparations des édifices consacrés au culte.

Art. 93. Dans le cas où les communes sont obligées de suppléer à l'insuffisance des revenus des fabriques pour ces deux premiers chefs, le budget de la fabrique sera porté au conseil municipal dûment convoqué à cet effet, pour y être délibéré ce qu'il appartiendra. La délibération du conseil municipal devra être adressée au préfet, qui la communiquera à l'Évêque diocésain, pour avoir son avis. Dans le cas où l'Évêque et le préfet seraient d'avis différents, il pourra en être référé, soit par l'un, soit par l'autre, à notre ministre des cultes.

Art. 94. S'il s'agit de réparations des bâtiments, de quelque nature qu'elles soient, et que la dépense ordinaire arrêtée par le budget ne laisse pas de fonds disponibles, ou n'en laisse pas de suffisants pour ces réparations, le bureau en fera son rapport au conseil, et celui-ci prendra une délibération tendant à ce qu'il y soit pourvu par la commune; cette délibération sera envoyée par le trésorier au préfet.

Art. 95. Le préfet nommera les gens de l'art par lesquels, en présence de l'un des membres du conseil municipal, et l'un des marguilliers, il sera dressé le plus promptement qu'il sera possible, un devis estimatif des réparations. Le préfet soumettra ce devis au conseil municipal, et, sur son avis, ordonnera, s'il y a lieu, que ces réparations soient faites aux frais de la commune, et en conséquence qu'il soit procédé par le conseil municipal, en la forme accoutumée, à l'adjudication au rabais.

Art. 96. Si le conseil municipal est d'avis de demander une réduction sur quelques articles de dépense de la célébration du culte, et dans le cas où il ne reconnaîtrait pas la nécessité de l'établissement d'un vicaire, sa délibération en portera les motifs.

Toutes les pièces seront adressées à l'Evêque, qui prononcera.

Art. 97. Dans le cas où l'Évêque prononcerait contre l'avis du conseil municipal, ce conseil pourra s'adresser au préfet; et celui-ci enverra s'il y a lieu, toutes les pièces au ministre des cultes, pour être par nous, sur son rapport, statué en notre conseil d'État ce qu'il appartiendra.

Art. 98. S'il s'agit de dépenses pour réparations ou reconstructions qui auront été constatées, conformément à l'article 95, le préfet ordonnera que ces réparations soient payées sur les revenus communaux, et en conséquence qu'il soit procédé par le conseil municipal, en la forme accoutumée, à l'adjudication au rabais

Art. 99. Si les revenus communaux sont insuffisants, le conseil délibérera sur les moyens de subvenir à cette dépense, selon les règles prescrites par la loi.

Art. 100. Néanmoins, dans le cas où il serait reconnu que les habitants d'une paroisse sont dans l'impuissance de fournir aux réparations, même par levée extraordinaire, on se pourvoira devant nos ministres de l'intérieur et des cultes, sur le rapport desquels il sera fourni à cette paroisse tel secours qui sera par eux déterminé, et qui sera pris sur le fonds commun établi par la loi du 15 septembre 1807 relative au budget de l'État.

Art. 101. Dans tous les cas où il y aura lieu au recours d'une fabrique sur une commune, le préfet fera un nouvel examen du budget de la commune, et décidera si la dépense demandée pour le culte peut être prise sur les revenus de la commune, ou jusqu'à concurrence de quelle somme, sauf notre approbation pour les communes dont les revenus excèdent vingt mille francs.

Art. 102. Dans le cas où il y a lieu à la convocation du conseil municipal, si le territoire de la paroisse comprend plusieurs communes, le conseil de chaque commune sera convoqué, et délibérera séparément.

Art. 103. Aucune imposition extraordinaire sur les communes ne pourra

être levée pour les frais du culte, qu'après l'accomplissement préalable des formalités prescrites par la loi.

CHAPITRE V.

Des églises cathédrales, des maisons épiscopales et des séminaires.

Art. 104. Les fabriques des églises métropolitaines et cathédrales continueront à être composées et administrées conformément aux réglements épiscopaux qui ont été dressés par nous.

Art. 105. Toutes les dispositions concernant les fabriques paroissiales sont applicables, en tant qu'elles concernent leur administration intérieure, aux fabriques des cathédrales.

Art. 106. Les départements compris dans un diocèse sont tenus, envers la fabrique de la cathédrale, aux mêmes obligations que les communes envers leurs fabriques paroissiales.

Art. 107. Lorsqu'il surviendra de grosses réparations ou des reconstructions à faire aux églises cathédrales, aux palais épiscopaux et aux séminaires diocésains, l'Évêque en donnera l'avis officiel au préfet du département dans lequel est le chef-lieu de l'évêché; il donnera en même temps un état sommaire des revenus et dépenses de sa fabrique, en faisant sa déclaration des revenus qui restent libres après les dépenses ordinaires de la célébration du culte.

Art. 108. Le préfet ordonnera que, suivant les formes établies pour les travaux publics, en présence d'une personne à ce commise par l'Évêque, il soit dressé un devis estimatif des ouvrages à faire.

Art. 109. Ce rapport sera communiqué à l'Évêque, qui l'enverra au préfet avec ses observations.

Ces pièces seront ensuite transmises par le préfet, avec son avis, à notre ministre de l'intérieur; il en donnera connaissance à notre ministre des cultes.

Art. 110. Si les réparations sont à la fois nécessaires et urgentes, notre ministre de l'intérieur ordonnera qu'elles soient provisoirement faites sur les premiers deniers dont les préfets pourront disposer, sauf le remboursement avec les fonds qui seront faits pour cet effet par le conseil général du département, auquel il sera donné communication du budget de la fabrique de la cathédrale, et qui pourra user de la faculté accordée aux conseils municipaux par l'article 96.

Art. 111. Sil y a dans le même évêché plusieurs départements, la répartition entre eux se fera dans les proportions ordinaires, si ce n'est que le département où sera le chef-lieu du diocèse payera un dixième de plus.

Art. 112. Dans les départements où les cathédrales ont des fabriques ayant des revenus dont une partie est assignée à les réparer, cette assi-

gnation continuera d'avoir lieu ; et seront, au surplus, les réparations faites conformément à ce qui est prescrit ci-dessus.

Art. 113. Les fondations, donations ou legs faits aux églises cathédrales seront acceptés, ainsi que ceux faits aux séminaires, par l'Évêque diocésain ; sauf notre autorisation, donnée en conseil d'État, sur le rapport de notre ministre des cultes.

Art. 114. Nos ministres de l'intérieur et des cultes sont chargés, chacun en ce qui le concerne, de l'exécution du présent décret.

§ II.

Decretum regis Caroli X dici 12 januarii 1825 quoad fabricas.

Art. 1er. Dans toutes les églises ayant le titre de cure, succursale ou chapelle vicariale, dans lesquelles le conseil de fabrique n'a pas été régulièrement renouvelé, ainsi que le prescrivent les articles 7 et 8 du décret du 30 décembre 1809, il sera immédiatement procédé à une nouvelle nomination des fabriciens, de la manière voulue par l'art. 6 du même décret.

Art. 2. A l'avenir, la séance des conseils de fabrique, qui, aux termes de l'art. 10 du réglement général, doit avoir lieu le premier dimanche du mois d'avril, se tiendra le dimanche de *Quasimodo*.

Dans cette séance devront être faites, tous les trois ans, les élections ordinaires prescrites par le décret du 30 décembre 1809.

Art. 3. Dans les cas de vacance par mort ou démission, l'élection en remplacement devra être faite dans la première séance ordinaire du conseil de fabrique qui suivra la vacance.

Les nouveaux fabriciens ne seront élus que pour le temps d'exercice qui restait à ceux qu'ils sont destinés à remplacer.

Art. 4. Si, un mois après les époques indiquées dans les deux articles précédents, le conseil de fabrique n'a pas procédé aux élections, l'Évêque diocésain nommera lui-même.

Art. 5. Sur la demande des Évêques et l'avis des préfets, notre ministre secrétaire d'État au département des affaires ecclésiastiques et de l'instruction publique pourra révoquer un conseil de fabrique pour défaut de présentation de budget ou de reddition de comptes, lorsque ce conseil, requis de remplir ce devoir, aura refusé ou négligé de le faire, ou pour toute autre cause grave.

Il sera, dans ce cas, pourvu à une nouvelle formation de ce conseil, de la manière prescrite par l'art. 6 du décret du 30 décembre 1809.

Art. 6. L'Évêque et le préfet devront réciproquement se prévenir des autorisations d'assemblées extraordinaires, qu'aux termes de l'article 10 du décret du 30 décembre 1809, ils accorderaient aux conseils de fabrique, et des objets qui devront être traités dans ces assemblées extraordinaires.

Art. 7. Dans les communes rurales, la nomination et la révocation des chantres, sonneurs et sacristains, seront faites par le curé, desservant ou vicaire; leur traitement continuera à être réglé par le conseil de fabrique et payé par qui de droit.

Art 8. Le réglement général des fabriques, du 30 décembre 1809, continuera d'être exécuté en tout ce qui n'est pas contraire à la présente ordonnance.

Art. 9. Notre ministre secrétaire d'État au département des affaires ecclésiastiques et de l'instruction publique est chargé de l'exécution de la présente ordonnance, qui sera insérée au *Bulletin des Lois*.

§ III.

Decretum Napoleonis dici 12 junii 1804 quoad funera.

TITRE PREMIER.

Des sépultures et des lieux qui leur sont consacrés.

Art. 1er. Aucune inhumation n'aura lieu dans les églises, temples, synagogues, hôpitaux, chapelles publiques, et généralement dans aucun des édifices clos et fermés où les citoyens se réunissent pour la célébration de leur culte, ni dans l'enceinte des villes et bourgs.

Art. 2. Il y aura, hors de chacune de ces villes ou bourgs, à la distance de trente-cinq à quarante mètres au moins de leur enceinte, des terrains spécialement consacrés à l'inhumation des morts.

Art. 3. Les terrains les plus élevés et exposés au nord seront choisis de préférence; ils seront clos de murs de deux mètres au moins d'élévation; on y fera des plantations, en prenant les précautions convenables pour ne point gêner la circulation de l'air.

Art. 4. Chaque inhumation aura lieu dans une fosse séparée; chaque fosse qui sera ouverte aura un mètre cinq décimètres à deux mètres de profondeur, sur huit décimètres de largeur, et sera ensuite remplie de terre bien foulée.

Art. 5. Les fosses seront distantes les unes des autres de trois à quatre décimètres sur les côtés, et de trois à cinq décimètres à la tête et aux pieds.

Art. 6. Pour éviter le danger qu'entraîne le renouvellement trop rapproché des fosses, l'ouverture des fosses pour de nouvelles sépultures n'aura lieu que de cinq années en cinq années; en conséquence, les terrains destinés à former les lieux de sépulture seront cinq fois plus étendus que l'espace nécessaire pour y déposer le nombre présumé des morts qui peuvent y être enterrés chaque anné

TITRE II.

De l'établissement de nouveaux cimetières.

ART. 7. Les communes qui seront obligées, en vertu des articles 1 et 2 du titre 1er, d'abandonner les cimetières actuels, et de s'en procurer de nouveaux hors de l'enceinte de leurs habitations, pourront, sans autre autorisation que celle qui leur est accordée par la déclaration du 10 mars 1776, acquérir les terrains qui leur seront nécessaires, en remplissant les formes voulues par l'arrêté du 7 germinal an 9.

ART. 8. Aussitôt que les nouveaux emplacements seront disposés à recevoir les inhumations, les cimetières existants seront fermés, et resteront dans l'état où ils se trouveront, sans que l'on en puisse faire usage pendant cinq ans.

ART. 9. A partir de cette époque, les terrains servant maintenant de cimetières pourront être affermés par les communes auxquelles ils appartiennent, mais à condition qu'ils ne seront qu'ensemencés ou plantés, sans qu'il puisse y être fait aucune fouille ou fondation pour des constructions de bâtiment, jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné.

TITRE III.

Des concessions de terrains dans les cimetières.

ART. 10. Lorsque l'étendue des lieux consacrés aux inhumations le permettra, il pourra y être fait des concessions de terrains aux personnes qui désireront y posséder une place distincte et séparée pour y fonder leur sépulture et celle de leurs parents ou successeurs, et y construire des caveaux, monuments ou tombeaux.

ART. 11. Les concessions ne seront néanmoins accordées qu'à ceux qui offriront de faire des fondations ou des donations en faveur des pauvres et des hôpitaux, indépendamment d'une somme qui sera donnée à la commune, et lorsque ces fondations ou donations auront été autorisées par le gouvernement dans les formes accoutumées, sur l'avis des conseils municipaux et la proposition des préfets.

ART. 12. Il n'est point dérogé, par les deux articles précédents, aux droits qu'a chaque particulier, sans besoin d'autorisation, de faire placer sur la fosse de son parent ou de son ami une pierre sépulcrale ou autre signe indicatif de sépulture, ainsi qu'il a été pratiqué jusqu'à présent.

ART. 13. Les maires pourront également, sur l'avis des administrations des hôpitaux, permettre que l'on construise dans l'enceinte de ces hôpitaux des monuments pour les fondateurs et bienfaiteurs de ces établisse-

ments, lorsqu'ils en auront déposé le désir dans leurs actes de donation, de fondation ou de dernière volonté.

Art. 14. Toute personne pourra être enterrée sur sa propriété, pourvu que ladite propriété soit hors et à la distance prescrite de l'enceinte des villes et bourgs.

TITRE IV.

De la police des lieux de sépulture.

Art. 15. Dans les communes où l'on professe plusieurs cultes, chaque culte doit avoir un lieu d'inhumation particulier : et dans les cas où il n'y aurait qu'un seul cimetière, on le partagera par des murs, haies ou fossés, en autant de parties qu'il y a de cultes différents, avec une entrée particulière pour chacune, et en proportionnant cet espace au nombre d'habitants de chaque culte.

Art. 16. Les lieux de sépulture, soit qu'ils appartiennent aux communes, soit qu'ils appartiennent aux particuliers, seront soumis à l'autorité, police et surveillance des administrations municipales.

Art. 17. Les autorités locales sont spécialement chargées de maintenir l'exécution des lois et réglements qui prohibent les inhumations non autorisées, et d'empêcher qu'il ne se commette dans les lieux de sépulture aucun désordre, ou qu'on s'y permette aucun acte contraire au respect dû à la mémoire des morts.

TITRE V.

Des pompes funèbres.

Art. 18. Les cérémonies précédemment usitées pour les convois, suivant les différents cultes, seront rétablies, et il sera libre aux familles d'en régler la dépense selon leurs moyens et facultés; mais hors de l'enceinte des églises et des lieux de sépulture, les cérémonies religieuses ne seront permises que dans les communes où l'on ne professe qu'un seul culte, conformément à l'article 45 de la loi du 18 germinal an 10.

Art. 19. Lorsque le ministre d'un culte, sous quelque prétexte que ce soit, se permettra de refuser son ministère pour l'inhumation d'un corps, l'autorité civile, soit d'office, soit sur la réquisition de la famille, commettra un autre ministre du même culte, pour remplir ses fonctions; dans tous les cas, l'autorité civile est chargée de faire porter, présenter, déposer et inhumer les corps.

Art. 20. Les frais et rétributions à payer aux ministres des cultes et

autres individus attachés aux églises et temples, tant pour leur assistance aux convois que pour les services requis par les familles, seront réglés par le gouvernement, sur l'avis des Évêques, des consistoires et des préfets, et sur la proposition du conseiller d'État chargé des affaires concernant les cultes. Il ne sera rien alloué pour leur assistance à l'inhumation des individus inscrits aux rôles des indigents.

Art. 21. Le mode le plus convenable pour le transport des corps sera réglé suivant les localités, par les maires, sauf l'approbation des préfets.

Art. 22. Les fabriques des églises et les consistoires jouiront seuls du droit de fournir les voitures, tentures, ornements, et de faire généralement toutes les fournitures quelconques nécessaires pour les enterrements, et pour la décence ou la pompe des funérailles.

Les fabriques et consistoires pourront faire exercer ou affermer ce droit, d'après l'approbation des autorités civiles, sous la surveillance desquelles ils sont placés.

Art. 23. L'emploi des sommes provenant de l'exercice ou de l'affermage de ce droit sera consacré à l'entretien des églises, des lieux d'inhumation et au payement des desservants; cet emploi sera réglé et réparti sur la proposition du conseiller d'État chargé des affaires concernant les cultes, et d'après l'avis des Évêques et des préfets.

Art. 24. Il est expressément défendu à toutes autres personnes, quelles que soient leurs fonctions, d'exercer le droit susmentionné, sous telle peine qu'il appartiendra, sans préjudice des droits résultant des marchés existants, et qui ont été passés entre quelques entrepreneurs et les préfets, ou autres autorités civiles, relativement aux convois et pompes funèbres.

Art. 25. Les frais à payer par les successions des personnes décédées, pour les billets d'enterrement, le prix des tentures, les bières et le transport des corps, seront fixés par un tarif proposé par les administrations municipales, et arrêtés par les préfets.

Art. 26. Dans les villages et autres lieux où le droit précité ne pourra être exercé par les fabriques, les autorités locales y pourvoiront, sauf l'approbation des préfets.

§ IV.

Decretum Napoleonis diei 16 maii 1806 quoad funera.

TITRE PREMIER.

Règles générales pour les églises.

Art. 1er. Les églises sont ouvertes gratuitement au public; en conséquence, il est expressément défendu de rien percevoir dans les églises et

à leur entrée de plus que le prix des chaises, sous quelque prétexte que ce soit.

Art. 2. Les fabriques pourront louer des bancs et des chaises suivant le tarif qui a été ou sera arrêté, et les chapelles de gré à gré.

Art. 3. Le tarif du prix des chaises sera arrêté par l'Évêque et le préfet ; et cette fixation sera toujours la même, quelles que soient les cérémonies qui auront lieu dans l'église.

TITRE II.

Service pour les morts dans les églises.

Art. 4. Dans toutes les églises, les curés, desservants et vicaires feront gratuitement le service exigé pour les morts indigents : l'indigence sera constatée par un certificat de la municipalité.

Art. 5. Si l'église est tendue pour recevoir un convoi funèbre, et qu'on présente ensuite le corps d'un indigent, il est défendu de détendre jusqu'à ce que le service de ce mort soit fini.

Art. 6. Les réglements déjà dressés et ceux qui le seront à l'avenir par les Évêques, sur cette matière, seront soumis par notre ministre des cultes à notre approbation.

Art. 7. Les fabriques feront par elles-mêmes, ou feront faire par entreprise aux enchères, toutes les fournitures nécessaires au service des morts dans l'intérieur de l'église, et toutes celles qui sont relatives à la pompe des convois, sans préjudice aux droits des entrepreneurs qui ont des marchés existants.

Elles dresseront, à cet effet, des tarifs et des tableaux gradués par classe ; ils seront communiqués aux conseils municipaux et aux préfets, pour y donner leur avis, et seront soumis par notre ministre des cultes, pour chaque ville, à notre approbation. Notre ministre de l'intérieur nous transmettra pareillement, à cet égard, les avis des conseils municipaux et des préfets.

Art. 8. Dans les grandes villes, toutes les fabriques se réuniront pour ne former qu'une seule entreprise.

TITRE III.

Du transport des corps.

Art. 9. Dans les communes où il n'existe pas d'entreprise et de marché pour les sépultures, le mode du transport des corps sera réglé par les préfets et les conseils municipaux. Le transport des indigents sera fait gratuitement.

Art. 10. Dans les communes populeuses, où l'éloignement des cime-

tières rend le transport coûteux, et où il est fait avec des voitures, les autorités municipales, de concert avec les fabriques, feront adjuger aux enchères l'entreprise de ce transport, des travaux nécessaires à l'inhumation et de l'entretien des cimetières.

Art. 11. Le transport des morts indigents sera fait décemment et gratuitement : tout autre transport sera assujetti à une taxe fixe. Les familles qui voudront quelque pompe, traiteront avec l'entrepreneur, suivant un tarif qui sera dressé à cet effet.

Les réglements et marchés, qui fixeront cette taxe et le tarif, seront délibérés par les conseils municipaux, et soumis ensuite, avec l'avis du préfet, par notre ministre de l'intérieur, à notre approbation.

Art. 12. Il est interdit, dans ces réglements et marchés, d'exiger aucune surtaxe pour les présentations et les stations à l'église, toute personne ayant également le droit d'y être présentée.

Art. 13. Il est défendu d'établir aucun dépositoire dans l'enceinte des villes.

Art. 14. Les fournitures précitées dans l'article 11, dans les villes où les fabriques ne fournissent pas elles-mêmes, seront données, ou en régie intéressées, ou en entreprise, à un seul régisseur ou entrepreneur. Le cahier des charges sera proposé par le conseil municipal d'après l'avis de l'Évêque, et arrêté définitivement par le préfet.

Art. 15. Les adjudications seront faites selon le mode établi par les lois et réglements, pour tous les travaux publics.

En cas de contestation entre les autorités civiles, les entrepreneurs et les fabriques sur les marchés existants, il y sera statué sur les rapports de nos ministres de l'intérieur et des cultes.

L'arrêté du préfet de la Seine, du 5 mars 1806, est approuvé.

Art. 16. Nos ministres de l'intérieur et des cultes sont chargés, chacun en ce qui le concerne, de l'exécution du présent décret.

§ V.

Decretum Napoleonis statuens ad quosnam pertineant cerei in funeribus adhibiti.

Art. 1er. Dans toutes les paroisses de l'empire, les cierges qui, aux enterrements et services funèbres, seront portés par les membres du clergé, leur appartiendront : les autres cierges placés autour du corps et à l'autel, aux chapelles ou autres parties de l'église, appartiendront, savoir : une moitié à la fabrique, et l'autre moitié à ceux du clergé qui y ont droit : ce partage sera fait en raison du poids de la totalité des cierges.

Art. 2. Il n'est rien innové à l'égard des curés qui, à raison de leur dotation, sont chargés des frais du culte (1).

(1) Hoc ultimum decretum transcripsimus ex opusculo cui titulus *Manuel législatif des Fabriques* auctore Prompsault.

APPENDICES

I.

De vicariis parochialibus, nec non de cappellanis xenodochiorum, monialium et militum.

Notiones de ejusmodi vicariis et cappellanis, cum nec omnino prætermitti in nostris canonicis institutionibus deberent, nec tanti essent momenti ut specialis de iis tractatus concinnaretur, opportune visæ sunt hic per modum appendicis subjiciendæ, et breviter expendendæ.

CAPUT I.

DE VICARIIS PAROCHIALIBUS

Dicemus primo de variis eorum speciebus. Tum quoad unamquamque speciem præcipuas juris dispositiones exponemus.

§ I.

Variæ species vicariorum parochialium.

Prima species est eorum, ad quos exclusive pertinet *actualis* animarum cura, remanente *in habitu* eadem cura penes aliquod monasterium seu capitulum. Et hi vocantur *vicarii-curati*. Tales sunt in Gallia, verbi gratia, curati cathedralium quando cura fuit cathedrali capitulo annexa. Sunt autem vel perpetui, vel temporales et ad nutum amovibiles. Quando sunt *perpetui*, eorum nominatio pertinet ad monasterium seu capitulum, cui cura annexa est: eorum autem approbatio et examen et institutio, ad Episcopum. In cæteris autem pari jure

censentur, ac parochi proprie dicti, beneficium parochiale *perpetuum* obtinentes. Unde vicaria sua privari nequeunt nisi ex gravi eorum culpa, et servato judicii ordine. Quando sunt *temporales* seu ad nutum amovibiles, eorum nominatio pertinet pariter ad capitulum, et approbatio ad Episcopum. Quoad remotionem autem, communiter tradunt doctores eam fieri posse a capitulo *Ad nutum*: ab Episcopo autem nonnisi *ex causa,* ob quam (etiamsi forent perpetui) beneficio privari possent. Quæ omnia de vicariis-curatis in decursu tractatus *de Parocho* exposuimus. Eos enim tanquam aliquam parochorum speciem habendos reputavimus. Unde hic nihil remanet de ipsis adjiciendum.

Secunda vicariorum parochialium species, eorum est qui, vacante parochia, vel absente parocho, ad regendam parochiam deputantur, donec vel revertatur parochus, vel de novo rectore provideatur. Et hi quodam strictiori sensu vicarii parochiales dici possunt: vere enim agunt *vices* absentis parochi: suntque diligenter distinguendi a vicariis qui parochum, in parochia degentem et eam administrantem, adjuvant. Quando constituuntur in parochia vacante, donec novus constitutus fuerit parochus, vocantur etiam persæpe *œconomi*.

Tertia species est illa, quam modo memoravimus adjuvantium nempe parocho, in parochia sua residenti et eam administranti; et solent etiam cappellanorum nomine designari.

De duobus ultimis dumtaxat speciebus nobis hic agendum est sub sequentibus paragraphis.

§ II

De vicario parochiali, qui, v acante parochia, ad eam regendam deputatur, donec novus rector ín ea constitus fuerit.

I. Ejusmodi vicarii seu œconomi deputatio pertinet ad Episcopum prout adnotatur, a Ferrario (verbo *Vicarius parochialis*, n. 43), in hunc modum: « Deputatio vicarii temporalis seu œconomi clerici sæcularis, in hoc ultimo casu vacationis paro-
« chiæ, spectat ad Episcopum, in cujus diœcesi parochia va-
« cans sita est, seu ad eum qui potest instituere concursum: sic

« decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Bar-
« bosa... Unde prælati inferiores, qui non habent jurisdictio-
« nem quasi-episcopalem, cum facultate congregandi syno-
« dum et instituendi concursum, non possunt in tali casu vi-
« carium temporalem deputare. »

II. Dicta deputatio fieri debet quamprimum: « Vicarius « (ait Ferraris, loco citato, n. 56, edit. Matriti 1787) ad re-
« gimen ecclesiæ curatæ vacantis statim ab Episcopo depu-
« tari debet (Benedictus XIV, constitutione 68, incipiente « *Cum illud*, § 16). »

III. Quoad congruam tali vicario assignandam sic habet idem Ferraris (ibid., n. 58) : « Vicario seu œconomo temporali et « amovibili assignanda est congrua, et taxanda arbitrio Epis-
« copi, ex fructibus parochiæ. » Et constat ex his concilii Tridentini (sess. 24, c. 18) verbis: *Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere.*

IV. Cum ejusmodi vicarii non deputentur nisi ad nutum Episcopi et donec eos revocet, possunt, etiam sine causa, ab Episcopo removeri.

§ III.

De vicario, qui absenti parocho substituitur.

Quæstio 1ª.—*Quid statuerit Tridentina synodus, quoad substituendum vicarium, in iis casibus quibus legitime abesse parochus potest* ? —Hac de re Tridentini Patres decrevere in hunc modum: « Quibus casibus nihilominus officium sit Epi-
« scoporum, tanquam in hac parte a Sede Apostolica delega-
« torum..., cura animarum nullatenus negligatur. » (Sess. 6, c. 2.)

« Quandocumque eos (*nempe parochos*), causa prius per « Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vica-
« rium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita « mercedis assignatione relinquant. » (Sess. 23, c. 1.)

Quæstio 2ª.— *A quo sit nominandus.* — Sic habet Ferraris (verbo *Vicarius parochialis,* n. 48) : « Si agatur de œconomo « seu vicario deputando propter absentiam parochi, tunc il- « lius nominatio regulariter ad ipsum parochum spectat, cum « approbatione tamen Episcopi, per quem fit congrua assi- « gnatio. (Sacra Congregatio Episcoporum et Reg., in *Mile- « tensi,* 7 decembris 1691 et Sacra Congregatio Concilii pa- « riter in *Miletensi,* 7 junii 1692; apud Monacelli, parte 1, « tit. 10, formula 14, n. 4.) »

Quæstio 3ª *An etiam approbatio Episcopi necessaria sit, quando parochus sibi vicarium substituit ad brevissimum tempus* ? — Quæstionem hanc sic resolvit Schmalzgrueber : « Ex causa justi impedimenti, vel absentiæ, ob quam officio « suo fungi non possit, substituere sibi vicarium ex sacerdo- « tibus ab Episcopo approbatis potest parochus, propria qui- « dem auctoritate, si officium hujus ad breve tempus, exem- « pli gratia unius, duarum vel etiam trium hebdomadarum « duraturum sit; cum consensu Ordinarii autem, si ad tem- « pus aliquod longius, ut insinuat Tridentinum sessione 23, « c. 1 (versu *Eadem omnino*); ubi decernit parochos a suis « ecclesiis abesse non posse nisi per duos vel tres menses, « vel de licentia Ordinarii, relicto vicario ab ipso Ordinario « approbando. » (Schmalzgrueber, in titulum 28, libri 1 de- cretalium, n. 8.)

Ea tamen citati auctoris sententia, quod scilicet possit ad tres hebdomadas recessurus parochus vicarium sibi substituere ab Episcopo non approbatum, non mihi videtur concordare cum citato Tridentino textu, quo decernitur approbandum ab Ordinario esse vicarium, *quandocumque* parochum abesse contigerit. Non posse parochum per unam hebdomadam abesse absque obtenta in scriptis Episcopi licentia supra sus- tinuimus (parte 5, capite 2, § 5, propos. 3) : porro necessitas approbationis quoad vicarium videtur saltem comprehendere casus, in quibus necessaria est in scriptis abessendi licentia ; præsertim cum dicatur a Tridentinis Patribus vicarium esse approbandum *quandocumque* parochum abesse contigerit.

§ IV.

De vicariis parochialibus, qui parocho residenti et parochiam administranti auxiliantur.

Quæstio 1ª. — *Ad quem pertineat eorum nominatio?* — Jam supra (parte 4, cap. 2)probavimus hanc nominationem ad parochum pertinere; ita tamen ut necessaria sit Episcopi approbatio. Nec sufficit aliquem esse approbatum ab Episcopo ad audiendas confessiones ut statim et sine alia approbatione possit parochus eum sibi in vicarium adjutorem adjungere; sed debet esse approbatus ab Episcopo expresse quoad illud vicarii munus. Id palam faciunt constitutiones Benedicti XIII et Innocentii XIII, in supra citato capite 2, partis 4, transcriptæ.

Quæstio 2ª. — *Ad quem pertineat assignare congruam dictis parochorum adjutoribus vicariis tribuendam* ? — Dicendum id spectare ad Episcopum. In cujus probationem adducemus dumtaxat constitutionem *Apostolici muneris* Innocentii XIII (jam citatam, parte 4, capite 2) in qua sic habetur : « Quoties « itaque in aliis parochialibus ecclesiis, quæ, ut præfertur, « unitæ non sint, oportuerit ex aliqua justa causa provideri « per coadjutores parochorum, aut per vicarios temporarios; « curæ erit Episcopis, pro data sibi a Tridentina synodo po- « testate, partem fructuum prædictis coadjutoribus aut vica- « riis assignandam determinare (1). »

Quæstio 3ª . — *Ad quem pertineat determinare, an et quot vicarios adjutores debeat parochus sibi adjungere* ? — Id ad Episcopum pertinere demonstrant hæc Tridentinæ synodi verba: *Episcopi... cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.*

(1) Parochi tot sibi tenentur sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda... Et cum hoc sit proprium eorum onus, ideo *propriis*, non autem alienis pecuniis id implere debent. (Index tomi 24 *Thesauri resol.*, litterat.)

(Sess. 21, c. 4.) Et ne in re omnino certa auctoritatibus aliis deducendis immoremur, adnotabimus dumtaxat, ex ipsa etiam episcopalis muneris natura id invicte colligi. Etenim Episcopo præcipue et principaliter incumbit in tota diœcesi animarum cura. Ipsius proinde officium est providere, ne ullibi fideles convenienti sacramentorum administratione et sacri cultus celebratione destituantur: ergo ad ipsum spectat judicare, an necessarius in qualibet parochia exstet sacerdotum numerus; et huic necessario numero, ubi deerit, supplere Modum autem supplendi determinavit Tridentina synodus citatis verbis, *cogant rectores*, etc. Hinc licet parochus contenderet sufficere sacerdotum numerum, potest Episcopus, si aliter sibi videatur, eum adigere ad alios sibi adjungendos vicarios. Pro quo casu reluctantis parochi Innocentius XIII (in sua constitutione *Apostolici muneris*) procedendi modum descripsit his verbis: *Quod si parochi, ab Episcopis moniti, congruo iisdem termino præfixo, coadjutores sive vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propria deputare, cum assignatione antedictæ portionis fructuum.*

Quæstio 4ª. — *Quamnam jurisdictionem habeant ejusmodi vicarii parochorum adjutores, præsertim quoad assistentiam matrimoniis præstandam?* — 1° Cum ejusmodi vicarii deputari soleant, ut parochum *in administratione sacramentorum* adjuvent, ex ipsa eorum deputatione merito censetur eis concessa facultas *omnia* sacramenta ministrandi, ac proinde pœnitentiæ etiam et matrimonii. Neque ad validam matrimoniis præstandam assistentiam requiritur concessio in scriptis, aut etiam speciali signo expressa; sed potest Ordinarius necnon parochus eam facultatem alicui sacerdoti impertiri per concessionem generalem omnia sacramenta ministrandi.

2° Recipi autem communiter a doctoribus illam doctrinam, satis patebit ex annotatis ab Anacleto Reiffenstuel (in tit. 3, libri 4 decret., n. 83 et seq.) in hunc modum: « Licentia « assistendi matrimonio ab Ordinariis, vel parocho concedi « potest sacerdoti, verbo, vel scripto, aut alio signo, idque spe- « cialiter vel generaliter, generali nempe concessione pera-

« gendi cuncta munera parochialia (Palao... Sanchez... Pon-
« tius... Navarrus...; qui allegant etiam pro conclusione de-
« clarationem Cardinalium). Ratio est quia concilium Triden-
« tinum (sess. 24, c. 1, *de Ref. matrim.*)præcise requirit ut
« licentia concedatur alicui *sacerdoti*; nec addit ut fiat in ver-
« bis, aut scriptis, aut speciali mandato: consequenter gene-
« raliter ac indistincte, prout nempe sub se comprehendit,
« omnes licentiarum species, intelligendum venit... Et ita
« generaliter concessa videtur, quando alicui ab Ordinario
« vel parocho generaliter ac sine exceptione conceditur,aut
« committitur *cura animarum* (Sanchez... et doctores citati).
« Item generaliter concessa censetur licentia assistendi ma-
« trimonio, per hoc, quod ab Ordinario vel parocho alicui
« in genere concedatur *administratio sacramentorum* (Pa-
« lao... Pontius... et alii,contra Sanchez). Ratio est, quia
« generali commissione administrandi sacramenta, censetur
« universim committi cura animarum: consequenter etiam
« potestas assistendi matrimonio, prout patet ex declaratione
« Cardinalium (apud Farinacium, vol. 4, pagina 275) ibi: *Re-*
« *quiritur commissio generalis administrandi sacramenta,*
« *vel si hæc absit, expressa aut specialis licentia.*

« Infertur cappellanos, seu cooperatores parochorum, qui-
« bus ab Ordinario aut parocho in genere committitur *cura*
« *animarum* in aliqua parochia (prout fieri solet in partibus
« Germaniæ), generaliter concessam habere etiam licentiam
« et potestatem assistendi matrimonio; ut proin matrimonia
« coram eis contracta valeant, ac si contracta essent coram
« parocho. »

Hinc in Gallia vicarii parochorum adjutores omnino censendi sunt ea potestate matrimoniis valide assistendi instructi, nisi alicubi ab Episcopo vel parocho generalis eorum deputatio ad sacramenta ministranda *expresse* limitaretur, et necessaria decerneretur quoad matrimonia specialis delegatio.

3° Cum autem delegatus ad generalitatem causarum possit subdelegare ad aliquem particularem casum, sequitur dictos vicarios posse etiam aliquem sacerdotem ad assistendum alicui matrimonio valide subdelegare.

4° Quæ autem diximus intelligenda sunt de matrimoniis pa-

rochianorum, et in parochia celebrandis. Si enim ageretur de matrimoniis extraneorum, vel in aliena parochia celebrandis, nonnullæ occurrunt difficultates, pro quarum solutione ad moralistas et ad tractatus de matrimonio remittimus.

Quæstio 5ª. — *An parochus vicarium suum adjutorem amovere possit, etiam sine causa ab Episcopo approbata?* — Difficilem, meo quidem judicio, quæstionem aggredimur. In qua expendenda ut omnis præcaveatur confusio, prænotandum est hic non agi de vicariis illis amovibilibus, qui a monasterio capitulove, cui annexa fuit cura, et penes quod residet cura *in habitu*, deputantur ad ejusdem curæ exercitium. Hos enim vicarios curatos posse ab ejusmodi monasterio vel capitulo *ad nutum et sine causa* (non tamen ex odio) removeri, tanquam certum tradit, et expresse decisum a Rota refert Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, libro 12, n. 2); et fuit etiam nostra conclusio (supra, parte 3, sect. 4, subsect. 2, cap. 4). Agimus dumtaxat de vicariis qui, parochis residentibus et parochiam actu administrantibus auxiliantur. Posse autem ab Episcopis cogi dictos parochos ad sibi adjungendos tot ejusmodi vicarios, quot necessarii sunt ad sacramenta ministranda et divinum cultum peragendum, decrevit Tridentina synodus (sess. 21, c. 4) : et ad parochos ipsos pertinere horumce vicariorum nominationem (necessaria tamen remanente ex parte Episcopi eorumdem approbatione) supra probavimus. Nunc ergo quæstio est, an ejusmodi vicarius, quem parochus sibi adjutorem nominavit et assumpsit, possit ab eodem parocho removeri *sine causa ab Episcopo approbata*. Ad quam quæstionem sive affirmative, sive negative solvendam, sat solidum fundamentum ego nondum introspicere potui. Quare doctioribus id enucleandum relinquens, subjiciam dumtaxat, tum quæ affirmativæ sententiæ, tum etiam quæ negativæ favere aliquatenus visa sunt.

I. *Pro sententia affirmativa.* — Nempe quod possit parochus vicarium suum, sine causa ab Episcopo approbata, removere : 1° in tomo 3 *Thesauri resolutionum* (pagina 229, edit. *Urbini* 1739), occurrit ipsissima præsens quæstio Sacræ Congregationi Concilii delata, in causa nempe *Toletana*, 15 novembris 1725, quæ sic se habet : « Martinus Clavero

« Corbela, parochus ecclesiæ curatæ Sanctæ Crucis villæ « Matritensis, Toletanæ diœcesis, cœpit possessionem suæ « parochialis ; et in suum adjutorem assumpsit pro exercitio « curæ animarum sacerdotem Joannem Alvarez, ab Ordi- « nario approbatum : et electio et confirmatio expleta fuit sub « litterali conditione, quod esset duratura *ad merum pa-* « *rochi beneplacitum*. Cumque tractu temporis memoratus « Martinus, significatis suo Ordinario causis, quæ ipsum ad « hoc impulerunt, existimaverit alium sacerdotem loco « Joannis susbtituere, habitus fuit a Joanne recursus ad Or- « dinarium, sub obtentu quod sine ulla causæ expressione « fuerat a suo officio remotus ; et institit pro reintegra- « tione. Sed cum in hoc judicio succubuerit et appellationem « interposuerit ad tribunal Nuntiaturæ placuit illius Auditori « decretum ferre in quo demandavit faciendas esse proba- « tiones super causa remotionis.

« Parochus Martinus se reputavit maximopere ab hoc de- « creto gravatum ; cum inusitatum asserat in Hispaniis, quod « parochus, qui aliquem sacerdotem ad suum beneplacitum « assumit pro adjutore in exercitio curæ animarum, non « possit eum removere sine expressione et justificatione « causæ : exhibitoque supplici libello huic Sacræ Congre- « gationi, et ab eadem remisso ad Eminentissimum Cardina- « lem Bellugam, qui dignaretur Sacram Congregationem « instructam reddere et votum suum aperire, Eminentia Sua « *justam existimavit parochi querelam* ; sed eodem contextu « insinuavit, ut in Sacra Congregatione dubium disputaretur « an in similibus amotionibus necessaria sit expressio et « justificatio causæ Si etenim existimabitur non esse neces- « sariam, causa erit terminata : et e contra si necessaria « reputabitur, tunc causæ examen et ejus justificatio erit « assumenda in tribunali Nuntiaturæ.

« Ad materiam magistralis esse videtur *decisio* 53 *coram* « *Peutingero* ; et apud Cardinalem de Luca (*de Beneficiis*, « discursu 80) plures casus distinguuntur ; et numero 16 « firmatur, quod quando vicarii qui assumuntur ad exer- « citium curæ animarum non sunt perpetui et collativi, ha- « bentur tanquam nudi famuli conductitii ad nutum amo-

« vibiles : et contraria (sententia) ad summum procedere « posse videtur, quando ageretur de removendo cappellano « curam animarum exercente, non ad instantiam parochi « deputantis, sed ad instantiam parochianorum de eo con- « querentium, juxta casum in hac Sacra Congregatione dis- « putatum in *Spoletana* (*juris amovendi*, 8 julii 1713, pag. « 280, libri 63 *decretorum*).

« His stantibus dignabuntur Eminentiæ Vestræ decer- « nere : *An parochus in amotione sacerdotis assumpti in « adjutorium pro exercitio curæ animarum, teneatur, ipso « instante, causam amotionis exprimere et justificare.* — « *Ad Dominum secretarium juxta mentem.* »

Si in hac causa Sacra Congregatio respondisset *affirmative* vel *negative*, plene soluta maneret quæstio quam expendimus. Sed Eminentissimi Patres rem committendo Secretario Congregationis expediendam *juxta mentem*, id est, juxta instructionem ipsi datam, et quæ ibi non panditur, nihil ex hac decisione concludi potest. Nihilominus ex ipsa causæ relatione, aliquatenus argui potest, pro parochi potestate suum vicarium amovendi, quin teneatur causam exprimere et justificare, ac proinde sine causa ab Episcopo approbata. Nam ibi dicitur *inusitatum* in Hispaniis, quod parochus non possit vicarium suum amovere *sine expressione et justificatione causæ*. Et Cardinalis Belluga *justam existimavit parochi querelam* Et quæ adnotat Secretarius Congregationis (§ *Ad materiam*), ad firmandum jus parochorum, amovendi sine expressione et justificatione causæ, aperte tendunt. Item Ordinarius in favorem parochi pronuntiaverat. Quibus auctoritatibus postponenda videtur contraria Auditoris Nuntiaturæ sententia.

2° Favent pariter affirmativæ sententiæ canonistæ quamplurimi, dum generaliter dicunt, vicarium seu cappellanum ad nutum amovibilem, posse ad libitum *constituentis* amoveri. Etsi enim de vicariis parochorum adjutoribus *in particulari* non loquantur, eos tamen non excludere, sed includere videntur. « Vicarius temporalis (ait Ferraris) et ad « nutum amovibilis... potest ad libitum constituentis remo- veri » (verbo *Vicarius parochialis*, n. 41). Magis expresse

Scarfantonius : « Posito autem quod aliqua vicaria, sive « etiam aliqua cappellania sit ad nutum amovibilis, potest « *deputans* removere sine necessitate exprimendi causam ; « quæ (necessitas) pugnat cum libera facultate ad placitum « revocandi ; quia hoc importat esse officium de sui natura « amovibile, et cum tali conditione concessum et acceptatum, « ut etiam absque ulla causa possit jam electus revocari, et « alius in ejus locum substitui. » (*Animadversiones ad Ceccoperium*, tomo ultimo, additione 19.)

3° Argui etiam potest *a pari*, ex casu quo animarum cura fuit alicui capitulo vel monasterio adnexa. Tunc nempe capitulum, licet non sit parochus nisi *in habitu*, potest vicarium curatum *amovibilem*, ad curæ exercitium deputatum, removere *sine causa*, prout suo probavimus, et tanquam certum tradit Benedictus XIV (*de Syn. diœces.*, l. 12, n. 2). Ergo *a pari* potestas vicarium suum removendi *sine causa*, ad parochum pertinere censenda est. Imo *a fortiori* id dici posset, cum parochus non tantum habitualem, sed et actualem cucuram habeat et ad ipsum, non minus quam ad capitulum, pertineat vicarium suum sibi eligere et nominare.

Hæc pro sententia affirmativa. Ast in contrarium, quod nempe nequeat parochus vicarium suum removere *sine causa ab Episcopo approbata*, nonnulla, etiam afferri possunt documenta.

II. *Pro sententia negativa.* In causa *Lunensi-Sarzanensi* (2 septembris 1747, tomo 16 *Thesauri resolutionum*) sic habetur : « Duo sunt oppida in diœcesi Sarzanensi uni sub- « jecta parocho : alterum *Folli*, alterum *Bastremoli* nuncu- « patur... Veteri consuetudine usuque longævo receptum est, « ut parochus oppidum Folli incolat, in altero Bastremoli « oppido cappellanum curatum retineat. Venit in mentem pa- « rocho cappellanum hunc removendi. Sed obstitit cappella- « nus ipse : obstitere homines *Bastremoli*, negantes parocho « hoc jus, nulla reddita causa, et sine cognitione Episcopi ; « etiam contendentes non posse eum parochiales functiones « exercere in eodemoppido... Dubia duo proponuntur : I. An « liceat parocho *Folli* ad arbitrium removere cappellanum cu- « ratum a terra *Bastremoli*, ab ipso nominatum, etiam abs-

« que causa ab Ordinario cognoscenda. II. An liceat eidem pa-
« rocho Folli ad sui libitum explere omnes functiones paro-
« chiales in ecclesia et in dicto loco Bastremoli, ibique ad
« sui libitum residere, — ad I negative, — ad II dilata et
« scribatur Episcopo juxta instructionem. »

In causa *Nullius Farfensis* (15 julii 1791, tomo 60 *Thesauri resolutionum*) agitur de cappellano, ad nutum cujusdam confraternitatis amovibili. Is cum fuisset ab illa confraternitate remotus, cappellaniæ suæ restitutus fuit, decisione Sacræ Congregationis 6 augusti 1791. Atque in illa causa sic adnotatum reperio : « Removeri nequit sine justa
« et rationabili causa cappellanus *simpliciter amovibilis* (Pi-
« tonius, *de Controv. patron.*, allegatione 100, in supplem.,
« n. 42) : non item amovibilis *ad nutum*, secundum eum-
« dem Pitonium (alleg. 88, n. 1), Ferraris (verbo *Cappellanus*
« in addit., n. 1). »

De cappellano (ait Ferraris), qui ad vitandam dismembra-
« tionem parochiæ, solet constitui ad coadjuvandum paro-
« chum, quæritur etiam utrum sit perpetuus, an amovibilis?
« esse amovibilem, *ex justa tamen causa,* definivit Rota (in
« *Bononiensi amovibilitatis cappellani*, 31 januarii 1727,
« coram Corio) ; ubi quod si cappellanus hic initio suæ posses-
« sionis acceptasset conditionem amovibilitatis ad nutum, pos-
« set ad nutum amoveri. » (Ferraris, voce *Cappellanus*, n. 41).

In quadam causa *Romana* (*suspensionis onerum*, 28 martii 1801, § *Quatenus*, tomo 67 *Thesauri resolutionum*), sic reperitur annotatum : « Sunt porro qui arbitrantur, libere di-
« mitti posse cappellanos ad nutum amovibiles ; ut Pitonius
« (*de Controv. patron.*, allegatione 88, n. 1.), Ferraris (verbo
« *Cappellanus* in addit., n. 1) et Cardinalis de Luca *de Be-*
« *neficiis*, discursu 80. n. 5). Æquiori tamen sententia re-
« quirit Sacra hæc Congregatio justam et rationabilem eo-
« rum dimissionis causam ; qua deficiente, non raro redin-
« tegravit dimissos ; et præsertim in *Nullius Farfensis*, cap-
« pellaniæ, 6 augusti 1691... Notari posset, quod dimissio
« supponit culpam in dimisso. »

In alia causa *Romana* (26 martii et 23 aprilis 1736, tomo 7 *Thesauri resolutionum*), ad dubium : « I. An cappellani no-

« minati vel nominandi pro celebratione quinque missarum « perpetuarum removeri possint tantum cum causa, sive po- « tius in quocumque casu renovationis illorum, ad quos « pertinet nominatio, etiam absque causa. » — Sacra Con- « gregatio respondit : Ad *primum,* affirmative quoad primam « partem, et negative quoad secundam. »

His in utramque partem adductis, an tribuenda, an deneganda parocho de jure communi potestas, vicarium suum removendi *sine causa ab Episcopo approbata,* expendendum relinquo doctioribus, quibus forte nota erunt aptiora ad concludendum documenta.

Quæstio 6ª. — *An possit Episcopus vicarios parochorum adjutores sine causa removere?* — Certum est posse eos, sicut et cæteros clericos, ab Episcopo ob culpam gravem suspendi, et sic removeri. Quam suspensionem posse ab Episcopo extrajudicialiter, seu ex informata conscientia, ob crimen occultum decerni, pariter extra omnem controversiam est.

Ad quæstionem autem num possit Episcopus eos *ad libitum ac sine causa* removere, sic respondendum videtur :

1° Si agatur de vicario curato amovibili, deputato a capitulo cui annexa est cura, pluries decisum est, eum esse quidem ad placitum capituli revocabilem ; ab Episcopo autem removeri non posse, nisi ex causa, ob quam (etiamsi foret perpetuus) removeri posset. (Vid id probatum supra, parte 3, sect. 4, subsect. 2, cap. 4.)

2° Quod autem attinet ad vicarios de quibus hic agimus, qui nempe parocho residenti et curam exercenti auxiliantur, non videtur concordare posse potestatem Episcopi eos revocandi *sine causa,* cum potestate parochi eosdem sibi eligendi et nominandi, quam parochis supra (parte 4, capite 2) attribuimus. Nam potestas hæc parochi evaderet chimerica ; siquidem quoties aliquem sibi assumpsisset parochus in vicarium, statim posset Episcopus eumdem sine ulla causa removere. Et sic revera non competeret parocho dicta potestas suum nominandi vicarium. Nec dicatur idem posse Episcopum recusando approbationem, quæ certo necessaria est. Nam vicario, quem sibi elegit parochus, debetur approbatio, si nulla adsit rationabilis causa eam denegandi ;

unde si, ex denegata pluribus successive a parocho præsentatis approbatione, appareret id sine causa fieri, daretur contra Episcopum apud superius tribunal actio.

3° Si ergo admittatur ut certa potestas parochi vicarios suos adjutores sibi libere assumendi, ab Episcopo tamen approbandos, consequens est, ut nequeat Episcopus eos *sine causa removere*.

§ V.

Quomodo ex statu præsenti ecclesiarum Galliæ sequi necessario videatur, vicariorum parochis auxiliantium nominationem et remotionem, ad Episcopos, non autem ad parochos, hodie in ea regione pertinere.

Notæ sunt difficultates, quæ ab ineunte sæculo decimo nono ad hunc usque diem obstitere, ne in ordinandis clericis servari potuerint juris communis, quoad ordinationum titulos, dispositiones. Feliciter quidem, favente Deo, et procurante præsulum zelo, frequens confluxit in seminaria juventus ; atque inde ortus quem videmus, sanctuarii ornamentum et Gallicarum ecclesiarum robur, eximius clerus. At ex iis juvenibus, qui quotannis ad sacram accedunt ordinationem, legitimo plerique patrimonii titulo destituuntur. Aliunde in singulis diœcesibus pauci dumtaxat canonicatus, parochiæ paucæ, quæ pro beneficiis haberi possint. Quæ certe rara beneficia non decet junioribus ordinandis conferri in titulum; sed præcipuis et benemeritis e clero viris destinari. Imo ex concordato Pii Papæ VII necesse est ad ejusmodi munia eos nominari, qui gubernio sint accepti ; nec acceptum haberet sæcularis potestas, in parochum, juvenem nondum ordinatum, quem vellet Episcopus ad parochiæ titulum ordinare. Hinc in Gallia ingens hodie presbyterorum numerus absque ordinationis titulo, ex dispensatione, ordinatorum. Et his quidem suus non deest cuique in vinea Domini exaranda locus. Atvero si parochorum vicarii, qui exstant in Gallia quamplurimi, a parochis ipsis pro nutu assumerentur et removerentur, frequenter contingeret aliquem presbyterum omni prorsus ecclesiastico munere, atque adeo sustentatione

omni carere. Id olim contingere nequibat ; siquidem vicarius a parocho remotus, utpote qui debuerat ad titulum vel simplicis beneficii, vel patrimonii, ordinari, suum adhuc, relicto vicariatus munere, retinebat beneficium vel patrimonium. Hinc ex ipsa dictum præcavendi incommodum necessitate consequitur, ut penes Episcopum esse debeat vicarios illos nominare et revocare, necnon pro opportunitate ad alia munia transferre. Quod quidem, etsi per se contra jus commune sit, vi tamen dictæ necessitatis ad jus commune reduci *videtur* ; siquidem summum commune jus necessitas.

Hactenus in prima hujusce tractatus editione. Nunc vero meam illam conclusionem fidentius propugnabo, quia supervenit sacræ congregationis Concilii de ipsissima ista quæstione responsum.

Nimirum hodiernus Aturensis (d'Aire) Episcopus sic dubium proposuerat :

An nominatio vicariorum, a fortiori cappellanorum, prout res nunc se habent in Gallia et eorum stipendia componuntur, exclusive pertineat ad parochum ?

Porro præfatus præsul, in sua circulari, 22 février 1865, asserit sibi responsum fuisse in hunc modum.

De jure spectare ad parochum, cum approbatione Episcopi. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in cæteris Galliarum diœcesibus obtinentem, usquedum aliter fuerit a Sancta Sede declaratum.

Ergo usum in Gallia universaliter inductum, ut dicti vicarii, non a parocho, sed ab Episcopo nominentur, non tantum licitum, sed et *servandum* censet Sacra Congregatio concilii, donec aliter Apostolica Sedes declaraverit. (Vide, *Revue des sciences ecclésiastiques*, mars 1865, p. 272).

CAPUT II.

DE CAPPELLANIS MONIALIUM.

1° Cappellanus monialium maturæ ætatis esse debet (de quo vide juris textus a Ferrario indicatos, verbo *Cappellanus monialium*, n. 1).

2° Non obstante quod moniales jus habeant suum nominandi cappellanum, potest illum Episcopus ex justa causa rejicere, puta si sit junior. Ita declaratum fuisse a Sacra Congregatione Episcoporum, in *Bononiensi* 31 maii 1602, et 20 novembris 1605, asserit Ferraris (loco cit., n. 2).

3° Si Episcopus ipse dare velit monialibus cappellanum juvenem, potest abbatissa illum non recipere. Ita declaratum a Sacra Congregatione Episcoporum, in *Messanensi* 10 decembris 1602, vide apud Ferraris (loco cit., n. 3). Si tamen deficerent ætate provecti, posset junior, cæteroquin gravitate morum idoneus, nominari, et deberet recipi.

4° Removendi sunt cappellani monialium si contrahant cum monialibus amicitias, eisve mittant munera; vel si sese ingerant ultra eorum officium. Id (loco cit., n. 5) firmat Ferraris variis Sacræ Congregationis Episcoporum declarationibus.

5° Regulares esse nequeunt cappellāni monialium, nisi forte desint presbyteri sæculares qui munus illud obeant. Ita declaratum a dicta Sacra Congregatione vide apud Ferraris (ibid., n. 6.)

6° Cappellani monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui. Sacra Congregatio Episcoporum, in *Brixiensi* 18 julii 1692. (Ferraris, ibid., n. 7).

7° Quando moniales sunt exemptæ a jurisdictione Ordinarii, et subjectæ regularibus, earum cappellanus approbatur a superiori regulari. Constat ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii, in causa *Hieracensi, visitationis*, 26 januarii 1692, ad 9; et ita tenet Monacelli (tomo 1, tit. 2 formula 23. n. 4). Cæteri autem presbyteri sæculares, præter approbatum a superiori regulari, etsi vocentur a monialibus

exemptis pro celebratione missarum, possunt ab Episcopo prohiberi ne accedant. Ex responso ad dubium VII, in modo dicta causa Hieracensi.

8° Cappellani monialium exemptarum, amoveri non debent ab Episcopo sine causa. (Ita declaratum a Sacra Congregatione Episcoporum testatur Ferraris, loco citato, n. 15.)

9° Cappellanus monialium exemptarum, excluso parocho, omnia sacramenta, etiam in articulo mortis, ipsis administrat; ita ut loco parochi quoad ipsas habeatur. (Tamburini, *de Jure abbatum*, disput. 36, quæsit. 4; Pellizzarius, *de Monialibus*, c. 7, quæst. 8, n. 15).

Et etiam quoad moniales non exemptas solent Episcopi cappellanum deputare, qui omnia sacramenta, etiam in articulo mortis, eis ministret. Seclusa tamen consuetudine, pertinere ad parochum monialibus non exemptis viaticum et extremam unctionem ministrare, vide apud Ferraris (loco cit., n. 18).

10° Cappellanus monialium potest missam celebrare de de sancto, cujus officium ab ipsis monialibns celebratur in choro, adhibito tamen missali romano ; in quo si missa particularis de eo sancto non adsit, erit e *communi* desumenda. Ita declaravit Sacra Rituum Congregatio in *Austriæ Æniponti*, 22 decembris 1612. At contrarium *quoad officium* declaravit eadem Sacra Congregatio, *Conimbricensi* 21 martii 1795.

11° *Responsa Sacræ Congregationis Concilii ad Aturensem Episcopum.*

Dubium. — An parocho liceat inquietare cappellanos, imo et mulieres in communitate religiose viventes, ex eo quod illi impleant et hæ recipiant ministerium ab Episcopo demandatum, sine approbatione et contra voluntatem parochi?

Responsum. — Negative.

Dubium. — An in dictis capellis (publicis) celebrare liceat unam aut alteram missam, lectam sive cantatam, de consensu Episcopi, diebus dominicis et festivis?

Responsum. — Affirmative.

Dubium. — An pro his missis convocationem facere liceat pulsatione campanæ, invito parocho et approbante Episcopo?

Responsum. — Affirmative.

Dubium.— An dies Natalis Domini, expositio quadraginta horarum, hebdomada sancta sint tam stricte de juribus parochialibus, ut nihil statuere valeat Episcopus in favorem communitatum?

Responsum. — Negative in omnibus.

Dubium. — An jus habeat parochus curare de brevitate aut de solemnitate officiorum quæ fiunt ex ordinatione Episcopi, in cappellis publicis?

Responsum. — Negative.

Dubium.— An diminutio, si quæ fit, laboris, etiam oblationum de qua queritur parochus, ratione frequentationis cappellarum publicarum necessitatem imponat Episcopo, eas interdicendi parochianis?

Responsum. — Negative.

Dubium. — An in communitatibus mulierum religiosarum possit Episcopus permittere cappellano ministrare viaticum et extremam unctionem personis internis quæ, cum eum habeant in vita confessorem, et eum cupiunt habere solatorem in articulo mortis? is mos ubique in Gallia viget.

Responsum. — De jure non posse, nisi prius declarata exemptione communitatis a juris dictione parochi. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in aliis Galliarum diœcesibus obtinentem donec aliter a Sancta Sede fuerit statutum.

Dubium. — An oblationes et eleemosynæ quæ de more fiunt in capellis communitatum debeantur parocho?

Responsum. — Negative.

Nota. — Dubia hæc et responsa desumpsimus e circulari, die 22 februarii 1865, ab Episcopo Aturensi edita.

CAPUT III.

DE CAPPELLANIS MILITUM.

« I. Si milites in castris aut papilionibus existentes non « habent cappellanum castrensem, pro *animarum cura* eo- « rumdem a Sede Apostolica deputatum, vel ab Ordinario, « in cujus diœcesi existunt, approbatum, vagis annume-

« rantur. Consequenter eorum parochus erit ipse parochus « loci, in quo pro tempore existunt. Conclusio patet ex dic- « tis: cum enim milites in castris existentes, nec verum nec « quasi-domicilium habitationis habeant (tales autem revera « vagi sint), consequens est quod parochus eorum proprius « sit loci, in quo pro tempore existunt. » (Reiffenstuel, in tit. 3, libri 4 decret., n. 94.)

II. « Si milites habent curionem seu cappellanum castren- « sem, præditum speciali facultate Apostolicæ Sedis, vel « approbatione et licentia Ordinarii, in cujus diœcesi illos « exstare contigerit, poterit hic eisdem sacramenta adminis- « trare; ac etiam matrimonio eorum assistere juxta *teno- « rem facultatis* concessæ a Sede Apostolica, vel ab Ordi- « nario diœcesis, in qua pro tempore milites existunt: ita « ut, si hæc non tantum pro *castris*, sed etiam pro *præsidiis* « sonet, utrobique matrimonio assistere valeat: si autem « tantum pro uno aut altero loco vel tempore concessa in- « veniatur, eidem se accommodare debeat. Patet conclusio: « cum enim, non tantum Pontifex, sed et Ordinarius alicui « sacerdoti (alias non parocho) dare possit licentiam assis- « tendi matrimonio (textu claro concilii Tridentini, sess. 24 « *de Ref.*, ibi: *Seu Ordinarii licentia*), manifeste patet, « quod si hic vel ille eam dat, et prout dat, taliter, et non ali- « ter, eadem frui valeat cappellanus castrensis. » (Reiffens- « tuel, ibid., n. 95.)

« III. Si curiones seu cappellani castrenses non habent « specialem facultatem a Sede Apostolica, vel expressam « licentiam et approbationem ab Ordinario, in cujus diœcesi « pro tempore existunt, tunc nec in castris, nec in præsidiis « seu quartieris matrimonio militum valide assistere possunt. « Hæc conclusio, licet olim multum hinc inde disputata et « controversa fuerit, tamen hodie certa est, ob declaratio- « nem Cardinalium repetitis vicibus, et novissime editam, « 29 januarii 1707, ad interrogationem Reverendissimi Or- « dinarii Frisingensis, quæ in forma authentica exhibita ita « sonat: *Cum occasione transitus, aut stationis hybernæ in « diœcesi Frisingensi, prætendant cappellani exercituum, « eorum militibus sacramenta administrare, in locis ubi per-*

« *manent absque licentia parochi, ac illorum matrimoniis as-*
« *sistere absque præviis denuntiationibus, et contra disposi-*
« *tionem Sacri Concilii Tridentini jam recepti in dicta diœce-*
« *si; Episcopus... supplicat declarari, an prædicti cappellani*
« *id peragere possint.— Die 29 januarii 1707 Sacra Con-*
« *gregatio Eminentissimorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*
« *Cardinalium Tridentini interpretum censuit, dandum*
« *esse decretum, alias hac de re editum, et signanter sub*
« *die 6 martii 1694, tenoris sequentis, videlicet : — 1° An*
« *cappellani cujuscumque exercitus, sive regulares, sive sæ-*
« *culares catholici, possint administrare militibus in præsi-*
« *diis degentibus sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ et*
« *extremæ-unctionis, sine speciali facultate Sedis Apostolicæ,*
« *vel licentia et approbatione Ordinarii, in cujus diœcesi*
« *exstare contigerit ? 2° An assistere matrimoniis militum*
« *cujuscumque nationis, degentium in præsidiis, cum mili-*
« *taribus fœminis, sine dicta facultate Apostolica, et præce-*
« *denti probatione liberi status, ejusque recognitione coram*
« *Ordinario loci, et licentia parochi, sub cujus parochia ma-*
« *neant? 3° An idem cum militibus degentibus in castris et*
« *stationibus hybernis vel æstivis? 4° An idem cum militi-*
« *bus in actuali expeditione positis? 5° An idem cum mili-*
« *tibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, sed*
« *Italis, originariis loci seu diœcesis in qua reperiuntur ?*
« *— Sacra Congregatio, ad primum, secundum, tertium,*
« *quartum et quintum respondit negative.* » (Reiffenstuel, loco citato, n. 96 et 97.)

IV. Ex præmissis educit Reiffenstuel plura consectaria in hunc modum : « Infertur 1° quod in causa controversiæ aut
« dubii, an cappellani castrenses valide assistere valeant,
« vel valide adstiterint matrimonio militum, tam parochus
« quam Ordinarius indagare possint ac debeant, et videre,
« an et qualem habeant facultatem aut licentiam a Sede
« Apostolica, vel ab Ordinario concessam, et juxta tenorem
« illius judicare. Infertur 2° quod, etsi cappellanus castren-
« sis habeat licentiam ab Ordinario unius diœcesis, vi hujus
« non possit assistere matrimonio suorum militum, si in
« aliena diœcesi illos exstare contigerit, prout expresse patet

« ex declaratione, vi cujus cappellanus castrensis ad valide « assistendum matrimonio habere debet vel facultatem Apos- « tolicam, vel licentiam et approbationem Ordinarii, in cu- « jus diœcesi exstare contigerit. Infertur 3° sublatam esse « illam controversiam et differentiam, quid de jure in *castris*, « et quid in *præsidiis* seu quartieris valeant; quia juxta « allegata *nullibi* quidquam valent, nisi quantum et qualiter « Papa vel Ordinarius concedunt. Infertur 4° quod si cap- « pellani castrenses ab Ordinario unius vel alterius diœcesis « licentiam habeant, exercitum autem ad aliam diœcesim « venire contigerit, ab Ordinario talis diœcesis licentiam pe- « tere, vel ab assistentia matrimoniali abstinere, eamque « parocho loci relinquere debeant, sive dein in præsidiis, « sive in castris exstent milites. » (Reiffenstuel, loco citato, n. 98, 99, 100 et 101.)

V. Remanet solvenda quæstio, num dicti cappellani facultates, pro exercenda cura circa milites, recipere possint a majori cappellano, seu magno eleemosynario regis seu imperatoris ? Et respondendum negative, nisi id expresse statuerit Sedes Apostolica, tradit Ferraris, in hunc modum : « Cappellani militum, seu missionarii exercitus, vel castren- « ses, in casibus in quibus non adsit breve Apostolicum ali- « ter disponens, debent approbari ab Ordinario loci, non « autem a capellano majori regio(*le grand aumônier*). Imo « dato quod adsit breve Apostolicum, est bene et caute per- « pendendum, an fuerit personale concessum alicui regi, « vel limitatum pro aliquo regno, quia nequit extendi : prout, « si in brevi fiat mentio de militibus in præsidio, non ex- « tenditur ad milites in bello, et e contra ; cum in hujus- « modi materia sit stricte facienda interpretatio. Et de fac- « to proposito dubio in Sacra Congregatione (in *Mazariensi*, « *facultatis approbandi confessarios*) *an approbatio confes- « sariorum, pro sacramentalibus militum confessionibus au- « diendis, pertineat ad cappellanum regium, vel ad Ordi- « narium loci;* die 22 martii 1687 respondit, *pertinere ad « Ordinarium loci*; quia breve, quod aderat respectu regis « catholici, videbatur ex variis circumstantiis non extendi « ad regna extra Hispanias. » (Ferraris, verbo *Cappellanus*

« *militum*, n. 1.) Atque ibidem citatus auctor plures me-
« morat Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium
« declarationes, quibus hæc doctrina confirmatur. Vide
« etiam, quoad illam quæstionem de cappellanis militum,
« Cardinalem Petra (in constitutionem 12, Innocentii III,
sect. 1, n. 14 et seq., tomo 2, pag. 190, edit. Venet. 1741),
qui plures refert hac de re Sacræ Congregationis Concilii
declarationes.

Nota. — De majori cappellano (grand aumônier) vide in tractatu *de Episcopo,* (tomo 1, pag. 519 et seq.).

CAPUT IV.

DE CAPPELLANIS HOSPITALIUM

Quæstio 1ª, — *Qua de causa inductum sit, ut cappellani hospitalium sint quasi-parochi, id est, ut possint ministrare etiam viaticum et extremam-unctionem, et tumulare?* — « Jus parochiale consistit in mutua et reciproca necessitate
« super administratione, ac respective receptione sacra-
« mentorum ; quod scilicet parochus quamvis invitus te-
« neatur subministrare sacramenta et funera parochianis;
« qui, licet inviti, ab eo recipere teneantur. « (Cardinalis de Luca, *de Parochis,* discursu 23, n. 8.) Confluentes autem ex variis parochiis ad aliquod hospitale ex hac accidentali et transitoria domicilii mutatione non cessant esse suis respective parochis subditi ; prout citato loco sic adnotat laudatus de Luca : « Causativa seu accidentalis mutatio domi-
« cilii, absque animo deserendi primum et acquirendi se-
« cundum, non facit cessare jurisdictionem proprii parochi,
« neque illam inducit in eo, intra cujus parochiæ limites hu-
« jusmodi accidentale seu causativum domicilium habea-
« tur. » Hinc, si jus parochorum permaneret quoad infirmos in hospitali degentes, pro administratione viatici et extremæ-unctionis, necnon pro celebrando funere, vocandi forent pro singulis infirmis respectivi eorum parochi. Id autem non tantum magnam confusionem induceret, sed insuper in detrimentum animarum cederet; siquidem frequenter

contingit ex improviso et de nocte ministranda esse sacramenta, et moribundis assistendum. Gravissimis ergo de causis, et ex quadam veluti necessitate inductum est, ut pleraque hospitalia a dicta parochorum jurisdictione eximerentur; et cappellanus, quoad infirmos, cæterosque ipsis inservientes, proprius veluti parochus constitueretur. Nec conqueri merito possunt, sive parochus intra cujus territorium exstat hospitale, sive alii; quia licet hoc modo nonnulli eorum subjecti (pro eo tempore quo in hospitali degunt) ab ipsorum jurisdictione subducantur, vicissim ipsi gravi onere eximuntur eisdem sacramenta ministrandi, et in extremo versantibus assistendi, necnon defunctos sepulturæ mandandi. Quod eximie sic adnotat (citato discursu de *Parochis*, n. 11) Cardinalis de Luca, loquens de privilegiis Apostolicis, quæ hancce exemptionem a parochorum jurisdictione hospitalibus conferunt: « Merito per Sedem Apostolicam omnibus « fere hospitalibus, præsertim magnarum civitatum concessa « sunt, tum ob cessantem rationem laboris et incommodi, « ut supra; tum etiam ob magnam confusionem alias resul- « tantem circa sacramentorum administrationem, quam « frequentius ex improviso et quacumque hora, etiam de « nocte, facere oportet, si pro singulis infirmis diversarum « parochiarum, etiam distantium, convocare oporteret pro- « prios parochos; quod esset impracticabile.

Quæstio 2ª. *Quotuplici modo contingere possit ut dicta quasi parochialis jurisdictio hospitalium cappellanis competat?* — 1° Id contingere potest per privilegium Apostolicum; et hoc modo quamplurima hospitalia hodie in multis regionibus (prout olim etiam in Gallia) cappellano suo, non autem parocho, subjiciuntur quoad animarum curam.

2° Id etiam consuetudine induci potest. « Præsupposita « consuetudine (ait Pignatellus, tomo 9, consultatione 152, « n. 17), dixit Sacra Congregatio, posse proprium sacerdo- « tem hospitalis, ab Ordinario approbatum, pauperibus ibi « degentibus sacramenta ministrare, ibique eosdem sepe- « lire, absque interventu parochi. »

3° Ubi non intervenit privilegium Apostolicum, nec consuetudo, id induci potest et solet ex dispositione Ordinarii,

cappellanum cum dicta quasi parochiali jurisdictione deputantis. Etenim quando primum fit ejusmodi cappellani deputatio ad alicujus magni hospitalis spiritualem curam, nullus reclamare solet parochus. Et stulte reclamaret. Nam reclamantem parochum posset cogere Ordinarius, ut sibi ad id muneris aliquem adjungeret adjutorem vicarium, et de fructibus parochiæ huic vicario congruam solveret; si quidem per se parochus nequit in hospitali (prout oportet) diu noctuque degere et infirmis qualibet hora præsto esse, ac simul cæteram suam parochiam diligenter curare. Præterea, parochus intra cujus fines exstat hospitale, non posset (ex dictis supra) reclamare, nisi quoad infirmos parochiæ suæ : et idem dicendum de cæteris civitatis parochis. Ac proinde tot in hospitali degere deberent parochi, aut parochorum vicarii, quot ibi degere solent variarum parochiarum infirmi. Id vero, sicut ex confusione nocivum, et vix in praxi possibile, ita parochis summe onerosum foret. Hinc cum nulla intervenire soleat parochorum oppositio, nullius parochi jus læditur, et inducitur laudabilis consuetudo, vi cujus in posterum hospitalis cuilibet pro tempore cappellano quasi-parochialis jurisdictio competat.

Excipi forte posset alicujus parvi oppidi hospitale, in quo non nisi pauci unius parochiæ infirmi admitterentur, et in quo facile posset parochus proxime degens per se vel vicarium suum, ægrotis præsto esse et sacramenta ministrare. Tunc enim ejusmodi hospitalis a jurisdictione parochi substractio, utpote jurium parochialium aliquatenus læsiva, videretur óppugnari posse.

4° Hodie in Gallia dubium non est xenodochiorum cappellanis competere dictam quasi-parochialem jurisdictionem, tum ob præfatam consuetudinem, quæ jam a multo tempore invaluit, tum etiam ratione inductæ a Gubernii hac de re legibus necessitatis. Etenim solvit quidem Gubernium certam ad cappellanum sustentandum pensionem, atvero non sineret singulos infirmorum parochos, eorumve vicarios promiscue curam ibi exercere. Unde cum hisce civilibus dispositionibus præpediantur parochi ne officium suum quoad parochianos in hospitali degentes explere valeant, injuste et nulliter quere-

rentur, quod Episcopus ibi cappellanum ad curam exercendam deputet. Et sic non tantum in erectis jamdudum hospitalibus acquisitum est cappellano vi consuetudinis dictum jus quasi parochiale, sed et in erigendis, ob aliam modo expositam rationem.

Quæstio 3ª. — *In quo stet, seu ad quænam extendatur dictorum cappellanorum quasi-parochialis jurisdictio.* — 1° Ejusmodi cappellani non stricte parochi vocandi sunt, sed *quasi-parochi*: item illa hospitalia, non parochiæ, sed *quasi-parochiæ*. « Quamvis hospitale (ait Cardinalis de Luca) sapere « videatur quamdam speciem parochiæ quoad infirmos ibi « viventes et morientes quorum parochus dicitur ille sacerdos « vel cappellanus, qui pro ejusdem hospitalis servitio est de- « putatus, attamen dicitur quoddam jus parochiale improprium « et cum quadam jurisdictione in personas absque territorio; « seu verius juxta illam impropriam territorii separationem, « quæ ad hunc effectum consideratur in monasteriis et con- « ventibus regularium. » (*De Parochis*, discursu 23, n. 15.)

« Hujusmodi hospitalia habentia proprios sacerdotes et cap- « pellanos legitime approbatos ac deputatos ad ministrandum « sacramenta infirmis, pro istis tantum, ac pro eis ministran- « tibus qui intra eorum septa vivunt, constituunt quamdam « impropriam parochiam, atque quoddam improprium terri- « torium separatum. (Ibid., n. 12.)

2° Parochus aliquo sensu retinet jurisdictionem in ejusmodi hospitalium ecclesiis; quod sic exponit Leurenius (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 447, n. 2) : « Quin imo in istis... hospi- « talium ecclesiis (1) adesse dicitur jurisdictio Ordinarii vel « parochi, in concernentibus curam animarum, et administra- « tionem sacramentorum, non quidem in ratione ipsius loci « materialis, aut personarum ibi viventium, sed ratione cleri « vel populi subditi Ordinario, vel respective parocho, ad « talem ecclesiam confluentis : in quantum nimirum in iis, « invito parocho, exerceri nequeunt jura parochialia cum « parochianis. »

(1) Loquitur de ecclesiis exemptis; sed *a fortiori* verum est de cæteris.

3° Ad quænam præcise se extendat dictorum cappellanorum quasi-parochialis jurisdictio, sic determinat Cardinalis de Luca: « Dictum vero jus parochiale rectoris hospitalis, « vel sacerdotis ibi deputati, admittendum venit quoad ea, « quæ infirmis viventibus vel morientibus in hospitali con- « grua sunt, et in quibus militet dicta ratio confusionis et « impraticabilitatis: circa scilicet sacramenta pœnitentiæ, « Eucharistiæ ac extremæ-unctionis, necnon circa tumulati- « onem: non autem circa sacramentum matrimonii, cum ad « hunc effectum major jurisdictio, seu juris parochialis forma- « litas requisita videatur. » (*De Parochis*, discursu 24, n. 18.)

4° Ad matrimonia quod attinet, dubium habet Benedictus XIV, num ab hospitalis cappellano peragi valide possint. « In xenodochiis (inquit) aliquando matrimonia ineunda sunt « ab iis, qui in gravi vitæ periculo versantur, ut æternæ sa- « luti prospiciant... Atvero quisnam eligi debeat, quo præ- « sente matrimonia in xenodochiis peragantur, inter cappel- « lanos, et parochos in quorum ditione sita sunt xenodochia, « magno studio contenditur. » (Institutione 33, 13.) Qua stante controversia, sic laudatus auctor, Bononiensis tunc Archiepiscopus, quoad suam diœcesim decreverat: « Itaque « præcipimus, ut quoties hæc eveniant, statim nos de more « certiores faciant, ut statuamus qui matrimonio celebrando « intersit, ac diligenter caveamus, ut necessarium hujus rei « monumentum in actis descriptum conservetur. » (Loco citato.)

5° Videtur ab hospitalium cappellanis ministrari posse baptisma, infantibus ac etiam adultis in hospitali degentibus, itemque infantibus expositis. Sic enim Episcopus Aturensis (d'Aire) sacram Congregationem interrogaverat: *An expediat abrogare usum jamdiu usurpatum, quo infantes expositi baptizantur in xenodochiis*? Responsum est: *Negative, dummodo adsint in xenodochiis cappellani ad id deputati*- in circulari epistola præfati Episcopi, 22 februarii 1865).

II.

Formularum ad rem parochialem spectantium collectio.

Gratum episcopalium curiarum officialibus, et ad illustrandas quasdam hujus tractatus quæstiones non inutile existimavimus, hic pro coronide subnecti præcipuas de re parochiali formulas. Eas autem omnes ex monacello desumpsimus.

I.

FORMULA ERECTIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS.

N., Episcopus N. — *Cum in visitatione nuper per nos facta, invenerimus, in loco N. non adesse Ecclesiam parochialem, in qua Christi fideles ibidem commorantes sacramenta recipere, et monita salutis audire possint, sed promiscue per simplices presbyteros non certos, nec proprium parochum, cum animarum discrimine et periculo, audiverimus (1) : Propterea gregis nobis commissi saluti consulere, et malis, quæ ex pastoris deficientia occurrere in dies solent providere volentes, attenta præsertim hominum dicti loci humili instantia et supplicatione pro erectione parochialis, ac obligatione per eosdem in actis nostræ curiæ solemniter facta (cum nec per substractionem reddituum matricis, nec per unionem beneficiorum de dote providere valuerimus)*

(1) Truncam eam phrasim transcripsi, prout est in editione qua utor, *Venetiis* 1751 ; præ manibus in præsentiarum non habens castigatiorem textum.

solvendi certam pecuniarum summam, et tradendi certam frumenti, et vini quantitatem pro unaquaque familia parocho pro tempore eligendo, ut commode sustentari possit, donec de congrua aliunde provideatur; invocato Domini nostri Jesu-Christi nomine, ejusque matris semper Virginis Mariæ, ecclesiam loci N. sub invocatione sancti N. hujus nostræ diœcesis, nostra authoritate ordinaria, et omni, etc.; tenore præsentium in parochialem erigimus, et erectam volumus, et declaramus; in eaque postquam de decenti tabernaculo, et de aliis necessariis ad conficienda sacramenta provisum fuerit, prout in visitatione provideri mandavimus; sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad altare majus, fontem baptismalem, olea sacra, et alia, quæ ad ecclesiam parochialem pertinent retineri, et custodiri mandamus. Ecclesiæque prædictæ sic in parochialem erectæ jura omnia, et privilegia, quæ parochialibus de jure competunt concedimus, et illis gaudere debere decernimus, cum assignationibus et proventibus, a præfatis parochianis promissis, ac aliis obventionibus, eleemosynis, et obligationibus universis, certis et incertis, curæ a sacris canonibus concessis et permissis. Ipsamque ecclesiam parochialem nulli juris patronatus servituti subjectam esse, sed ad liberam nostram, et successorum nostrorum collationem et provisionem, servata forma sacri concilii Tridentini, spectare et pertinere decernimus. — Ut autem præfata ecclesia parochialis de novo erecta de idoneo rectore provideatur, qui populo in divinis, et animarum cura regenda præsit, et missas diebus festivis pro ovibus suis celebrare, sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ ministrare, necnon in eadem ecclesia matrimonio parochianos conjungere, ac rudimenta fidei edocere debeat, et teneatur, dilectum nobis in Christo N. presbyterum, per Nos et examinatores nostros synodales tanquam habilem et idoneum repertum præficimus, illique curam, regimen, et administrationem sacramentorum committimus, ac eidem de præfata ecclesia parochialiter noviter erecta collationem facimus, et providemus. — Mandantes, etc. — In quorum, etc. — Datum, etc. — N., Episcopus N. — N. Cancellarius episcopalis.

§ II.

FORMULA ERECTIONIS NOVÆ PAROCHIÆ PER DISMEMBRATIONEM.

Ea quæ animarum pericula submovent, et populo nobis credito levamina præbent, sedulo amplectentes, supplicationibus hominum loci N. inclinati, quibus dolentes Nobis exposuerunt, quod cum ipsi sub parochia sancti N. loci N. existant ob distantiam, ac etiam impedimentum fluminis N. quod parochiam dividit, et rapide decurrit, præsertim tempore hyemali, necnon asperam, cœnosamque viam non possint, præsertim senes, pueri ac debiles, absque maxima difficultate et periculo, ad illam, pro divinis officiis audiendis, et percipiendis sacramentis, accedere; quodque persœpe sine illis quamplures ex hac vita discesserint; et rector dictæ parochialis sancti N. consentire noluerit, quod alius sacerdos ipsis incolis in cappella, seu ecclesia Sancti N. ibidem constructa, et de supellectibus sacris decenter provisa, missam diebus festis celebret, et sacramenta in casu necessitatis ministret; ad dismembrationem et erectionem respective novæ prrochiæ, prout ipsi postularunt, procedere statuimus.

Idcirco, facta per vicarium nostrum generalem, de mandato nostro, diligenti super expositis inquisitione, ac desuper constructo (citato et audito domino rectore) processu, de quo in actis; illisque plene per testium depositiones. aliisque legitimis probationibus, concludenter verificatis; dictum locum N., cum ecclesia sancti N., hominibus, incolis, et familiis, a parochiali ecclesia loci N. auctoritate ordinaria, et a sacro concilio Tridentino (cap. 4, sess. 21.) delegata, separamus, dividimus, et dismembramus, et dictam ecclesiam Sancti N., cum suo loco et districtu, a....., usque ad....., accedente etiam consensu nostri capituli, in parochialem ecclesiam erigimus et constituimus; dantes et concedentes incolis et habitatoribus dicti loci et districtus plenam et liberam potestatem, in dicta parochiali ecclesia sepulturas, cœmeterium, fontem baptismalem, campanile, campanas, et alia insignia parochialitatis constituendi et retinendi.

Pro exercitio autem curæ in populum, et utriusque sexus fideles, in dicto loco et districtu habitantes, dilectum Nobis in Christo presbyterum N. (qui populo et ecclesiæ prædictis in divinis et animarum cura regenda præsit) tanquam habilem et idoneum, ab examinatoribus synodalibus, examinatum et approbatum, præficimus et deputamus, illique administrationem omnium sacramentorum ecclesiæ committimus, et de ecclesia parochiali sic noviter erecta providemus.

Volentes et mandantes rectori dictæ ecclesiæ parochialis sancti N. matricis, et aliis pro tempore existentibus, quatenus de cætero singulis annis, in festivitatibus Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi, et sancti Joannis Baptistæ, de universis fructibus decimalibus, et aliorum bonorum, quos ipse intra et extra limites dictæ ecclesiæ matricis abundanter percipit, scuta..... dicto N. et suis in dicta ecclesia parochiali per Nos erecta curatis successoribus, in duabus æqualibus ratis, necnon tempore messis salmas.....frumenti, et tempore vindemiarum cados..... vini, persolvat et tradat respective. Quam pecuniæ et fructuum quantitatem et ratas ex reditibus ecclesiæ matricis percipiendas, una cum eleemosynis, et oblationibus universis, pro ipsius novi curati, et successorum sustentatione, onerum supportatione, et congrua, taxamus et assignamus — Reservantes rectori præfatæ ecclesiæ matricis N. illiusque successoribus (ex quo reddituum suorum dismembrationem patitur) jus personam idoneam, infra terminum a jure statutum, toties quoties per cessum vel decessum vacare contigerit, in dicta parochiali ecclesia N., a Nobis vel successoribus nostris instituendum, præsentandi. — Præterea, ut dictæ ecclesiæ matrici debitus honor servetur et exhibeatur, volumus, quod singulis annis, in festo N., dictus novus curatus, suique successores una cum incolis parochianis processionaliter ad eam accedat, et ad altare majus cereum ceræ elaboratæ, librarum....., in signum recognitionis offerat.— Et ita auctoritate quæ supra, dismembramus, erigimus, assignamus et reservamus, omni, etc. — Datum hac die, — N., Episcopus N. — Lectum, latum, et publicatum fuit supra dictum decretum dismembrationis,

et erectionis respective, die...., in aula...., præsentibus NN. testibus, etc. — N., cancellarius episcopalis.

III.

FORMULA ERECTIONIS VICARIÆ PERPETUÆ.

Cum in nostra visitatione generali, habita in terra N. hujus nostræ diœcesis, invenerimus in ecclesia collegiata sub invocatione sancti N. curam animarum eidem annexam exerceri a canonicis promiscue et turnatim, non sine neglectu: volentes animarum saluti salubriter providere, et pro bono regimine earumdem ita expedire judicantes, titulum et vicariam perpetuam in dicta ecclesia collegiata erigere statuimus: prout auctoritate Nobis a sacro concilio Tridentino (sess. 7, cap. 7, de Reform.) et a constitutione sancti Pii quinti 47, et omni alio meliori jure quo possumus; pro uno presbytero, perpetuo futuro vicario, qui inibi personaliter resideat, et curam animarum præfatam exercere, ac illius intuitu seu causa, eidem in divinis deservire, et parochianis, ecclesiastica sacramenta ministrare, necnon omnia et singula quæ ad parochum et curatum de jure, consuetudine, necessitate, aut, alias quomodolibet spectant, facere et gerere debeat, perpetuo erigimus et instituimus; a dicto capitulo canonicorum nominando et præsentando, et a nobis et successoribus nostris approbando et instituendo: curamque prædictam, privative ad collegium, transferimus, et eidem vicario annectimus, et perpetuo imponimus. Curæque sic erectæ, pro ejus dote et vicarii sustentatione, scuta...., ex propriis fructibus et reditibus ejusdem ecclesiæ collegiatæ, perpetuo applicamus, appropriamus et assignamus; et per dictos canonicos et capitulum singulo anno tradi, et pro rata singulis mensibus solvi mandamus, ultra emolumenta incerta servitii et exercitii curæ, primo remanente statu ecclesiæ. Et ita erigimus et respective assignamus, omni, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius, et visitationis notarius et secretarius.

§ IV.

FORMULA DEPUTATIONIS ŒCONOMI PAROCHIÆ VACANTI.

F., Episcopus N. — Dilecto Nobis in Christo presbytero sæculari N. salutem in Domino. — Parochiali ecclesia N. vacante, Nos, ad quos spectat, ne subditi illius curæ in spiritualibus adjumentis detrimentum sentiant, illis de idoneo sacerdote, qui sacramenta administret, providere volentes, cognita per examen tua sufficientia, et de cujus vita et moribus plurimum in Domino confidimus, te in vicarium, sive œconomum dictæ ecclesiæ parochialis constituimus et deputamus, durante vacatione, et donec de rectore provideatur; cum facultate missas parochiales, et alia divina officia celebrandi, sacramenta omnia ministrandi, et alias ecclesiasticas et parochiales functiones obeundi, ad quæ tenetur, et animarum quilibet rector præstare et obire solet, cum congrua fructuum parochialis portione scut.... annuorum, tibi libere singulo mense pro rata persolvenda. — In quorum, etc. — N., Episcopus. — N., cancellarius episcopalis. — Et ponatur sigillum consueto loco.

V.

FORMULA DEPUTATIONIS COADJUTORIS, DATI PAROCHO IMPERITO.

N., Episcopus N. — Dilecto, etc. — Expedit magnopere animarum saluti, a dignis atque idoneis parochias gubernari. Ut igitur id juxta concilii Tridentini decreta salubriter exequatur, te, de cujus moribus, et idoneitate, per Nos et examinatores nostros recognita, plurimum in Domino confidimus, in ecclesia parochiali N. loci N. in qua N. parochus, licet vitæ honestæ, ob illius imperitiam et illiteraturam inutilis detectus fuit, coadjutorem, seu procuratorem illius, ejusque ecclesiæ, et curæ, auctoritate Apostolica Nobis delegata, tenore præsentium, constituimus, et deputamus; cum con-

grua ecclesiæ fructuum portione scutorum..., annuatim tibi ab eodem N. parocho libere pro rata quolibet mense persolvenda ; cum obligatione tamen tibi injuncta residendi, onera curæ sustinendi, et cum plena facultate divina officia et parochiales functiones celebrandi, sacramenta ministrandi, et alia onera et munia obeundi, quæ animarum quilibet parochus obire, et præstare solet. Præsentibus usque eo duraturis, donec dictus parochus habilis et idoneus regimini curæ reddatur. — In quorum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius episcopalis. — Et ponatur sigillum consueto loco.

VI.

FORMULA INDICENDI CONCURSUS PRO ECCLESIA PAROCHIALI VACANTE.

N., episcopus N. (sive vicarius generalis N.) — Vacante animarum cura parochialis ecclesiæ N. loci N. per obitum N. ultimi illius possessoris, qui extra Romanam curiam diem suum clausit extremum : volentes Nos de idoneo successore curæ et ecclesiæ prædictæ, ad formam sacri concilii Tridentini et constitutionum sancti Pii V, providere, has edictales litteras in forma expediri, et ad valvas ecclesiæ parochialis vacantis et cathedralis affigi, et publicari mandavimus ; quarum serie omnes et singulos, ad curam prædictam sic, ut supra, vacantem concurrere desiderantes, convocamus, requirimus, et monemus, ut in termino decem dierum, a die affixionis præsentis computandorum, coram Nobis in hac civitate N. compareant, dent sua nomina et cognomina, et sese a nostro infra scripto cancellario inter concurrentes adscribi et adnotari procurent : nam, termino elapso, die..., concursus adnotatorum coram examinatoribus synodalibus habebitur, idoneorique cura prædicta conferetur. — Datum, etc. — N., Episcopus (sive vicarius generalis N.) — N., cancellarius episcopalis. — Et ponatur sigillum consueto loco.

VII.

FORMULA JURAMENTI AB EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS, TUM IN SYNODO, TUM EXTRA SYNODUM PRÆSTANDO.

In synodo. — *Ego N. deputatus in præsenti synodo examinator eorum, qui eligentur ad parochiales ecclesias, juro me fideliter hoc examinandi munus perfuncturum, rejecto omni humano respectu. Ita me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

Extra synodum. — *Ego N. examinator in synodo electus, promitto, spondeo, ac juro, munus et officium mihi demandatum me fideliter, quacumque humana affectione post posita, et sincere quantum in me est executurum. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

VIII.

FORMULA EDICENDI CONCURSUS, QUANDO PAROCHIÆ VACANTIS COLLATIO PERTINET AD INFERIOREM.

N., episcopus F. (sive vicarius generalis N.) — Vacante animarum cura parochialis ecclesiæ N. loci N. per obitum N. illius ultimi possessoris, qui diem suum clausit extremum die.. mensis...., cujus collatio ad N., Abbatem N., ut asseritur, pertinet: Nos volentes, et cupientes, ut de idoneo successore cura et ecclesia prædicta ad formam sacri concilii Tridentini et bullæ sancti Pii V provideatur; has edictales litteras expediri, et ad valvas ecclesiæ parochialis vacantis, et cathedralis affigi, et publicari jussimus: quarum serie omnes et singulos ad curam prædictam sic ut supra vacantem concurrere cupientes, convocamus, requirimus, et monemus, ut in termino decem dierum, a die affixionis præsentium computandorum, coram Nobis in hac civitate compareant, dent sua nomina, et cognomina, et sese ab infrascripto nostro cancellario inter concurrentes adscribi et adnotari procu-

rent : nam, dicto termino elapso, die...., concursus adnotatorum coram Nobiset examinatoribus synodalibus habebitur, et Nos, ex ab eisdem approbatis et idoneis, magis idoneum, per nos electum, pro collatione ad eumdem Abbatem N. tempore debitto mittemus. — Datum, etc. N.. Episcopus N. (sive vicarius generalis.) N., cancellarius episcopalis. — Et ponatur sigillum consueto loco.

IX.

FORMULA EDICTI IN VACATIONE ECCLESIÆ JURIS PATRONATUS.

N., Episcopus N. universis et singulis hoc præsens edictum inspecturis et audituris notum facimus, quod nuper vacante parochiali ecclesia N. loci N. per obitum N. ultimi et et immediati rectoris ejusdem, comparuit coram Nobis N. laicus, asserens se patronum, et habere iuspatronatus, seu esse in quasi possessione juris præsentandi rectorem ad dictam ecclesiam, quoties illam vacare contingat : et ideo præsentavit Nobis in rectorem N., petens eum a Nobis institui. Nos dictam præsentationem, sic coram Nobis factam de dicto N, infra tempus a jure patronis laicis datum ad præsentandum, ac prædictis veram notitiam non habentes, admisimus, si, et in quantum. Quare tenore præsentis edicti requirimus et monemus omnes et singulos, aliquod jus, ut præsentantes, vel ut præsentati, prætendentes in prædictis, vel contra dictam præsentationem, et personam præsentantis, seu præsentati, opponere volentes, et quomodolibet sua interesse putantes, quatenus iufra terminum novem dierum a die affixionis hujusmodi, quorum tres pro primo, tres pro secundo, et reliquos tres pro tertio et ultimo peremptorio, eis et cuilibet ipsorum assignamus, comparere debeant coram Nobis, ad opponendum et allegandum quidquid opponere et allegare voluerint, quare procedi non debeat ad prædictam institutionem ; non obstante, quod de tempore dato ad præsentandum, adhuc supersit. Et ut de præmissis nemo ignorantiam allegare valeat, præsens edictum ad valvas ecclesiæ parochialis vacantis, et cathedralis affigi, et publicari

jussimus. — Datum, etc. — N., Episcopus N. (sive vicarius generalis.) — N., cancellarius episcopalis. — Et ponatur sigillum consueto loco.

X.

FORMULA PROROGATIONIS DEICTI DE CONCURSU PRO PAROCHIALI VACANTE.

N., Episcopus N. (sive vicarius generalis.) — Vacante animarum cura parochialis ecclesiæ N. loci N, nostræ diœcesis, per obitum N. ultimi illius possessoris, qui, ut Altissimo placuit, die..., se ab humanis separavit : Nos de idoneo successore dictæ ecclesiæ et curæ ad formam concilii Tridentini providere cupientes, die... currentis mensis, pro concursu habendo edictum cum termino decem dierum ad comparendum, nomina et cognomina danda, expediri mandavimus. Nunc vero, ut omnes majorem notitiam habeant, dictum terminum ad alios decem dies proximos, ab hodie incipiendos et ut sequitur finiendos, prorogamus ; ita ut a die primi edicti vigintidies tantum numerentur, ad formam constitutionis sancti Pii V in conferendis. *Ideo harum serie et tenore omnes et singulos sese examini subjicere cupientes pro dicto concursu, requirimus, convocamus et monemus ut in termino sic prorogato coram Nobis in hac civitate N. compareant in atriis nostræ curiæ, et sese adscribant, et adnotari faciant; quia, termino elapso, concurrentium examen coram Nobis et examinatoribus synodalibus, die.,., habebitur, dignioriquecura conferetur. — Datum, etc. — N., Episcopus (sive vicarius generalis N.) — N. cancellarius episcopalis.* — Et ponatur sigillum consueto loco.

XI.

FORMULA EDICTI CONCURSUS QUANDO PAROCHIA VACAT IN MENSE APOSTOLICO.

N., Episcopus N. (*sive vicarius generalis N.*) — *Vacante animarum cura parochialis ecclesiæ N. loci N. nostræ diœcesis, per obitum N, illius ultimi possessoris, qui diem suum clausit extremum de mense N. reservato Sedi Apostolicæ : volentes et cupientes Nos ut de idoneo successore cura et ecclesia prædicta, ad formam sacri concilii Tridentini et bullæ sancti Pii V, provideatur, præsens edictum expediri, et ad valvas ecclesiæ parochialis vacantis, et cathedralis affigi, et publicari mandavimus ; cujus vigore omnes et singulos ad curam prædictam sic ut supra vacantem concurrere desiderantes, convocamus, requirimus, et monemus, ut in termino decem dierum, a die affixionis præsentis computandorum, coram Nobis in hac civitate N. compareant, dent sua nomina, et cognomina, et sese ab infrascripto nostro cancellario inter concurrentes adscribi et adnotari procurent : nam, dicto termino elapso, die..., concursus adnotatorum coram Nobis et examinatoribus synodalibus habebitur, et Nos ex approbatis et idoneis magis idoneum per litteras testimoniales ad datarium sanctissimi D. N. Papæ, ad quem collatio pertinet, referemus. — Datum, etc. — N., Episcopus* (*sive vicarius generalis N.*) — *N., cancellarius episcopalis.*—Et ponatur sigillum consueto loco.

XII.

FORMULA COLLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS PER CONCURSUM.

N., Episcopus N. — Dilecto, etc. — Inter cætera, quæ pro pastoralis officii debito præstare cupimus, illud præcipue cordi est, ut parochialibus ecclesiis, quibus de rectoribus providendum est, tales præficiamus, qui ministerio curæ anima-

rum, quod omnium gravissimum est, laudabiliter satisfaciant. Vacante igitur, de mense N. proxime præterito, parochiali ecclesia sub invocatione S. N. oppidi N. hujus nostræ diœcesis, per obitum, N. illius; dum viveret, ultimi possessoris, fuerunt per curiam nostram, mediante publico edicto, juxta formam et præscriptum sacri concilii Tridentini et constitutionis sancti Pii V, vocati omnes de sic vacante ecclesia provideri cupientes, quatenus intra terminum decem dierum comparerent in eadem curia, ad faciendum describi et adnotari nomina ipsorum: et cum in eodem termino plures comparuissent, tandem iisdem legitime vocatis sub die... coram Nobis, rigoroso prævio examine per tres examinatores synodales, facta fuit experientia de scientia et sufficientia singulorum descriptorum; ac demum servatis de jure servandis fuisti per dictos tres examinatores repertus, habitus, et existimatus idoneus vita, moribus, ætate et scientia, et aliis a jure requisitis prædituś; et ut talis ad dictam parochialem ecclesiam ejusque curam per te ipsum regendam ab eisdem Nobis renuntiatus fuisti, et successive a Nobis magis idoneus reputatus et judicatus. Nos igitur eidem ecclesiæ, ac animabus illi subditis de rectore providere volentes, tibi, quem præ cæteris digniorem delegimus, eamdem parochialem, cum illi annexis, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis universis, conferimus et assignamus, de illaque te, coram Nobis flexis genibus constitutum et acceptantem per bireti capiti tuo impositionem investimus. Quocirca omnibus notariis publicis, et personis ecclesiasticis civitatis et diœcesis nostræ, per præsentes mandamus et committimus, ut cum pro parte tua fuerint requisiti, vel eorum aliquis requisitus (emissa per te prius coram vicario nostro generali professione fidei) ad ipsam parochialem ecclesiam dicti loci N. accedant, teque, vel procuratorem tuum, in corporalem, realem, et actualem possessionem prædictæ parochialis ecclesiæ, ac omnium illi annexorum et pertinentium, inducant auctoritate Nostra, et inductum defendant, amoto exinde quolibet illico detentore, quem nos harum serie amovemus, et denuntiamus amotum, ac de fructibus, redditibus, proventibus, et obventionibus universis, tibi faciant debito tempore responderi,

Si contingat eum. cui de beneficio providetur aliud incompatibile obtinere, tunc additur) *volumus autem, ac præsentium tenore declaramus, per hujusmodi parochialis pacificam possessionem, alteram parochialem ecclesiam loci N. vel præbendam canonicalem quam obtines, ipso vacare. — In quorum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius episcopalis.* — Et ponatur sigillum consueto loco.

XIII.

FORMULA RESIGNATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS.

In curia episcopali N. comparuit personaliter N., et dixit, ac exposuit se esse senio confectum, et sibi etiam ex aliis rationabilibus causis arduum esse curæ animarum sedulo incumbere, et ob dictam suam ætatem ea, ad quæ tenetur dilic genter adimplere non posse ; ideoque libere, ac sponte, ac omni, etc., parochialem ecclesiam N. loci N. cum omnibus et singulis suis juribus, pertinentiis, honoribus et oneribus universis resignavit, et renuntiavit, expresseque renuntiat atque resignat in manibus illustrissimi, et reverendissimi D. N. Episcopi : et quia aliunde habet, unde vivere possit et commode sustentari, petit resignationem hanc recipi et admitti, asserens in præsenti resignatione non intervenisse, neque intervenire, aliquam fraudem, dolum, nec simoniæ labem.

Ita dimitto, renuntio, resigno, ac insto ego N. parochus ecclesiæ N.

Quibus illustrissimus et reverendissimus D. N. Episcopus visis, ac constito, per fidem ætatis exhibitam ac aliis pluribus, de veritate expositorum, resignationem et renuntiationem supra factam admisit et acceptavit, recepto prius a D. R. N. resignante juramento ad sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, quod in hac resignatione non intervenit fraus, dolus, seu alia illicita pactio, aut simoniæ labes ; et publicari mandavit. — Præsentibus N. et N., testibus, etc. — Datum hac die, etc. — N., cancellarius episcopalis.

XIV.

FORMULA PUBLICATIONIS RESIGNATIONIS.

N., Episcopus N. — Universis, etc. Noveritis quod Rev. presbyter et rector parochialis ecclesiæ N. loci N. hujus nostræ diœcesis ecclesiam ipsam, quam obtinebat, ex certis rationabilibus causis animum suum moventibus, et præcipue, quia senio confectus, et corpore impeditus, non poterat, nec potest muneri suo satisfacere, et animarum curæ incumbere, habens aliunde, quo in vita possit commode sustentari, prout nobis legitime constitit, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, in manibus nostris sponte et libere, juxta formam constitutionis sanctæ memoriæ Pii V, scripto renuntiavit: et Nos resignationem per eum factam admisimus tempore debito, et denuo per præsentes admittimus: recepto per nos prius ab eodem N. resignante corporali juramento, quod in resignatione hujusmodi non intervenit dolus, nec fraus, nec simoniæ labes. Ideo vobis omnibus noctificamus, ut si quis, etc. — Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius episcopalis.

XV.

FORMULA COLLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS PER RESIGNATIONEM EX CAUSA PERMUTATIONIS.

N., Episcopus N. — Dilecto, etc. — Desideria justa petentium congruo favore prosequentes, libenter ad ea, quæ sacris sanctionibus contraria non sunt auditum præbere non dedignamur. Cum itaque tu hodie per te ipsum canonicatum et præbendam ecclesiæ N., et dilectus noster in Christo N. parochialem ecclesiam N. nostræ diœcesis, quam obtinebat, per N, procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, ex causa permutationis de ipsis inter vos sincere faciendæ, et non alias, sponte et libere resignaveritis in mani-

bus nostris, Nos votis tuis favorabiliter inhærentes, resignatione ex causa prædicta admissa, parochialem prædictam sic vacantem tibi, qui per tres nostros examinatores synodales examinatus, et idoneus repertus fuisti, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, auctoritate nostra ordinaria conferimus, et assignamus; teque coram Nobis personnaliter constitutum, per annuli traditionem et bireti tuo capiti impositionem de eadem investimus, et in realem, corporalem, et actualem possessionem, seu quasi immittimus, præstito per te et per Nos recepto, ad sancta Dei Evangelia corporali juramento, quod nulla pactio fraudulenta intercessit, et quod Nobis, et successoribus nostris fidelis et obediens eris, et sanctæ Matri Ecclesiæ, dictæque ecclesiæ, in spiritualibus, temporalibus, ac in divinis laudabiliter deservies et deservire facies, onera que ipsius supportabis, et jura nostra persolves, bonaque quæcumque, atque jura illius manutenebis, et defendes pro posse, nihilque quod ad eamdem ecclesiam pertineatalienabis, seu distrahes, sed alienata et distracta ad jus et proprietatem dictæ parochiæ pro viribus reduces. Quocirca, etc. (ut in formula XII). — *In quorum fidem, has præsentes expediri, et publicari jussimus. — Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius episcopalis.* — Et ponatur sigillum consueto loco.

XVI.

FORMULA COLLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS JURISPATRONATUS.

N., Episcopus N. — Dilecto N., etc. — Universis et singulis has præsentes nostras litteras inspecturis, visuris, et audituris notum facimus atque testamur, quod vacante parochiali ecclesia S. N, loci N. hujus nostræ diœcesis, per obitum N., illius, dum viveret, ultimi et immediati possessoris quæ de jurepatronatus infrascripti patroni laici existit comparuisti coram Nobis in nostra curia N., asserens te fuisse præsentatum a patrono dictæ parochiæ juspatronatus in ea habente, et existente in pacifica possessione seu quasi præ-

sentandi rectorem toties quoties casus vacationis, occurrerit petens a Nobis ordinario jure institui, et confirmari in rectorem dictæ parochialis, cum ejus honoribus solitis, et consuetis; et volentes in præmissis mature procedere, generale edictum ad tui instantiam expediri, et ad valvas ecclesiæ nostræ cathedralis, et dictæ parochialis affigi, legi, et dimitti jussimus, per quod citari, et moneri fecimus omnes et singulas personas, suum quomodolibet interesse putantes, quatenus infra certum terminum competentem, in eodem edicto præfixum, comparere debuissent coram Nobis, et in dicta nostra curia, ad opponendum et ad allegandum quidquid voluissent tam contra personam tuam præsentatam, quam præsentantem quare dicta institutio fieri non debuisset. Quo edicto affixo, et postmodum elevato, accusatisque contumaciis, cum nihil esset oppositum, et quia ex juribus productis in nostra curia clare constat devacatione et præsentatione tempore habili facta, et quod N. præsentans fuit et est verus ejusdem parochialis patronus, et existere in pacifica possessione, seu quasi jurispatronatus, et præsentandi rectorem; idcirco te R. N. præsentatum, per examinatores in synodo diœcesana deputatos examinatum, et approbatum, tanquam habilem, idoneum, et sufficientem, instituendum et confirmandum duximus, prout tenore præsentium instituimus et confirmamus, de illaque coram Nobis flexis genibus humiliter constitutum et acceptantem, per bireti capiti tuo impositionem, investivimus, et investimus. — Quocirca, etc., (ut in formula XII). — *In quorum, etc. — N., Episcopus. — N., cancellarius episcopalis.* — Et ponatur sigillum consueto loco.

XVII.

FORMULA PRÆSENTATIONIS CURATI AMOVIBILIS, QUANDO NOMINATIO PERTINET AD ALIQUAM UNIVERSITATEM.

Die... mensis... anni... comparuit, in hac curia episcopali, N. syndicus et procurator universitatis loci N., prout docuit de mandato procuræ, quod exhibuit: et vacante cura anima-

rum ecclesiæ filialis N. dicti loci, quæ exerceri solet per vicarium-curatum amovibilem, nominandum a dicta universitate, nomine ejusdem nominavit et præsentavit rev. presbyterum N. sæcularem. petens illum admitti, et pro exercitio dictæ curæ approbari ; et quatenus rejiciatur (quod non credit) nunc pro tunc petiit sibi concedi congruum terminum ad novam alterius presbyteri præsentationem faciendam, protestans omni, etc.

Illustrissimus et reverendissimus D. N. Episcopus (sive vicarius N.) nominationem et præsentationem dicti presbyteri N., nomine universitatis N. factam, admisit ; et recognita per examinatores præsentati idoneitate, tam quoad litteraturam, quam quoad mores et cætera requisita, illum ad exercitium dictæ curæ pro vicario curato dictæ ecclesiæ N., cum solita assignatione congruæ, cum facultatibus et oneribus solitis, approbavit, et litteras patentes expediri mandavit.— Die... — Ita est. N. cancellarius episcopalis.

XVIII.

FORMULA APPROBATIONIS CURATI AMOVIBILIS, QUANDO NOMINATIO PERTINET AD ALIQUAM UNIVERSITATEM.

N., Episcopus N. — Dilecto, etc. — Tibi Nobis ab universitate loci N., cui titulo immemorabilis consuetudinis jus pertinet nominandi, præsentato ad curam animarum exercendam in ecclesia parochiali filiali N. dicti loci, idoneoque ab examinatoribus nostris synodalibus, tam quoad scientiam, quam quoad alia requisita reperto, et a Nobis approbato, licentiam, et facultatem concedimus, missas parochiales et alia divina officia in dicta ecclesia celebrandi, sacramenta omnia administrandi, necnon munia parochialia exercendi, et jura tuendi, honoribus et oneribus consuetis. Teque vicarium-curatum amovibilem dictæ ecclesiæ, sic a Nobis approbatum constituimus, et deputamus ; admonentes in Domino, ut per te ipsum, tuis muneribus, et præsertim in edocendo doctrinam christianam sedulo incumbas, et de solita certa

congrua, quam tibi assignamus, responderi facias. Volumus autem, quod a residentia, durante officio, discedere, nec ab eo amoveri possis Nobis inconsultis. In quorum testimonium has præsentes litteras (salvis juribus ecclesiæ matricis N.) a Nobis suscriptas expediri jussimus. — Datum, etc. — N., Episcopus N. — Et ponatur sigillum consueto loco.

XIX.

FORMULA DEPUTATIONIS CAPPELLANI MONIALIUM.

N., Episcopus N. — Dilecto Nobis in Christo presbytero sæculari N. — Tibi, ut asseris, ab omni residentiæ onere aliaque obligatione libero, cognita ætate, ac per examen sacrarum cæremoniarum peritia; et a fide dignis morum et vitæ honestate et probitate, per præsentes, tanquam cappellano, facultatem et licentiam damus missæ sacrum faciendi, in ecclesia exteriori monialium monasterii, et horis opportunis, servatis infrascriptis conditionibus:

Decentem clericalem tonsuram et coronam cum habitu talari semper deferas. — Cum monialibus, aut aliis mulieribus intra clausuram degentibus (exceptis monialibus sacristis, pro rebus ad sacrificium missæ et ornatum ecclesiæ tantum) non loquaris, sub pœnis arbitrio. — Pro eleemosyna missæ quotidianæ nil aliud recipias, quam solitum.

Missæ sacrum ne facias sine ministro idoneo, eoque decenti habitu induto. — Sacrum per te ipsum hora præscripta facies.

Præsentibus ad nostrum beneplacitum valituris. — Datum, etc. — N. Episcopus N. (sive vicarius generalis).

XX.

FORMULA SUSPENSIONIS PAROCHI OB PRÆSTITAM ASSISTENTIAM MATRIMONIO, ABSQUE PRÆVIIS DENUNTIATIONIBUS.

Habita relatione nostri procuratoris fiscalis, in terra N.

nostræ diœcesis, contractum fuisse matrimonium clandestine absque denuntiationibus, inter N. et N., receptisque depositionibus testium, ex quibus constat, quod parochus ecclesiæ N. qui illud proscribere debuerat, sponte præsentiam præstare eique interesse præsumpsit absque necessitate: ideo, eo prius monito ad dicendum causam, quare non deberet ab officio suspendi, et nihil, quod relevet, deducto, in exsecutionem statutorum sacrorum canonum, ipsum parochum N. per triennium ab officio suspendimus, et pro suspenso haberi volumus, et declaramus, et ad valvas ecclesiæ parochialis denuntiari mandamus, omni, etc. — N., Episcopus (sive vicarius generalis N.) — N., actuarius.

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM

Pag

Totius tractatus distributio..... 1

PARS PRIMA. Quid sit parochus, seu de origine et natura institutionis parochorum..... 3

SECTIO I. Quid sint parochi quoad suam historicam originem... 4

CAPUT I. An et quo sensu voces *parochus* et *parochia* antiquitus usurpatæ occurrant..... 5

§ I. Nonnullorum eruditorum sententia præmittitur..... 5

§ II. Vox *parochus* recentioris ævi est : vox autem *parochia* ad designandam certam diœceseos partem jam ab antiquo usurpata ; frequentiori tamen et constanti usu ad totam designandam diœcesim antiquitus adhibita..... 7

CAPUT II. Quæ notæ in monumentis antiquitatis reperiri debeant, ut concludi possit in iis mentionem fieri de parocho proprie dicto. 12

CAPUT III. Prioribus Ecclesiæ sæculis nullus in mundo exstitit parochus..... 16

§ I. Prioribus Ecclesiæ sæculis instar legis ubique vigentis fuit, ut fideles, tum intra, tum etiam extra episcopalem civitatem degentes, nonnisi apud Episcopum sacros conventus sacramve liturgiam celebrarent..... 16

§ II. Exposita priorum sæculorum disciplina, de sacris conventibus apud Episcopum celebrandis, plene evincit nullos tunc temporis extitisse parochos..... 21

CAPUT IV. Parochias rurales quarto circiter sæculo constitui cœptas (Remissive ad eruditorum disquisitiones)..... 22

CAPUT V. Ante annum 1000 nullum exstitisse parochum in civitatibus episcopalibus (Roma forte et Alexandria exceptis)..... 23

§ I. Certum est invaluisse jam apud eruditos persuasionem, in civitatibus episcopalibus (Roma forte et Alexandria exceptis), nullas ante annum 1000 exstitisse parochias..... 24

§ II. Non exstitisse parochias in civitatibus episcopalibus ante annum 1000, nonnullis argumentis demonstratur..... 27

Pag.
§ III. Nonnullæ diluuntur objectiones ... 34
§ IV. Parochiarum in civitatibus episcopalibus post annum 1000 exordia ... 40
CAPUT VI. Parochi nequaquam sunt 72 discipulorum successores 42
§ I. Septuaginta duo discipuli non fuerunt parochi, neque etiam imago aut typus parochorum quatenus talium ... 42
§ II. Parochi, quatenus tales, non sunt ullo modo, et a fortiori non sunt ex institutione divina, successores 72 discipulorum .. 46
§ III. Traditionis monumenta, quoad presbyteros, non veram 72 discipulis successionem, sed quamdam dumtaxat similitudinem adstruunt : quoad parochos vero, ne similitudinem quidem institutionis demonstrant ... 47
§ IV. Auctoritas doctorum, qui admiserunt parochorum a 72 discipulis ex divina institutione derivationem, vim probandi non habet ... 55
I. Num merito objiciatur Gersonis auctoritas ?t ... 55
II. Num merito objiciatur Sorbonæ auctoritas ? ... 62
III. Neque merito objiceretur Joannis Majoris et Juvenini auctoritas ... 67
IV. Probatorum doctorum, qui objici possunt, auctoritas vim probandi non habet ... 69
CAPUT VII. Falsum est parochis conflatum fuisse vetus presbyterium, in antiquis ecclesiasticis monumentis memoratum ... 72
CAPUT VIII. Parochi neque divinæ institutionis sunt; neque apostolicæ ; at dumtaxat ecclesiasticæ ... 76
SECTIO II. De parochiatus essentia et recta notione ... 79
CAPUT I. Exponitur erroneum parochismi systema ... 79
§ I. Cur parochismi vocabulo potiusquam presbyterianismi utamur ... 79
§ II. Parochismi genesis et propagatio ... 81
§ III. Quonam tendat parochismus, et quantum periculi hodiedum sub isto pestifero systemate lateat ... 88
CAPUT II. Parochi non constituunt tertium hierarchiæ ordinem .. 93
§ I. Quibus formulis et quo sensu parochistæ contenderint curatos efformare tertium hierarchiæ divinitus institutæ ordinum 93
§ II. Quid sit hierarchia, et quænam variæ hierarchiæ species .. 99
§ III. Exploditur commentum de parochis tertium herarchiæ divinitus institutæ ordinem conflantibus ... 102
I. Si agatur de hierarchia ordinis, absurdum est parochos in tertio hierarchico gradu collocare ... 102
II. Si agatur de hierarchia jurisdictionis divinitus instituta, falsum est parochos tertium conflare hierarchicum ordinem .. 104
CAPUT III. Falsum est parochum esse judicem fidei, et habere vocem definitivam in conciliis ... 110
CAPUT IV. Parochi non habent ex officio suo, nec habuerunt

Pag.
unquam proprie dictam excommunicandi potestatem..... 120
§ I. Documenta a parochistis allegari solita non probant ad parochos olim pertinuisse proprie dictam excommunicandi potestatem 122
§ II. Falsum est excommunicandi potestatem ad parochos pertinere..... 132
CAPUT V. Parochus nullam habet fori externi jurisdictionem.... 137
CAPUT VI. Parochus non est stricto sensu pastor, etiam secundi ordinis ; nec decet hodie eum vocari pastorem, etiam lato et improprio sensu..... 142
Propositio I[a]. Vox pastor in sacris scripturis significat potestatem gubernandi cum jurisdictione proprie dicta et potestate legislativa 142
Propositio II[a]. Tota antiquitas et traditio *pastoris* denominatione Episcopos designavit..... 145
Propositio III[a]. Ante recentiora tempora, aut nunquam, aut rarissime parochi reperiuntur pastorum nomine insigniti.... 150
Propositio IV[a]. Genuinus sensus vocis *pastor* includit potestatem legislativam et jurisdictionem externi fori ; ita scilicet ut prædicta jurisdictio sit de essentia pastoratus..... 155
Propositio V[a]. Merito concluditur denominationem pastoris, etiam secundi ordinis, parochis non competere..... 156
Propositio VI[a]. Quamvis ante ortos, aut ad extrema perductos jansenismi et parochismi errores, innocue potuerint parochi pastores in lato et improprio sensu vocitari; hodie tamen rescanda potius videtur hæc eorum denominatio..... 156
CAPUT VII. Parochi non sunt prælati ; ne minores quidem, aut secundi ordinis..... 160
CAPUT VIII. Parochiale munus nec tanquam dignitas nec tanquam personatus habendum est..... 164
CAPUT IX. In quo stet parochiatus essentia..... 166
§ I. Undenam desumenda sit vera norma ad dignoscendam et determinandam parochiatus essentiam..... 166
§ II. Quænam conditiones requirantur et sufficiant ad parochiatus essentiam, seu ut quis verus sit parochus 168
Propositio I[a]. Ad essentiam parochiatus pertinet ut sit officium procurandi bonum spirituale animarum, per verbi divini et sacramentorum ministrationem..... 170
Propositio II[a]. Est de essentia parochiatus ut sit officium proprio nomine exercendum..... 172
Propositio III[a]. Est de essentia parochiatus ut sit officium exercendum quoad determinatam diœcesanorum portionem..... 173
Propositio IV[a]. Est de essentia parochiatus ut sit officium exercendum ex obligatione..... 173

Pag.

Propositio V[a]. Est de essentia parochiatus ut certus populus parocho assignatus, aliquatenus saltem teneatur sacramenta ab ipso recipere..... 173
Propositio VI[a]. Quinque supra memoratæ conditiones sufficiunt ad essentiam parochiatus, seu ut quis vere sit parochus..... 174
§ III. Traditur definitio parochiatus, parochi et parochiæ..... 175
SECTIO III. Evolvitur notio de vera parochiatus seu institutionis parochorum natura..... 177
CAPUT I. De variis curæ speciebus, et quænam sit parochialis officii propria..... 178
CAPUT II. Num unius parochiæ plures esse simul possint veri parochi..... 180
§ I. Exponitur doctorum hac de re sententia..... 180
§ II. Expanduntur eorum rationes, qui unicitatem requirunt, ut quis sit vere parochus..... 182
§ III. Etsi unicum in singulis parœciis constitui parochum regulariter magis expediat, illa tamen unicitas non videtur essentialiter requiri : imo nec a jure positivo exigi tanquam regula, quæ nulli exceptioni obnoxia esse debeat..... 187
CAPUT III. Perpetuitas non est de essentia parochiatus, seu non requiritur ut quis sit vere parochus..... 192
§ I. Non essentialiter requiritur perpetuitas ratione parochialis officii..... 192
§ II. Neque essentialiter requiritur perpetuitas ratione beneficii.. 195
Propositio I[a]. Potest quis verus esse parochus absque ullo ipsi collato beneficio..... 196
Propositio II[a]. Etiamsi non posset quis esse parochus absque beneficio, non sequeretur requiri beneficium perpetuum, sed sufficeret beneficium manuale seu ad nutum revocabile.... 197
CAPUT IV. An curatorum amovibilitas contraria sit sacris canonibus, aut bono ecclesiæ..... 200
§ I. Revocabilitas ad nutum, quam aliquatenus aversantur canones, et certis coarctant limitibus, non est revocabilitas per Episcopum ; sed revocabilitas vicariorum curatorum per parochos principales ; verbi gratia, per capitula aut monasteria, quibus animarum cura adnexa est..... 201
§ II. Curam animarum per amovibiles ad nutum Episcopi presbyteros exerceri, neque disciplinæ primitivæ, neque juri communi ante Tridentinam synodum vigenti, neque dictæ synodi sanctionibus, neque (per se saltem et seclusis abusibus) bono Ecclesiæ contrarium probari potest..... 207
CAPUT V. An et qualiter parochis competat ordinaria jurisdictio. 217
Propositio I[a]. Parochis competit interni dumtaxat fori jurisdictio. 218
Propositio II[a]. Prædicta parochorum jurisdictio est ordinaria... 218
CAPUT VI. De vicariis cappellanisve curatis, et quinam ex ipsis

Pag.
sint veri parochi 219
Propositio I[a]. Vicarius perpetuus, quando parochus principalis habitualem dumtaxat curam habet, est verus et proprie dictus parochus 220
Propositio II[a]. Pro vero parocho habendus etiam est vicarius-curatus amovibilis, quando principalis parochus nonnisi habitualem retinet curam 220
Propositio III[a]. Quando principalis parochus habitualem dumtaxat habet curam, vicario, sive perpetuo, sive amovibili, applicanda generaliter veniunt consectaria juris, quæ veros parochos respiciunt 220
Propositio IV[a]. Vicaria perpetua est verumbeneficium stricte sumptum, seu perpetuum 221
Propositio V[a]. Ubi parochus principalis curam etiam actualem retinet, et non habitualem dumtaxat, ejus vicarius, quamtumvis curatus dicatur, et curam de facto exerceat, parochus non est, sed merus vicarius 222
SECTIO IV. De hodiernis Galliæ parochiis et parochiarum rectoribus 224
CAPUT I. Præmittuntur documenta 225
CAPUT II. De duplicie specie parochiarum in Gallia erectarum 229
Propositio I[a]. In concordato, subsecutisque Pii VII et cardinalis legati decretis, concordatum respicientibus, agitur dumtaxat de unica erigendarum parochiarum specie 229
Propositio II[a] De facto tamen constituæ sunt duplicis speciei et diversæ conditionis parochiæ, majores scilicet sub nomine *paroisses*, et minores sub nomine *succursales* 230
CAPUT III. De suppressis a cardinali Legato antiquis omnibus parochiis 231
Propositio I[a]. Cardinalis Caprara omnimodam suppressionem decrevit 231
Propositio II[a]. Suppressio hæc facta fuit sub conditione quod novæ circumscriberentur et erigerentur parochiæ, quæ totum uniuscujusque novæ diœcesis territorium occuparent, essentque veræ seu proprie dictæ parochiæ 231
Propositio III[a]. Qualitates quas ex concordato habere debuissent novæ parochiæ, ex eo quod defuerint, non censendæ sunt invalidam effecisse antiquarum suppressionem 231
CAPUT IV. De rectoribus parochiarum majorum, id est, sub nomine *paroisses* erectarum 234
Propositio I[a]. Dicti rectores sunt veri in sensu juris parochi 234
Propositio II[a]. Sunt in officio perpetui 234
CAPUT V. De succursalium rectoribus 235
§ I. De ipsorum revocabilitate ad nutum 235
Propositio I[a]. Legitima probari nequit revocabilitatis ad nutum

Pag.
disciplina, ex articulis organicis..... 235
Propositio II[a]. Neque ex eo quod Episcopi, novarum parochiarum fundatores extiterint..... 237
Propositio III[a]. Attentis concordati dispositionibus, non videtur legitime ab Episcopis induci potuisse, quoad *succursales*, disciplina revocabilitatis ad nutum..... 237
Propositio IV[a]. Omnino certum est hodie legitimam esse quoad succursales disciplinam revocabilitatis ad nutum, donec aliter Sedes Apostolica statuerit..... 240
Propositio V[a]. Dicta disciplina, non tantum hodie licita est, sed etiam ex obligatione continuanda ; eo sensu quod a nemine mutari possit nisi a Sede Apostolica..... 240
Propositio VI[a] Quæstio de prædicta disciplina est Sedi Apostolicæ reservata, eo sensu quod nemini liceat propugnare, derelinquendam esse hanc disciplinam antequam id Sedes Apostolica pronuntiaverit..... 240
Propositio VII[a]. Disciplina inducta, quam continuari permittit imo et injungit Gregorius XVI, in eo constitit, quod soleant Episcopi succursalium rectores deputare ad nutum revocabiles, et isti rectores, si revocentur vel alio mittantur, teneantur obedire..... 241
Propositio VIII[a]. Rescriptum Gregorii XVI non ita dependet ab hac conditione quod Episcopi non revocent ad nutum nisi raro, prudenter et paterne, ut non verificata ista conditione, rescriptum jam applicationem non habeat..... 242
Propositio IX[a]. Licet immutatio dictæ disciplinæ revocabilitatis ad nutum Sedi Apostolicæ jam sit reservata, valide ac licite possunt Episcopi rem componendo cum Gubernio, aliquas *succursales* erigere ad conditionem earum quæ vocantur, *paroisses*, ita ut disciplinæ revocabilitatis subesse desinant..... 244
§ II. Surcusalium rectores, licet ad nutum revocabiles, sunt veri parochi..... 245
§ III. An succursalium rectores revocari possint sine causa et detur ipsis ad superiorem recursus contra pronuntiatam ab Episcopo revocationem (Remissive)..... 246
PARS SECUNDA De canonica norma parochias constituendi et supprimendi..... 247
CAPUT I. Quotuplici modo constitui possit nova parochia?..... 247
CAPUT II. De parochiarum erectione per viam creationis..... 249
CAPUT III. An et quatenus Episcopi potestatem habeant novas parochias per viam dismembrationis erigendi?..... 250
§ I. Præmittuntur juris textus, e quibus pendet propositæ quæstionis solutio..... 250
§ II. Episcopis, tum quatenus a Sede Apostolica delegatis, tum etiam quatenus Ordinariis, competit potestas per viam dismem-

Pag.

brationis novas erigendi parochias, et quidem invitis etiam dismembrandarum parochiarum rectoribus 252
§ III. Dictam potestatem dismembrandi habent Episcopi etiam in parochias exemptas 254
§ IV. Episcopi, etiam quatenus Sedis Apostolicæ delegati, præfatam potestatem non habent absolute, sed certis et a jure determinatis conditionibus et formalitatibus subjectam 254
CAPUT IV. Quænam sit justa causa, a jure requisita, ut possit Episcopus ad dismembrationem procedere 257
Propositio I^a^. Justa causa non alia esse potest, quam vel distantia, vel alia difficultas parochianorum accedendi ad recipienda sacramenta, et audienda divina officia 257
Propositio II^a^. Ingens populi multitudo non est per se causa legitima dismembrationis 258
Nota. Quoad hodiernas parochias civitatis Parisiensis 261
Propositio III^a^. Distantia et difficultas accedendi non sunt causa justa dismembrationis, nisi quando ex ipsis oritur magnum incommodum 262
Propositio IV^a^. Ad legitimam dismembrationem, non simul requiritur distantia et difficultas accedendi ; sed una ex istis causis absque altera sufficere potest 263
Propositio V^a^. Ut constet de magno incommodo ex distantia vel ex alia difficultate accedendi, necesse non est aliquos infantes absque baptismo, vel alios absque sacramentis decessisse 263
Propositio VI^a^. Quando adest magnum incommodum, sed cui occurri potest aliter quam per dismembrationem, sat recepta est apud doctores sententia, non posse tunc Episcopum ad dismembrationem procedere : cui tamen sententiæ validæ rationes opponi posse videntur 264
Propositio VII^a^. Ad determinandum quando adsit magnum incommodum, sive ex distantia, sive ex difficultate accedendi, nulla datur a jure regula ; ac proinde id Ordinarii judicio relinquitur 267
Propositio VIII^a^. Regulariter loquendo, duo millia passuum habentur pro distantia sufficienti, ut ad dismembrationem procedi possit 268
Propositio IX^a^. Ex eo quod adsit justa dismembrationis causa, non potest Episcopus partem populi e parochia distrahere, et alteri parochiæ jam existenti addicere 269
CAPUT V. Quænam sint formalitates requisitæ, ut canonice fiat ab Episcopo dismembratio et erectio ? 269
Requisitum I. Debet fieri processus ad verificandum, an revera adsit justa causa novam erigendi parochiam 270
Requisitum II. Necesse est ut sufficiens sit numerus parochianorum novæ parochiæ adscribendorum 270

Pag.

Requisitum III. Citandus est dismembrandæ parochiæ rector, et alii quorum interest, ut dicant si quid opponendum habeant 271
Requisitum IV. Dum erigitur nova parochia, debet determinari ejus extensio, sive per certi alicujus territorii, sive saltem per certarum familiarum assignationem 273
Requisitum V. Requiritur capituli cathedralis consensus, tum quando Episcopus procedit jurisdictione ordinaria, tum etiam quando procedit tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, modo dismembratio sit de iis quas posset ex jurisdictione ordinaria facere 274
Requisitum VI. Novæ parochiæ assignanda est dos competens, ex qua ejus rector convenienter sustentari queat 277
Unde sit desumenda illa dos competens 277
Quanta esse debeat 280
Requisitum VII. In dotanda nova parochia ex reditibus seu fructibus antiquæ, curandum est ut rectori antiquæ remaneat conveniens sustentatio 281
Requisitum VIII. Matricis ecclesiæ rectori acquiritur jus patronatus in noviter erectam, si hæc ex alterius reditibus dotata fuit 281
Requisitum IX. Præter jus patronatus, debet antiquæ seu matrici parochiali ecclesiæ competens honor præstandus assignari 282
Requisitum X. Requiritur ut Episcopus per seipsum novam parochiam erigat ; vel, si erigat per vicarium suum generalem, ut is speciale ad id mandatum habeat 282
Requisitum XI. In Gallia et nonnullis aliis regionibus; ubi viget concordatum anni 1802, requiritur Gubernii assensus 283
Requisitum XII. Notantur nonnulla alia ad cautelam observanda 283
CAPUT VI. De appellatione a decreto Episcopi, novam parochiam erigentis, dismembrata antiqua 284
§ I. An et qualis detur appellatio ab episcopali decreto dismembrationis et erectionis ? 284
§ II. Ad quem detur prædicta appellatio ? 285
CAPUT VII. De unione parochiarum 287
§ I. Præmittuntur nonnullæ juris dispositiones de unione beneficiorum in genere 287
Quæstio I^a^. Quotuplici modo uniri possint duo beneficia ? 287
Quæstio 2^a^. Quisnam potestatem habeat beneficia et ecclesias uniendi ? 288
Quæstio 3^a^. Quænam sint conditiones requisitæ, ut legitime fiat unio ab Episcopo ? 289
§ II. De potestate Episcopi quoad parochiarum uniones 290
Propositio I^a^. Possunt Episcopi unire parochias inter se 290
Propositio II^a^. Nequit Episcopus parochiam accessorie unire alicui beneficio non curato 291

Pag.

Propositio III[a]. Prohibita videtur æque principalis etiam unio parochiam inter et beneficium simplex..... 292

Propositio IV[a]. Potest Episcopus beneficium non curatum accessorie unire parochiæ..... 293

Propositio V[a]. Episcopus nequit valide dictas parochiarum uniones peragere, nisi ex causa necessitatis vel utilitatis.... 293

Propositio VI[a]. Ut valide fiant ab Episcopo dictæ parochiarum uniones, requiritur consensus cathedralis capituli..... 294

Propositio VII[a]. Requiritur insuper citatio et consensus eorum quorum interest..... 295

Propositio VIII[a]. Sibe neficium, parochiæ uniendum, sit juris patronatus, requiritur patroni consensus..... 296

Propositio IX[a]. Si ecclesia parochialis unienda juris patronatus sit, et patronus nolit consentire unioni, et Episcopus nequeat parochiæ illius necessitati subvenire remedis indicatlis capite 13 sess. 24 Tridentinæ synodi, potest talis patronus cogi ab Episcopo ad consentiendum, vel ad tribuendum necessaria..... 296

Propositio X[a]. Unio parochiarum ab Episcopis facta, suum effectum habere nequit, nisi post mortem aut resignationem rectorum, qui has parochias obtinent..... 297

Propositio XI[a]. Requiritur consensus rectoris parochiæ uniendæ, ut unio effectum habere possit ante ipsius mortem aut resignationem : ut autem effectum habeat post ejus obitum vel resignationem : nec ipsius consensus, nec etiam ipsius citatio aut consilium requiritur..... 297

Propositio XII[a]. Nequaquam requiritur consensus aut citatio plebis parochiæ uniendæ..... 298

CAPUT VIII. Qua norma parōchiæ sub jure patronatus canonice constituantur..... 298

§ I. De jure patronatus, et variis illud acquirendi modis generalis notio..... 298

§ II. Requisitæ conditiones ut parochia sub jure patronatus canonice cōnstituatur..... 301

CAPUT IX. De ecclesiarum parochialium alteratione et suppressione..... 302

Quæstio I[a]. Quid sit beneficiorum alteratio seu mutatio ?..... 302

Quæstio 2[a]. Penes quem sit potestas parochiarum statum alterandi ?..... 302

Quæstio 3[a]. Quid sit suppressio beneficiorum ?..... 302

Quæstio 4[a]. Quandonam possit Episcopus aliquam parochialem ecclesiam supprimere..... 302

PARS TERTIA. De norma canonica parochos constituendi et removendi..... 303

SECTIO I. Ad quem pertineat potestas rectores parochiis præficiendi..... 304

Pag.

Subsectio I. Ad quem pertineat rectores præficere iis parochiis, quæ non sunt collationis liberæ 304
CAPUT I. A quibus personis et actibus pendeat parochiarum juris patronatus provisio 305
I. De necessaria præsentatione ex parte patroni 305
II. De necessaria institutione 306
CAPUT II. A quo, et quibus actibus canonice constituantur vicarii perpetui parochiarum unitarum 309
Subsectio II. Ad quosnam pertineat parochias liberæ collationis conferre 311
CAPUT I. De primario collatore, sive Papa 311
§ I. Quænam Romani Pontificis potestas circa beneficia 312
§ II. De potestate Romani Pontificis beneficiorum collationem sibi reservandi 314
§ III. Quandonam parochiarum exterorumque beneficiorum collatio sit reservata Papæ, vi reservationis in corpore juris sancitæ 317
§ IV. Quandonam per cancellariæ regulas 320
I. Quid sint regulæ cancellariæ, et an jus universale constituant 320
II. Quandonam reservetur Sedi Apostolicæ parochiarum collatio per primam cancellariæ regulam 321
III. Quandonam vi nonæ regulæ, quæ dicitur regula de mensibus 321
§ V. Ex hodierno jure particulari Galliæ, videtur parochiarum collatio ad Episcopos pertinere, absque ulla ad Sedem Apostolicam reservatione 323
CAPUT II. De potestate Episcopi quoad parochiarum collationem .. 326
Quæstio 1ª. Quis dicatur ordinarius collator? 326
Quæstio 2ª. Quomodo Episcopus sit de jure communi beneficiorum diœcesis suæ ordinarius collator? 327
Quæstio 3ª. Unde hoc jus conferendi originetur in Episcopo? 327
Quæstio 4ª. An hæc potestas Episcopi beneficia conferendi spectet ad ipsius jurisdictionem? 327
Quæstio 5ª. Quid sequatur ex præmissa doctrina, quoad potestatem Episcopi conferendi parochias? 328
Quæstio 6ª. An hodie in Gallia præter Episcopos allii existant parochiarum collatores 328
CAPUT III. De potestate, tum vicarii generalis Episcopi, tum (sede vacante) capituli et vicarii capitularis, quoad parochiarum collationem 330
SECTIO II. Quis valeat constitui parochus, seu de requisitis ad parochiale officium qualitatibus 333
Questio 1ª. Quænam requiratur ætas? 333
Quæstio 2ª. An et qualis ordo requiratur, ut quis constitui possit

Pag.
parochus ?..... 334
Quæstio 3ª. Quænam scientia requiritur in parocho..... 336
Quæstio 4ª. An regulares possint esse parochi (remissive)..... 336
SECTIO III. Qua forma constituendi sint parochi, seu de lege concursus..... 337
CAPUT I. Recensentur leges ecclesiasticæ, quæ servandam in constituendis parochis concursus formam præscribunt..... 337
§ I. Tridentina lex de servanda in constituendis parochis concursus forma..... 337
§ II. Quomodo sanctus Pius V et Innocentius XI Tridentinam legem magis determinaverint..... 340
§ III. Quid Clementis XI auctoritate statutum fuerit..... 342
§ IV. Quid a Benedicto XIV statutum..... 346
CAPUT II. Enumerantur beneficia curata pro quibus adhibenda non est forma concursus..... 350
CAPUT III. Quæstiones nonnullæ circa examinatores synodales... 353
Quæstio 1ª. Quot examinatores in synodo provinciali constitui possint aut debeant..... 353
Quæstio 2ª. Quandiu duret eorum potestas, et quid si deficiat senarius numerus?..... 353
Quæstio 3ª. Quomodo et quando examinatores suffragia sua ferre debeant..... 355
Quæstio 4ª. An episcopus, vel ejus vicarius examini assistens, votum cum examinatoribus habeat?..... 355
CAPUT IV. Num Tridentina lex de concursu hodie in Gallia vigere censenda sit?..... 356
§ 1. Num ex concordato anni 1801 sequatur Galliarum ecclesias legi Tridentinæ de concursu non subjacere?..... 357
§ II. An quinquagenaria consuetudo parochias absque prævio concursu conferendi, evincat non vigere hodie in Gallia Tridentinam de ejusmodi concursu legem..... 360
§ III. An dici queat disciplinam concursus esse quid evangelicæ humilitati repugnans, et ex natura sua nocivum, ac minus probandum?..... 362
SECTIO IV. De norma canonica parochos removendi..... 365
Subsectio I. De norma canonica removendi beneficiatos..... 365
CAPUT I. Norma beneficiatos removendi per degradationem actualem..... 366
Quæstio 1ª. Quid sit actualis seu realis degradatio?..... 366
Quæstio 2ª. Quandonam deveniri possit ad degradationem realem? 366
Quæstio 3ª. Quænam sint solemnitates requisitæ, ut legitime fiat degradatio realis?..... 367
Quæstio 4ª. Quisnam ritus servandus sit in degradatione reali exequenda?..... 368
CAPUT II. Norma beneficiatos removendi per beneficii privationem. 368

Pag.
§ I. Nonnulæ regulæ generales, privationis pœnam spectantes. 369
Regula 1ª. Infligi nequit pœna privationis beneficii nisi propter causam gravem, et servato juris ordine..... 369
Regula 2ª. Non potest Ordinarius ad privationem beneficii procedere ex informata conscientia..... 370
Regula 3ª. Ut possit pronuntiari privationis sententia, regulariter loquendo debet constare de delicto per probationem plenam seu concludentem..... 371
Regula 4ª. Quando privatio ipso jure incurritur, et delictum est notorium, nulla opus est sententia; sed ad executionem privationis immediate deveniri potest..... 372
Regula 5ª. Quando privatio ipso jure incurritur, vel delictum non est per se satis notorium, judex pronuntiare debet, non sententiam privationis, sed sententiam *declaratoriam;* qua nempe declaret tale delictum a beneficiato fuisse patratum, ac consequenter ipsum beneficio suo privatum jam existere..... 372
Regula 6ª. Quantumvis atrox sit delictum, non censendus est beneficiatus ipso jure privatus, nisi expresse pro illo crimine lex ecclesiastica privationem ipso jure decreverit..... 373
Regula 7ª. Vicarius generalis Episcopi nequit, absque speciali mandato, privationis pœnam infligere..... 374
§ II. De pœna privationis ob certas quasdam omissionis culpas. 374
Quæstio 1ª. De privationis pœna, ob omissam receptionem ordinum infra annum..... 374
Quæstio 2ª. De privationis pœna, ob omissam clericalis habitus gestationem..... 374
Quæstio 3ª. De privationis pœna, ob omissam residentiam (remissive)..... 375
§ III. De pœna privationis ob varia delicta commissionis..... 375
Quæstio 1ª. De privatione, ob apprehensam possessionem beneficii ante expeditionem litterarum..... 375
Quæstio 2ª. De privatione ob factam violentiam in apprehendenda possessione beneficii..... 375
Quæstio 3ª. De privatione ob litterarum Apostolicarum falsificationem..... 376
Quæstio 4ª. De privatione ob malam promotionem ad ordines... 376
Quæstio 5ª. De privatione ob alienationem rerum ecclesiæ seu beneficii..... 376
Quæstio 6ª. De privatione ob simoniam..... 376
Quæstio 7ª. De privatione ob insordescentiam in excommunicatione..... 376
Quæstio 8ª. De privatione ob insordescentiam in suspensione... 377
Quæstio 9ª. De privatione ob irregularitatem..... 377
Quæstio 10ª. De privatione ob homicidium, vulnerationem, percussionem..... 377

Pag.
Quæstio 11ª De privatione ob procurationem abortus..... 378
Quæstio 12ª. De privatione ob infandum sodomiæ crimen..... 378
Quæstio 13ª. Qualiter ob sacrilegum cum moniali facinus locus detur privationi..... 379
§ IV. De privatione ob concubinatum,, et ob simplicem fornicationem..... 379
I. Præmittitur synopsis historica circa pœnas, quæ variis temporibus in clericos incontinentes a jure statutæ reperiuntur..... 380
II. Plurimorum doctorum sententia fuit, non posse clericum ob simplicem fornicationem beneficio suo privari..... 382
III. Plurimi doctores tenent, propter simplicem fornicationem posse pœnam privationis infligi, quando est notoria vel scandalosa..... 383
IV. Plurium fuit doctorum sententia non posse beneficio privari concubinarium, quamvis notorium, nisi in casu quo, post monitiones et suspensionem sese emendare recuset, et in concubinatu perseveret..... 388
V. Plurimii doctores tenuerunt plecti posse concubinatum privationis pœna, non præmissis monitionibus et suspensione; modo constet, non tantum de suspecta frequentatione, sed et de patratis fornicationis actibus..... 390
VI. Quænam e duplici exposita doctorum sententia potius amplectenda videatur..... 390
VII. Subjiciuntur juris textus et alia documenta, ad illustrandam quæstionem idonea..... 391
VIII. In hypothesi quod de jure communi non posset privationis pœna plecti simplex fornicatio, nec etiam concubinatus nisi præmissis monitionibus et suspensione, in saltem fieri certo posset de *jure particulari*, seu ex statutis particularibus ecclesiarum, et vigente apud ipsas consuetudine..... 395
IX. De difficultatibus præsentium temporum quoad Tridentinam de clericis concubinariis dispositionem..... 396
X. Episcopus contra clericos concubinarios, juxta normam Tridentinæ dispositionis procedens, judicii summarii formam adhibere potest..... 398
CAPUT III. Norma beneficiatos removendi per suspensionem..... 398
Quæstio 1ª. Quibus in casibus de jure communi incurratur suspencio?..... 398
Quæstio 2ª. An concubenarii notorii ipso jure sint suspensi?... 398
Quæstio 3ª. Quamnam ob causam possit Episcopus clericum suspendere?..... 399
Quæstio 4ª. An possit Episcopus clericos suspendere extra-judicialiter, seu ex informata conscientia?..... 400
Subsectio II. Norma canonica removendi curatos..... 400

Pag.

CAPUT I. Norma removendi parochos sæculares, quorum parochiale beneficium perpetuum est..... 400
CAPUT II. Norma removendi vicarios curatos perpetuos..... 401
CAPUT III. Norma removendi parochos sæculares, ad nutum Episcopi amovibiles..... 402
§ I. Nonnullæ præmittuntur notiones de beneficiis manualibus, a quibus nempe beneficiati possunt ad nutum removeri..... 403
§ II. Adducitur summatim præcipuorum aliquot doctorum sententia, quoad quæstionem, an beneficia manualia obtinentes possint iis privari *sine causa*, et an recursum ad superiorem habeant. — Doctrina Suarezii, Garciæ, Lotteri, Gonzalez, Cardinalis de Luca, Leurenii, Rotæ romanæ..... 404
§ III. Quomodo solvenda videatur quæstio, an parochi ad nutum amovibiles possint sine causa revocari..... 412
Propositio I[a]. Est de essentia manualitatis, ut possit beneficiatus legitime revocari sine causa..... 412
Propositio II. Beneficiatus amovibilis, sine causa revocatus, nequit conqueri, nec jus recurrendi habere, ex eo titulo quod jus ipsius in beneficium violatum fuerit..... 413
Propositio III[a]. Ex eo quod revocans sine causa agat ex pravo motivo, non sequitur eum non uti jure suo, aut injuriam facere revocato..... 413
Propositio IV[a]. Generali regulæ, quod revocans sine causa utatur jure suo, apponenda est exceptio hæc, nisi ob peculiares circumstantias amoto inde obveniat notabile damnum, ab amissione beneficii diversum..... 414
Propositio V[a]. Generali regulæ, quod revocans sine causa utatur jure suo, apponenda etiam est exceptio : nisi sequatur damnum tertii notabile..... 415
Propositio VI[a]. Quando tales sunt circumstantiæ, ut amotio merito præsumatur fieri ex odio, hoc ipso cessat jus superioris amovendi sine causa..... 415
§ IV. Præmissorum applicatio parochis amovibilibus Galliæ, qui desservitores nuncupantur..... 416
CAPUT IV. Norma removendi vicarios curatos, ad nutum alicujus capituli seu monasterii amovibiles..... 418
CAPUT V. Norma removendi parochos regulares (remissive)..... 420
SECTIO V. De Coadjutoribus parochorum et de norma canonica eos constituendi..... 421
CAPUT I. Quid sit et quotuplex coadjutoria..... 421
CAPUT II. Quibus ex causis parocho dari possit coadjutor..... 423
Propositio I[a]. Magna populi multitudo non est causa legitima, ob quam parocho dari possit coadjutor..... 423
Propositio II[a]. Quando parochus, ex aliqua perenni corporis aut animi infirmitate, jam nequit parochiam suam, recte regere,

Pag.
dari ei potest et debet coadjutor..... 424
Propositio III[a]. Potest insuper dari coadjutor illi parocho, qui necessaria ad officium suum scientia destitutus reperitur..... 425
Propositio IV[a]. Potest Episcopus parochos, etsi jam a se vel prædecessoribus examinatos, ad examen vocare, ut videat num requisita scientia destituantur; modo tamen contra eos publice vigeat ignorantiæ suspicio..... 426
CAPUT III. Qualis coadjutor parocho dari possit aut debeat..... 428
Propositio I[a]. Episcopus parocho dare nequit coadjutorem cum futura successione..... 428
Propositio II[a]. Coadjutor habere debet qualitates quas requirit officium pro quo datur..... 429
CAPUT IV. An requiratur consensus parochi ut ipsi dari possit coadjutor; et num appellare possit, si invito sibi coadjutor imponatur..... 430
Propositio I[a]. Potest Episcopus parochis, etiam invitis, coadjutores dare, ob causas canonicas supra expressas..... 430
Propositio II[a]. A decreto Episcopi coadjutorem dantis appellare potest parochus ad effectum devolutivum tantum, si ob causam imperitiæ coadjutor datus sit: ad utrumque autem effectum, si ob causam infirmitatis animi aut corporis..... 431
CAPUT V. Congrua coadjutoris quomodo determinenda, et unde sit desumenda..... 432
CAPUT VI. Quid possit, et ad quid teneatur coadjutor parochi... 433
PARS IV. Quid possint parochi, seu de ipsorum juribus et prærogativis..... 435
CAPUT I. De distinctione inter jura parochialia, functiones parochiales, et functiones mere sacerdotales..... 436
§ I. Quid strictiori sensu per jura parochialia intelligatur..... 436
§ II. Quid per parochiales fonctiones seu parochialia munia solcat intelligi..... 437
CAPUT II. De jure parochorum nominandi et amovendi vicarios seu adjutores suos..... 438
§ I. Distinguendi sunt duplicis speciei coadjutores parochorum.. 439
§ II. Ad parochum pertinet adjutores vicarios suos sibi eligere et nominare, quamvis eorum approbatio spectet ad Episcopum. 440
§ III. Quatenus vicarii parochorum adjutores amoveri possint a parochis, et quid juris hodie in Gallia quoad nominationem et amossionem (remissive)..... 447
CAPUT III. Jus parochi, quoad baptismata..... 447
CAPUT IV. Jus parochi quoad sacramentum pœnitentiæ..... 448
CAPUT V. Jura perochi quoad sacramentum eucharistiæ..... 452
CAPUT VI. An et quatenus possit parochus binas eodem die missas celebrare..... 454
Propositio I[a]. Prioribus Ecclesiæ sæculis invaluerat passim dis-

Pag.

ciplina, ut sacerdos pluries eadem die divina mysteria celebraret 454

Propositio II[a]. A multis jam sæculis certa est lex ecclesiastica, hodiedum plene vigens, qua prohibentur sacerdotes, præterquam in festo Natalis, pluries eodem die celebrare, excepto necessitatis casu 455

Propositio III[a]. Plures casus ab antiquis canonistis habiti tanquam a præfatæ legis prohibitione excepti, ut tales hodie habendi non sunt 455

Propositio IV[a]. Ad hoc ut parochus in duabus ecclesiis eodem die licite celebrare possit, satis est quod alioquin alteruter ex duobus dissitis populis missa carere debeat die dominico aut festo 457

Propositio V[a]. Etiam in eadem ecclesia bis eodem die celebrare licitum esse potest parocho : si nempe unicæ missæ magna pars populi adesse nequeat 458

Propositio VI[a]. Ad iterationem in duabus ecclesiis (etsi detur sufficiens necessitas) requiri videtur, regulariter loquendo, licentia Episcopi 459

Propositio VII[a]. Ad iterationem in eadem ecclesia, non requiritur Sedis Apostolicæ licentia, sed sufficit licentia Episcopi 460

Propositio VIII[a]. Licita non est iteratio, si aliis a jure indicatis remediis necessitati occurri possit 462

Propositio IX[a]. Si non adsit requisita a jure necessitas,, nulla consuetudo licitam facere potest iterationem 463

Propositio X[a]. Quando bis eodem die presbyter celebrat, non potest honorarium pro intentione secundæ missæ recipere 463

CAPUT VII. Jus parochi quoad matrimonia 464

§ I. Quisnam sit quoad matrimonia proprius parochus 464

§ II. Describitur jus parochi quoad matimonia 466

CAPUT VIII. Jus parochi quoad extremam-unctionem et viaticum. 469

CAPUT IX. Jus parochi quoad oblationes 471

§ I. Quid de jure communi competat parocho circa oblationes .. 471

Quæstio 1[a]. Quid sint oblationes 471

Quæstio 2[a]. Ad quem pertineant oblationes, tam quæ jure debentur, quam quæ sponte offeruntur 471

Quæstio 3[a]. Ad quemnam pertineant oblationes quæ fiunt, tum alicui capellæ vel imagini ecclesiæ parochialis, tum alicui oratorio extra ecclesiam parochialem, intra ambitum tamen parochiæ existenti ? 472

Quæstio 4[a]. An oblationes ex justitia debeantur, ita ut possit parochus eas exigere? 472

Quæstio 5[a]. Quomodo ad Episcopum pertineat determinare quænam oblationes et justitia exigi possint 473

§ II. Quonam modo hodie in Gallia jus parochorum quoad obla-

Pag.
tiones determinetur 474
CAPUT X. Jus parochi quoad funeralia 476
§ I. De jure sepeliendi ad parochos pertinente 476
Propositio I[a]. Exceptis certis casibus, a jure determinatis, jus sepeliendi parochianos ad parochum pertinet 476
Propositio II[a]. Si quis habeat majorum suorum sepulchrum alibi, quam in parochiæ suæ ecclesia vel cœmeterio, nec aliam sepulturam elegerit, non tantum potest, sed debet indicto majorum suorum sepulchro sepeliri 476
Propositio III[a]. Quilibet, modo ætatem pubertatis attigerit, sepulturam suam eligere potest; ita ut in ea debeat sepeliri, quamvis extra parochiæ suæ ecclesiam et cœmeterium sita sit 476
Propositio IV[a]. Pro impubere sepultura eligerem potest pater, et (hoc deficiente) mater, et (patre et matre deficientibus) consanguinei, affines et etiam tutor, modo ea sit regionis consuetudo 478
Propositio V[a]. In monasterio suo respectivo sepeliri possunt: novitii, etiam extra monasterium decedentes, modo ad illud transferri queant: domestici, religiosis inservientes, et apud ipsos degentes, quando intra septa monasterii decedunt: tertiarii qui collegialiter degunt; tertiariæ quæ cum habitu tertiarum et voto castitatis vivunt 479
Propositio VI[a]. Parocho non licet officium facere in aliena ecclesia cadaveribus in ea sepeliendis 479
Propositio VII[a]. Quando defunctus tumulatur in ecclesia regularium, non potest parochus defuncti impediri ab ipsis regularibus, quin pulset campanas parochiales; neque ipsi regulares, ecclesiæ in qua defunctus sepelitur impediri possunt a parocho, quin pulsent campanas ecclesiæ suæ 479
Nota. De jure ecclesiarum habendi sepulturas 480
§ II. De jure parochi funeribus interveniendi 480
I. Etiamsi parochianus in aliena ecclesia et ab aliis sit sepeliendus, jus habet ipsius parochus ut ad funus vocetur, et vocatus tenetur intervenire 480
II. Parocho quatenus funeri intervenienti, quænam functiones, quænamve jura competant 482
III. Jus parochi quoad elevandam in ducendis funeribus crucem 487
IV. Jus parochi quoad præcedentiam in funeribus 489
§ III. Jus parochi quoad emolumenta ex funeribus provenientia. 490
Quæstio 1[a]. An possit parochus aliquid exigere pro officio sepulturæ ab ipso præstito? 490
Quæstio 2[a]. Quid sit quarta funeralis, seu portio canonica? 491
Quæstio 3[a]. Quanto sit portio canonica parocho debita? 492

Pag.
Quæstio 4ª. De quibus rebus solvenda sit portio canonica?..... 493
CAPUT XI. Quænam sint functiones parochiales, id est, quæ nonnisi a parocho, aut de ipsius licentia, peragi possunt..... 494
§ I. Quænam auctoritates pro norma habendæ sint ad determinandas parochiales functiones..... 495
§ II. Decretum generale sacræ Congregationis Rituum, diei 10 decembris 1703, circa jura parochialia, functiones et præeminentias, inter parochos et confraternitates laicorum, earumque cappellanos et officiales..... 496
§ III. Concluditur quænam functiones pro parochialibus habendæ sint..... 500
Propositio Iª. Benedictio fontis baptismalis est functionibus parochialibus annumeranda..... 500
Propositio IIª. Missa solemnis feriæ V in cœna Domini est etiam de fonctionibus parochialibus..... 500
Propositio IIIª. Benedictiones mulierum post partum esse de functionibus parochialibus fuerat dicto decreto anni 1703 decisum; sed iterum postea intervenire declarationes contrarium statuentes..... 500
Propositio IVª. Benedictiones et distributiones candelarum, cinerum, palmarum, ignis, ovorum et similium; item heddomadæ sanctæ functiones cæteræ præter missam solemnem feriæ V in cœna Domini; item missæ solemnes per annum, expositio quadraginta horarum, benedictio quæ fit super populo, expositio quæ fit cum reliquiis vel sacris imaginibus, et benedictio quæ cum eis fit super populo, non sunt de functionibus parochialibus..... 501
Propositio Vª. Prima pulsatio campanarum in sabbato sancto, non est de juribus, nec de functionibus parochialibus.... 503
Propositio VIª. Denuntiatio festivitatum et vigiliarum in heddomada occurrentium, non est de functionibus parochialibus..... 503
Propositio VIIª. Officium funebre super parochianorum cadaveribus, sepeliendis in confraternitatum ecclesiis et oratoriis publicis, est de functionibus parochialibus..... 503
CAPUT XII. De jure parochorum quad stolæ delationem..... 504
CAPUT XIII. Benedictio solemnis, per verba *Sit nomen Domini benedictum*, est parochis et cæteris quibuscumque, exceptis Episcopis et abbatibus mitratis, sub gravi illicita..... 506
CAPUT XIV. De potestate parochi dispensandi a jejunio vel abstinentia, et a præcepto servilia opera diebus festis prohibente.... 509
CAPUT XV. Jus parochorum quoad confraternitatum oratoria sive ecclesias, nec non earumdem cappellanos..... 510
Propositio Iª. Si dictæ confraternitates erectæ sint in ipsa ecclesia parochiali, vel in aliquo ædificio eidem parochiali eccle-

Pag
siæ annexo, nequeunt ab iis confraternitatibus functiones ullæ ecclesiasticæ peragi, nisi dependenter a parocho 510
Propositio II[a]. Si confraternitas existat in alia ecclesia quam parochiali, vel in aliquo oratorio (sive publico sive privato) ab ecclesia parochiali ejusque dependentiis sejuncto, possunt independenter a parocho in ejusmodi ecclesia vel oratorio confraternitatis peragi eæ functiones, quæ non sunt parochiales 510
Propositio III[a]. In dictis confraternitatum oratoriis ab ecclesia parochiali sejunctis, possunt recitari horæ canonicæ, cum vel sine cantu, absque ulla parochi licentia 511
Propositio IV[a]. In modo dictis confraternitatum oratoriis seu ecclesiis, celebrari potest missa privata, contradicente parocho, modo assentiat Episcopus 511
Propositio V[a]. Jus non habet parochus, invitis confratribus, doctrinam christianam docendi in dictis eorum ecclesiis seu oratoriis, ab ecclesia parochiali sejunctis 511
Propositio VI[a]. In dictis confraternitatum ecclesiis et oratoriis, a parochiali ecclesia divisis, haberi possunt conciones, etiam per totum tempus Quadragesimæ et Adventus, absque licentia parochi, modo assentiat Episcopus 511
Propositio VII[a]. In dictis confraternitatum oratoriis celebrari nequit missa, sive lecta, sive cantata, ante parochialem missam, sive lectam, sive cantatam, nisi aliter disponat Episcopus 511
Propositio VIII[a]. Intra ambitum modo dictarum ecclesiarum et oratorium, possunt confraternitates processiones suas facere, absque interventu et licentia parochi : id vero nequeunt extra, nisi de licentia Episcopi 511
Propositio IX[a]. In prædictis processionibus potest cappellanus deferre stolam, si fiant intra ambitum : secus si fiant extra. 511
Propositio X[a]. Episcopo ad publicam confraternitatis ecclesiam accedenti (etiamsi hæc ecclesia non sit regularium, nec rectorem beneficiatum habeat), non pertinet ad parochum aspersorium porrigere 511
Propositio XI[a]. Nequit parochus, ex solo jure parochialitatis, confraternitatum rectores seu cappellanos compellere ad assistendum ecclesiæ parochialis functionibus 511
Propositio XII[a]. In præfatis confraternitatum ecclesiis, quæ nec parochiales sunt nec regulares, retineri nequit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, absque speciali indulto Sedis Apostolicæ 512
Propositio XIII[a]. Nequit parochus se ingersre in administratione oblationum vel eleemosynarum, in dictis confraternitatum ecclesiis seu oratoriis collectarum, nec clavem capsulæ, in qua asservantur, retinere 512
Propositio XIV[a]. Nec confratres, nec eorum cappellani, possunt,

Pag.
invito parocho, sese immiscere in ecclesiæ parochialis functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus..... 512
Propositio XV[a]. Confraternitates, sive in ecclesia parochiali erectæ, sive alibi, possunt absque interventu et licentia parochi, suas congregationes habere, dummodo non impediant parochialis ecclesiæ functiones et divina officia..... 512
Propositio XVI[a]. Possunt dictæ confraternitates, propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a parocho..... 512
Propositio XVII[a]. Etiamsi parochus confraternitatum congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tanquam ejus delegatus, non habet suffragium decisivum..... 512
CAPUT XVI. De jure parochorum quoad regulares nonnulla adnotantur..... 512
CAPUT XVII. De jure parochorum quoad varia superius non recensita..... 515
PARS QUINTA. Ad quid teneatur parochus, seu de ipsius officio et obligationibus..... 517
CAPUT I. De emittenda a parochis professione fidei, et spondenda Romano Pontifici obedientia..... 517
Quæstio 1[a]. An teneantur parochi professionem fidei emittere, et obedientiam Romano Pontifici jurare?..... 517
Quæstio 2[a]. Quanam formula utendum sit?..... 517
Quæstio 3[a]. Qualiter obliget Tridentinum de ejusmodi professione et juramento præceptum?..... 518
Quæstio 4[a]. An possit illa fidei professio per procuratorem fieri? 519
Quæstio 5[a]. Quamnam pœnam incurrat parochus, dictam fidei professionem omittens?..... 519
Quæstio 6[a]. Quis condonare possit parocho fructus amissos ob non factam debito tempore fidei professionem..... 520
Quæstio 7[a]. An parochus qui non fecit fructus suos, ob omissam fidei professionem, teneatur illos restituere ante sententiam declaratoriam?..... 520
Quæstio 8[a]. Cui assignandi et applicandi fructus amissi ob non factam fidei professionem..... 520
Quæstio 9[a]. An Tridentinum præceptum de emittenda fidei professione adstringat etiam parochos ad nutum amovibiles?... 520
Quæstio 10[a]. An dicta obligatio professionem fidei emittendi tolli possit per contrariam consuetudinem?..... 521
Quæstio 11[a]. Quid concludendum videatur quoad parochos earum regionum, in quibus non viget dictæ professionis fidei usus?. 521
CAPUT II. De obligatione residendi, qua obstringuntur parochi.. 522
§ 1. Recensentur præcipui juris textus, et nonnullæ Sacrarum Congregationum declarationes, onus residendi parochorum spectantes..... 522

Pag.

§ II. An et quo jure parochi, et alii quibus incumbit actualis animarum cura, residere teneantur. 526

Propositio I[a]. Residentiæ lege obstringuntur parochi proprie dicti, qui nempe beneficium parochiale perpetuum obtinent, cum actualis curæ onere : non autem parochi improprie dicti, qui dicuntur parochi in *habitu*..... 526

Propositio II[a]. Lege residendi obstringuntur etiam parochi ad nutum amovibiles. 527

Propositio III[a] Atque etiam vicarii curati, tam temporales quam perpetui..... 528

Propositio IV[a]. Quando parochus coadjutorem habet, tam coadjutor quam coadjutus residere tenetur..... 529

Propositio V[a]. Certum non est curatos ex jure divino ad residendum teneri..... 529

§ III. Quænam sint generatim justæ causæ, ob quas curati licite a paroehia sua abesse possunt..... 531

Propositio I[a]. Lex residendi non ita intelligenda est, ut nequeant parochi, justa interveniente causa, extra parochiam ire, et ad tempus abesse. 531

Propositio II[a]. Ut parochus singulis annis per bimestre, sive continuum, sive interruptum, abesse queat, non riquiritur causa gravis, sed sufficit æqua seu rationabilis..... 531

Propositio III[a]. Interveniente gravi causa, potest parochus ultra duos menses licite abesse..... 532

Propositio IV. Ut parochus per bimestre ligitime abesse possit, sufficit recreationis causa, vel similis..... 532

Propositio V[a]. Ut parochus legitime abesse possit ultra bimestre, requiritur christianæ caritatis, vel urgentis necessitatis, vel debitæ obedientiæ, vel evidentis Ecclesiæ aut reipublicæ utilitatis causa..... 533

Propositio VI[a]. Judicium de legitimitate causæ, sive ab bimestris, sive ad longioris temporis absentiam, pertinet ad Episcopum; ita tamen ut a recusatione detur recursus ad superiorem..... 533

Propositio VII[a]. Ut parochus a residendo in perpetuum eximatur, non sufficit ulla causa, quantumvis gravis, nec ulla Episcopi licentia; sed requireretur Apostolicæ Sedis indultum, quod non solet concedi..... 534

§ IV. De nonnullis causis in particulari expenditur, an parochum a residentia excusent..... 535

Propositio I[a]. Consuetudo non residendi, etiam immemorabilis, a residentia non excusat..... 535

Propositio II[a]. Causa perficiendi sua juris sacri vel theologiæ studia, a tempore Tridentinæ synodi, parochum non excusat a residentia..... 535

Pag.

Propositio III[a]. Nec excusatur a residentia parochus ex eo quod theologiam in civitate doceat, etiam relicto idoneo vicario; et etiamsi non adsit alius ad docendum idoneus... 536

Propositio IV[a]. Aeris intemperies, etiam juncto morbo, parochum a residentia non excusat; est tamen causa sufficiens morbus cum aeris inclementia, ut Episcopus ultra duos menses abessendi licentiam concedat..... 536

Propositio V[a]. Nec senilis ætas, nec adversa valetudo parochum excusat a personali residentia..... 536

Propositio VI. Parvus parochianorum numerus, etiamsi tres dumtaxat remaneant, parochum a residentia non excusant. 537

Propositio VII[a]. Periculum contrahendæ pestis in parochia grassantis parochum non eximit ab onere residendi, etiamsi alii adsint idonei, qui vices ejus suppleant..... 537

Propositio VIII[a]. Ob inimicitias ipsi parocho personales, licite potest parochus e parochia aufugere: licentiam autem perpetuam non residendi nequit Episcopus ei hanc ob causam concedere..... 537

Propositio IX[a] Servitium Episcopo præstandum non est legitima causa non residendi, nisi per duos menses a Tridentina synodo concessos..... 540

§ V. Quomodo ad licitam parochi absentiam, præter causæ legitimitatem requiratur, ut causa declaretur Episcopo, isque licentiam in scriptis concedat, et interim substituatur vicarius ab Episcopo approbatus..... 541

Propositio I[a]. Ad absentiam ultra duos menses, requiritur (præter causam legitimam) licentia Episcopi in scriptis data..... 541

Propositio II[a]. Eadem Episcopi licentia requiritur, etiam si agatur tantum de absentia per duos menses..... 541

Propositio III[a]. Et etiam ad absentiam unius hebdomadæ..... 541

Propositio IV[a]. Quoad absentiam ultra biduum et citra hebdomadam, an de jure communi necessaria sit Episcopi licentia, videtur licite controverti posse..... 542

Propositio V[a]. Quoad absentiam bidui, vel biduo breviorem, non videtur de jure communi necessaria licentia Episcopi..... 543

Propositio VI[a]. Certum est posse Episcopum prohibere, ne ultra biduum absint parochi, absque licentia prius obtenta..... 543

Propositio VII[a]. Debet Episcopo declarari causa: nec sufficit ipsi dicere causam esse gravem, et hoc juramento firmare..... 545

Propositio VIII[a] Sive ad absentiam duorum mensium, sive ad longiorem, si necessitas ita urgeat, ut non patiatur moram, omitti quidem licentia poterit; sed debebit quamprimum certior Episcopus fieri..... 545

Propositio IX[a]. Præter causam legitimam, et scriptam Episcopi licentiam, de quibus supra, requiritur ut idoneus substituatur

Pag.
vicarius, ab Episcopo approbatus, cum mercede congrua..... 546
§ VI. Qualiter residendi lex intelligenda sit quoadmodum..... 547
Propositio I[a]. Lex residendi intelligenda est de residentia, non materiali dumtaxat, sed formali, id est, laboriosa, non otiosa. 547
Propositio II[a]. Sufficienter formalis seu laboriosa censenda est residentia parochi, si parochialium muniorum partem notabilem per seipsum expleat; quamvis multa vicariis adjutoribus exequenda relinquat..... 547
§ VII[a]. Quomodo residendi lex intelligenda sit quoad locum... 549
Propositio I[a]. Est regula generalis, teneri parochum habitare intra parochiæ limites..... 549
Propositio II[a]. Est pariter regula generalis debere parochum degere in parochiali domo, si adsit..... 549
Propositio III[a]. Justa interveniente causa, potest parochus alibi, quam in parochiali domo, intra fines parochiæ degere..... 549
Propositio IV[a]. Etiam ut extra parochiæ limites habitet parochus permitti potest, justa de causa; in loco tamen ita vicino, ut officium suum recte adimplere queat..... 550
Propositio V[a]. Quando parochia distat a civitate duobus passuum millibus aut amplius, non licet parocho in civitate diu noctuque (exceptis diebus festis) commorari, etiam relicto in parochia substituto: item non ei licet nocturno dumtaxat tempore in parochia habitare, et dicta missa summo mane ad civitatem redire, sicque per majorem anni partem in civitate diurno tempore degere; nec vice versa..... 551
Propositio VI[a]. Quando parochus absque legitima causa domum parochialem non incoluit, sed aliam intra fines parochiæ suæ, etsi contra præceptum residentiæ peccaverit, non tamen tenetur ad fructum restitutionem: atque idem dicendum si habitaverit extra parochiæ limites..... 551
§ VII. De pœnis et modo procedendi contra parochos non residentes..... 552
Quæstio 1[a]. Quisnam fuerit ante Tridentinam synodum canonicus procedendi modus contra clericos non residentes?..... 552
Quæstio 2[a]. Quisnam post concilium Tridentinum, sit modus canonicus procedendi contra absentes canonicos cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum?..... 554
Quæstio 3[a]. Quisnam sit, post concilium Tridentinum, canonicus procedendi modus contra paroshos non residentes?..... 555
CAPUT III. Officium parochi quoad baptismata..... 560
CAPUT IV. Officium parochi quoad sacramentum Pœnitentiæ... 562
CAPUT V. Officium parochi quoad sacramentum Eucharistiæ.. 565
CAPUT VI. Obligatio parochi missam offerendi pro populo..... 570
Propositio I[a]. Tenentur parochi, etiam amovibiles, si sive sæculares sint, sive regulares, vicariique curati, ad offerendum pro

Pag.

populo sacrificium diebus dominicis et festis de præcepto, non obstante quavis contraria consuetudine, et etiamsi congruis reditibus destituantur 570

Propositio II^a. Remansit prædicta curatorum obligatio quoad festa, per indultum diei 9 aprilis 1802 in toto Gallicanæ reipublicæ territorio suppressa 572

Propositio III^a. Consuetudo contraria præfatæ obligationi offerendi pro populo, etiam in dictis festis suppressis, nunquam legitima censenda est 573

Propositio IV^a. Quænam sint festa illa, dicto indulto 9 aprilis 1802 suppressa, determinandum est ex catalogo festorum Urbani VIII, addita Conceptionis festivitate; non autem ex catalogo festorum Clementis XIV. 573

Propositio V^a. Excepto casu legitimi impedimenti, tenetur parochus missam pro populo per seipsum offerre; nec potest alium sacerdotem, qui id præstet, sibi substituere 575

Propositio VI^a. Contra prædictam parochorum per seipsos offerendi obligationem, nulla valet consuetudo 576

Propositio VII^a. Missam pro populo celebrare debet parochus in parochiali ecclesia 579

Propositio VIII^a. Obligationi missam celebrandi pro populo satisfacere potest parochus per missam privatam; non autem tenetur missam solemnem, aut aliqua certa hora fixam celebrare 580

Propositio IX^a. Si parochus sit simul canonicus, et ad eum spectet missam conventualem celebrare, tenetur aliquem sibi substituere, qui missam applicet pro populo 581

Propositio XI. Si parochus sit simul canonicus, et ad eum spectet missam conventualem celebrare, tenetur aliquem sibi substituere qui missam applicet pro populo 581

CAPUT VII. Officium parochi quoad extremam-unctionem, et assistentiam moribundis præstandam 582

CAPUT VIII. Officium parochi quoad matrimonia 585

CAPUT IX. Officium parochi divini verbi prædicandi, et pueros doctrinam christianam edocendi 587

CAPUT X. Obligatio parochi interveniendi collationibus casuum conscientiæ 591

CAPUT XI. Obligatio parochi, quoad restaurationem ecclesiæ et domus parochialis 592

I. Præmittuntur juris textus 592

II. Determinatur quomodo et quando restaurandæ ecclesiæ parochialis onus parocho incumbat 592

III. Eadem est parochi obligatio quoad domus presbyteralis reparationem 593

IV. Ad Episcopum spectat decernere, quænam opera in ecclesia

Pag.

vel domo parochiali fieri debeant, et pro quanam summa parochus aliive contribuere debeant..... 594

V. A decreto Episcopi, de hac re statuentis, non datur appellatio ad effectum suspensivum, sed dumtaxat devolutivum..... 594

CAPUT XII. Obligatio et jus parochorum accedendi ad diocœcesanam synodum..... 594

CAPUT XIII. De cohabitatione parochi cum mulieribus..... 595

§ I. Varíam variis temporibus fuisse olim hac de re disciplinam. 596

§ II. Determinatur hodiernum jus commune circa cohabitationem clericorum cum mulieribus..... 597

Propositio I[a]. Quoad ejusmodi cohabitationem desumendum est hodiernum jus commune, tum ex decretali *A nobis* Innocentii III, tum ex communi doctorum interpretatione..... 597

Propositio II[a]. Clerico licitum est, regulariter loquendo, habitare cum fœminis, sibi in primo vel secundo consanguinitatis gradu conjunctis..... 598

Propositio III[a] Item clerico licita censetur cohabitatio cum affinibus in primo gradu, verbi gratia, noverca, nuru, et uxore fratris defuncti: insuper cum affinibus in secundo gradu, quando alter alteri reverentiam debet; verbi gratia, cum uxore patrui vel avunculi defuncti..... 598

Propositio IV[a]. Quando clericus licite habitat cum prædictis sibi conjunctis, etiam ipsi licet habitare cum earumdem ancillis et pedissequis..... 599

Propositio V[a]. Non prohibentur clerici etiam extraneas fœminas in famulas sibi assumere, modo provectioris ætatis sint, honestæ famæ, et extra suspicionem..... 599

Propositio VI[a]. Quamvis a sacris canonibus clericis concedatur cohabitatio cum supradictis fœminis, id semper intelligendum est cum limitatione, nisi adsit periculum vel scandalum. 599

Propositio VII[a]. Nequit Episcopus prohibere, ne diœcesis suæ clerici cum ulla omnino fœmina cohabitent..... 600

Propositio VIII[a]. Valeret tamen Episcopi constitutio, qua clericis cohabitationem prohiberet cum quibuslibet fœminis, nisi ipse prius carum qualitates examinasset, et abesse periculum atque scandalum comperisset..... 600

CAPUT XIV. Officium parochi quoad temporalem parochiæ administrationem..... 601

§ I. Bonorum ecclesiasticorum administratio sæcularis potestatis jurisdictioni nullatenus subjacet..... 601

§ II. Quodnam sit, ex jure ecclesiastico, parochi jus et officium, quoad temporalem parochiæ suæ administrationem..... 603

§ III. An et quomodo laícis viris, qui matricularii (marguilliers) aliove nomine noncupantur, temporalis parochiæ administratio legitime committi possit..... 605

Pag.

CAPUT XV. Quomodo hodie in Gallia reguletur temporalis parochiarum administratio, et quænam in ea sint parochi partes... 607
§ I. Decretum Napoleonis diei 30 decembris 1809..... 607
§ II. Decretum regis Caroli X diei 12 januarii 1825, quoad fabricas..... 623
§ III. Decretum Napoleonis diei 12 junii 1804, quoad funera... 624
§ IV. Decretum Napoleonis diei 18 maii 1806, quoad funera... 627
§ V. Decretum Napoleonis statuens ad quosnam pertineant cerei in funeribus adhibiti..... 629
APPENDIX I. De vicariis parochialibus, necnon de cappellanis monialium, xenodochiorum et militum..... 631
CAPUT I. De vicariis parochialibus..... 631
§ I. Vicariorum parochialium variæ species..... 631
§ II. De vicario parochiali qui, vacante parochia, ad eam regendam deputatur, donec novus in ea rector constitutus fuerit. 632
§ III. De vicario, qui absenti parochos substituitur..... 633
Quæstio 1ª. Quid statuerit Tridentina synodus quoad substituendum vicarium, in iis casibus in quibus legitime abesse potest parochus?..... 633
Quæstio 2ª. A quo sit nominandus?..... 634
Quæstio 3ª. An etiam approbatio Episcopi necessaria sit, quando parochus sibi vicarium substituit ad brevissimum tempus?..... 634
§ IV. De vicariis parochialibus, qui parocho residenti et parochiam administranti auxiliantur..... 635
Quæstio 1ª. Ad quem pertineat eorum nominatio?..... 635
Quæstio 2ª. Ad quem pertineat assignare congruam dictis parochorum adjutoribus vicariis solvendam?..... 635
Quæstio 3ª. Ad quem pertineat determinare, an et quot vicarios adjutores debeat parochus sibi adjungere?..... 635
Quæstio 4ª. Quamnam jurisdictionem habeant ejusmodi vicarii, prsertim quoad matrimonia..... 636
Quæstio 5ª. An parochus vicarium suum adjutorem amovere possit, etiam sine causa ab Episcopo approbata..... 638
Quæstio 6ª. An possit Episcopus vicarios parochorum adjutores sine causa removere?..... 643
§ V. Quomodo ex statu præsenti ecclesiarum Galliæ sequi necessario videatur, vicariorum parochis auxiliantium nominationem, et remotionem ad Episcopos, non autem ad parochos, hodie in ea regione pertinere..... 644
CAPUT II. De cappellanis monialium..... 646
CAPUT III. De cappellanis militum..... 648
CAPUT IV. De cappellanis hospitalium..... 652
Quæstio 1ª. Qua de causa inductum sit, ut cappellani hospitalium sint quasi parochi, id est, ut possint ministrare etiam viaticum

Pag.
et extremam-unctionem, et tumulare?. 652
Quæstio 2ª. Quotuplici modo contingere possit, ut dicta quasi-parochialis jurisdictio hospitalium cappellanis competat?... 653
Quæstio 3ª. In quo stet, seu ad quænam extendatur dictorum cappellanorum quasi-parochialis jurisdictio?. 655
APPENDIX II. Formularum ad rem parochialem spectantium collectio. 657
I. Formula erectionis ecclesiæ parochialis. 657
II. Formula erectionis novæ parochiæ per dismembrationem.. 659
III. Formula erectionis vicariæ perpetuæ. 661
IV. Formula deputationis œconomi parochiæ vacanti. 662
V. Formula deputationis coadjutoris, dati parocho imperito.... 662
VI. Formula indicendi concursus pro ecclesia parochiali vacante. 663
VII. Formula juramenti examinatoris synodalis, tum in synodo, tum extra synodum. 664
VIII. Formula edicendi concursus, quando parochiæ vacantis collatio pertinet ad inferiorem. 664
IX. Formula edicti in vacatione ecclesiæ parochialis jurispatronatus. 665
X. Formula prorogationis edicti de concursu pro parochiali vacante. 666
XI. Formula edicti concursus, quando parochia vacat in mense apostolico. 667
XII. Formula collationis ecclesiæ parochialis per concursum. 667
XIII. Formala resignationis ecclesiæ parochialis. 669
XIV. Formula publicationis resignationis. 670
XV. Formula collationis ecclesiæ parochialis, per resignationem ex causa permutationis. 670
XVI. Formula collationis ecclesiæ parochialis jurispatronatus. 671
XVII. Formula præsentationis curati amovibilis, quando nominatio pertinet ad aliquam universitatem, verbi gratia, ad aliquod capitulum. 672
XVIII. Formula approbationis curati amovibilis, quando nominatio pertinet ad aliquam universitatem. 673
XIX. Formula deputationis cappellani monialium. 674
XX. Formula citationis parochi suspendendi, ob præstitam assistententiam matrimonio absque previis denuntiationibus. . . . 674

FINIS INDICIS.

Laedone-Salinarum, typis J. MAYET et Soc.

5980